


L L   L L L L

Probatio

Lucas. Calami

Lucas. L

[illegible]

[illegible]

1830.

Levik Lucas

7/I 30.

THEOLOGIA
ASCETICA.

Ad Mentem S. BONAVENTURÆ
SERAPHICI & Extatici DOCTORIS
Continens varia exercitia & modos acquirendi perfectionem Religiosam.

CONCINNATA.

PER

P. F. CHRYSOSTOMUM DOBROSIELSCIUM, Ordinis Minorum Reformatorum, in Provincia S. MARIÆ Angelorum Minoris Poloniæ olim Magistrum Novitiorum & Provinciæ Patrem.

Post priorem editionem ab eodem aliquatenùs in compendium

REDACTA & IMPRESSA.

Cùm facultate Reverendissimi Patris
CHERUBINI à NARDO
SUPERIORIS GENERALIS,
& approbatione Censoris Diæcesani, ac Theologorum Ordinis, quæ videri possunt in Libris præteritæ editionis 1703.

Nunc autem Reimpressa 1731.

CRACOVIÆ,
Typis JACOBI MATYASZKIEWIC S. R. M. Celsissimi & Reverendissimi D. Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ Ordinarij Typographi.



REIMPRIMATUR.

M. MARTINVS WALESZYNSKI Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſsor Collega Major, CANONICVS Cathedralis Cracovienſis, Premycovienſis & montis S. GEORGII in Scepuſio PRÆPOSITVS, Studij Generalis Vniverſitatis Cracovienſis PROCANCELLARIVS, Librorum per Diæceſim Ordinarius

CENSOR.

Datum Collegio Majori 10. *Calendas Iunij* 1731.



PROLOQVIVM
De Theologia Mystica & Ascetica.

THeologia, quæ ex vi nominis est notitia DEI; multiplex habetur, ut potè Scholastica Moralis, Scripturalis, ac Mystica seu Ascetica: quarum tres priores, tum ad defensionem fidei Orthodoxæ, tum ad directionem conscientiarum, tum ad profundius cognoscendos varios sensus Sacræ Scripturæ, non diffiteor esse Ecclesiæ CRISTI summè perutiles. Cæterùm Theologiam Asceticam seu Mysticam his tribus esse fructuosiorem dicere ausim, per quam homo ad notitiam DEI Divinorumq; proprius (quia curiosis intermissis speculationibus) accedit; intimius (quia totis viribus animæ intellectus & voluntatis) sacris illis abditis se insinuat, cognitis veritatibus firmius (quia ipsis anagogiis & sollicita virtutum praxi) inhæret. Porrò etsi pro synonimis plerumq; habeantur Ascetica & Mystica Theologia, tamen congruè Author in sua priori editione eas inter se differre notavit. *imo*. Quia *Ascetica* habet cognitionem divinorum affectivam, ordinario modo acquisitam, media nimirum cognitione discursivâ ac intellectivâ: imò etiam habet extraordinariè menti humanæ venientem; qualem puta esse non solum secundum quid, verum etiam absolutè seu simpliciter infusam; sed nõnisi per accidens, quæ scilicet in modo operandi non excedit ordinariam: & hujusmodi cognitio affectiva, alias vocari solet sobrie experimentativa, seu ex-

 peri-

perimentalis. *Mystica*, vero habet notitiam affectivam extraordinariam; ut potè per se simpliciter infusam; quam alias vocant ecstaticè experimentalem, nullius puta oratione seu sermone explicabilem. 2dò. differunt inter se, quia Asceticæ Theologiæ natura est, contemplari divina ordinariè tantùm, & activè seu operativè se habere in DEUM, dùm inter illum & animam rationalem sobriam vult efficere unionem. Mystica verò extraordinariè DEUM contemplatur, necnon passivè & coöperativè solum habet se in DEUM dùm inter illum & humanum spiritum ecstaticam unionem celebrare intendit. 3tiò. Quia per Asceticam Theologiam (quæ est propria ac specialis disciplina cujuscunq; instituti Religiosorum; nam tractat de omnibus ijs, quæ peculiariter sunt tam de necessitate, quam de perfectione illorum statûs & vocationis) rectè itur ad Mysticam. Unde *Ascetica* Theologia *largè* nimirùm sumpta nihil aliud est, quam claustralis disciplina, Regularis Observantia, studium virtutum, notitia mortificationis internæ, & usus bonarum operationum, DEIquè ac divinorum sobriè sapida scientia. *Strictè* verò accepta, solam significat sobriam sapientiam, seu sobriè sapidam divinorum scientiam, secundum quam desinit in Mysticam Theologiam, ut potè largè sumptam, ita ut etiam primus gradus ejus esse dicatur. *Mystica* autem Theologia, vel alias arcana Theosophia strictè nimirùm ac propriè sumpta, idem est quod secretissima ac Sacratissima (juxta nominis sui significationem)

Dei

DEI Sapientia, seu sapida & ecstatica divinorum notitia, scholasticis scriptoribus & Asceticis Theologis minimè perspecta ipsis paucissimis duntaxat, solisq; selectissimis spiritualibus viris divinitùs revelata, cæteris, quamvis studium perfectionis diligentibus, ab ejus participatione exclusis. Cum ergò per imperfecta ad perfectiora, per viam & media ad terminum finemq; tendendum sit, pro feliciori ac faciliori progressu in via religiosæ perfectionis hic Ascetica Theologia nonnihil complananda assumitur. DEI autem erit, Spiritûsq; ejus, qui facienti quod in se est, non denegat gratiam, spiratq; ubi vult, hæc ordinaria exercitiorum decurrenti studia, illius extraordinariæ notitiæ aperire ianuas, & in intimiora Theologiæ, quæ strictè Mystica dicitur, introducere.

Hoc totum Opus dividitur in semptem Tractatus. *1mùs* est de modo mentaliter orandi in communi & in particulari. *2dùs* de testamento animæ & pactis anagogicis. *3tiùs* de Præsentia DEI. *4tùs* de Recollectione quotidiana & octidiana. *5tùs*. de Virtutibus. *6tùs* de Vitijs. *7mùs*. de tentationibus & remediis contra eas.

TRACTATVS I.

De modo Instituendi Mentalem Orationem.

INTRODVCTIO.

INtroductionis partes sunt quatuor. *1ma*. Definitionem. *2da*. Materiam, *3tia*. Modum meditandi. *4ta*. Ordinem demonstrat.

Quo ad 1mum. Oratio mentalis (praxim fidei Mysterium ascericè meditandi complectens) definitur. Quod sit Instrumentum præstantissimum, necessarium, utilissimum, ac DEO acceptissimum, acquirendæ Christianæ perfectionis, ipsiusq; DEI ac divinorum experimentativæ notitiæ: in qua consistit ratio Asceticæ & Mysticæ Theologiæ. Sed hæc definitio est solum commendatoria & ab effectu desumpta. Unde in veteri summario Asceticæ & Mysticæ Theologiæ parte 1. fol. 629. aliter definitur sic: Oratio mentalis est elevatio mentis in DEUM per quam sine strepitu verborum, vel mala deprecamur, vel bona nobis alijsq; poscimus, vel DEUM laudamus, honoramus benedicimus, vel DEO gratias agimus, dilectionem nostram pandimus.

Quoad 2dum. Materia Orationis duplex *Communis seu Remota*, quæ omni Theologiæ competit, & remotè disponit voluntatem ad amandum DEUM Et hæc est S. Scripura, imò omnis creatura. Asceta enim potest elicere bonum, etiamsi ex malo, sicut apis ex luto ceram. Ex peccatore elicit misericordiam DEI, ex dæmone justitiam, ex inferno aversionem à malo, *& Specialis seu Proxima*, quæ efficaciter nos inflammat ad amandum, timendum & imitandum DEUM. Talis est Passio CHRISTI, & quatuor novissima. Quia hæc plus & propinquius quam cætera nos tangunt & concernunt.

Quoad 3tium. Oratio mentalis duobus modis instituitur. *1mò.* Sigillatim ac membratim, puncta Mysterii considerando; sed in hoc intellectus magis

gis operatur consideratione, quâ voluntas affectu, 2dò. Simul totum Mysterium intellectu apprehendendo, & voluntate excitando, affectus, actusq; eliciendo.

Quo ad 4tum. Ordo & modus optimus dividendo in dies septimanæ materiam meditandam. Die Dominico mane, assumatur ad meditandum Mysterium CHRISTI Passionum & actionum in horto. Vesperi verò, Mysterium beneficiorum DEI.

Feria 2da manè. Mysterium proditionis & comprehensionis CHRISTI, & passionum in domo Caiphæ usque ad lucem. Vesperi, de peccatis.

Feria 3tia manè. Mysterium calumniosæ accusationis CHRISTI coram Pilato, & irrisionis ab Herode. Vesperi, de Miseriis.

Feria 4ta manè. Mysterium flagellationis CHRISTI, Vesperi, de novissimo mortis humanæ.

Feri 5ta manè, Mysterium Coronationis CHRISTI spineâ corona. Vesperi, de Novissimo Judicij.

Feria 6ta manè, Mysterium Crucis bajulationis. Vesperi, de Novissimo Inferni.

Sabbato manè, Mysterium Crucifixionis CHRISTI, inter duos latrones, Vesperi Mysterium gloriæ cælestis. Quolibet die Communionis, Mysterium Sacrosanctæ Eucharistiæ.

PRAXIS.

Mentaliter Orandi.

ORatio Mentalis tres habet partes: Preparationem, Meditationem & Conclusionem, Præparatio tribus constat particulis *unam* constituit

apprehensio præsentiæ Omnipotentis DEI, illiusq; submissa mente adoratio & confessio. Quod per tales potest fieri actus. Te unum in TRINITATE Personarum, & Trinum in Unitate substantiæ pronus adoro. Te Dominum meum, & DEUM meum fideliter confiteor. *edam* particulam constituit, Imploratio Cælestis auxilij ad repellendas tentationes mentem distrahentes, ac studium orationis perturbantes; gratiæquè divinæ intellectum illuminantis & voluntatem commoventis ad devotè orandum ac incitantis ad fugienda mundana & insequenda cælestia. Cujus rei tales esse possunt actus. Adjuva me & salvus ero, & meditabor in justificationibus tuis. Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas. Mentem meam imple superna gratia ad contemnendum mundum, meq; ipsum abnegandum, & ad cælestia magis ac magis cognoscenda & appetenda. *ztiam.* particulam constituit applicatio mentis & imaginationis ad Mysterium seu Objectum de quo instituenda est Meditatio.

Meditatio tribus item particulis constat, quarum primam constituunt Considerationes intellectus: alteram vero atq; tertiam Affectus & Actus Voluntatis.

Considerationes quidem cujuslibet Mysterij seu materiæ ad meditandum venientis sex assignantur. Uti sunt: Quis, Quæ, A quo, Pro quo, Quomodo, Quam ob causam. Affectus autem & Actus multiplicantur magis vel minus, pro opportunitate ac devotione Orantis.

Idem

Idem quippe ſunt Conſiderationes juxta ſui nominis Ethymologicam ſignificationem, quod conſidentis rationis ſtudioſæ recogitationes veritatum alicujus Myſterij ad meditandum aſſumpti, jam ſcilicet ante hac per quæcunq; ſtudia intellectiva inventarum.

Affectus vero idem ſunt, quod motus voluntatis necdum efficacis, ut pote paſſivè ſe habentis, excitati ab objecto ſpirituali cum gratia DEI prævenìente, ad aliquid fugiendum, quod eſt DEO exoſum; & inſequendum, quod eſt DEO gratum.

Actus denique idem ſunt, quod motus voluntatis efficacis, ut pote activè ſe habentis, gratiâ auxilij comitantis cælitus adjuti, atq; in DEUM, ut ſummè honorabilem, amabilem, imitabilem, laudabilem directè elevati. Ac inde dicuntur actus Anagogici, id eſt affectus ſurſum acti, vel ſurſum ducti. Anagogia enim juxta D. Bon: dicit ſurſum actionem, ſeu ſurſum ductionem. Ubi autem hujuſmodi actus evaſerint ferventes, ac ſapore virtutum Aſceticarum ſatis fuerint conditi, jam ab Aſcetis alternatim dicuntur actus affectuoſi, id eſt fervidi ac inflammati, & affectus actuoſi, id eſt activitate ſua mentis humanæ Aſceticè purgatæ menti Divinæ Unitivi.

Nota indè, quod meditatio ingrediens Orationem non eſt intellectiva ſed affectiva. Meditatio namq; intellectiva dicit inquiſitionem veritatum alicujus Myſterij, prius propter ipſum ſcire ab Aſcetis extra Orationem exercendam per ſtudia *videlicet* piarum lectionum, per inſtructiones Magiſtri Spiritu-

alis,

alis, per conferentias cum ſpiritualibus perſonis, per operationes ſeu diſcurſus proprij intellectus; ac demum per documenta S. Scripturæ & SS. Patrum. De hac Meditatione eſt illud *Pſ: 118.* ſuper omnes docentes me, intellexi, quia mandata tua quæſivi.

Meditatio autem affectiva, dicit inquiſitionem piarum affectionum per ſtudioſas recogitationes alicujus Myſterij veritatum, earumq; ad meditantis conſcientiam reflexionem; à qua ſtimulata voluntas, pium concipit affectum, qui citò excreſcit in ipſum actum Divini *ſcilicet* amoris, peccatorum deteſtationis, aliosquè ſimiles. De hac Meditatione illud eſt *Pſ: 18.* Meditatio cordis (id eſt affectus) mei, in conſpectu meo ſemper. Et *Pſ: 38.* Concaluit (pia affectione) cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis (actuum anagogicorum.)

Nota item, quod affectiva Meditatio (juxta D. Bon:) eſt quaſi medij animi actio, *id eſt* omnium virium animæ rationalis exercitatio. Nam ad formandas conſiderationes & concipidendos affectus, & producendos actus tota anima noſtra debet eſſe intenta ſecundum omnes ſuas vires. Uti ſunt Ratio, Syntereſis, Conſcientia & Voluntas. Ubi enim v.g. de Inferno, vel Gloria cæleſti meditatio inſtituitur. Ratio proponit: Quis condemnabitur? vel Quis ſalvabitur? *Syntereſis* vel alias Intelligentia ſimplex per Meditationes intellectivas inſtructa reſpondet. Damnabitur, habens hæc ſigna N.N. reprobationis. Vel ſalvabitur, habens

signa hujusmodi N.N. prædestinationis. Ratio tali responsione accepta atq; recogitata convincitur ejus veritate: quam protinus reflectit ad conscientiam suam, cum qua examen constituit de homine suo, habeatnè hujusmodi recensita signa nec ne? *Conscientia* uti suorum malorum & bonorum conscia, quod verum est fatetur, eoquè ipso stimulat voluntatem, quatenus altera signa fugiat, altera insequatur. *Voluntas* inde pio commota affectu mox actu ipso sursum elevata, detestatur coram DEO causas reprobationis, & orat sibi dari cælitus causas prædestinationis.

Nota deniquè Quod Oratio Mentalis dum est in acquirendo (qualem puta esse Incipientium) habet Meditationem affectivam, opus spiritus pugnantis: dùm verò est in esse acquisito (qualem puta esse proficientium & perfectorum) habet contemplationem ordinariam, opus spiritûs quiescentis. Meditatio quidem considerans ac recogitans veritates Mysteriorum fidei aspicit illas per aliud, vel alias assentitur ipsis propter aliud; quod puta esse propositiones ex natura sua magis notas, similitudines, probationes, testimonia S. Scripturæ atq; documenta SS. PP. quibus ratio convincitur, & voluntas in obsequium Christi captivatur, ac sensim ipsius amore inflammatur. Contemplatio verò easdem veritates recogitans simpliciter (id est absquè hujusmodi alio) eas intuetur; & voluntas amore cælesti satis inflammata, protinus celeri volatu actuum suorum transfertur in DEUM.

Conclusio etiam tribus constas particulis. 1ma. con-

continet septem petitiones Orationis Dominicæ, mente sursum ducendas, quarum Ordo licet juxta S. Bonaventuram posset inverti, potiùs tamen sic ponatur, sicut ipse CHRISTUS Dominus disposuit, cum exordio quod mentem attentam DEO facit, si fiat humiliter, serventer, & reflexè. *Pater noster &c.* id est; *Pater* cujus filij sumus, non per naturalem generationem, sed per Spiritualem regenerationem, ac supernaturalem gratiam & adoptionem. *Noster.* qui sumus unius Voluntatis, ac unius moris in domo Ecclesiæ tuæ. *Qui es in Cœlis*, per gloriam, in Inferno per justitiam, ubique locorum per potentiam, præsentiam & essentiam, in animabus justis per gratiam, quæ scilicet secundùm suas conscientias adinstar corporum Cælestium sunt mundæ, claræ & perspicibiles; secundùm Voluntatem firmæ ac stabiles in optimis propositis, secundùm habitus ornatæ Stellis Virtutum; secundùm charitatem semper fervidæ ac mobiles.

Petitio 1ma. *Sanctificetur Nomen Tuum.* id est: rogamus Te Pater Sanctissime, ut clarificetur quanto citiùs apud nos mortales in toto Orbe terrarum Sanctitas Nominis tui Divini (quæ est una in Substantia, & TRINA in Personis) per tuæ Fidei, Spei & Charitatis practicam cognitionem, ut ab omnibus nobis ubique locorum unanimiter perpetuò adoretur, glorificetur, magnificetur & super exaltetur. Clarificetur item apud temetipsum in nobis famulis tuis, Sanctitas Nominis tui per donum claræ visionis, securæ tentionis,

&

& jucundæ fruitionis, ut tandem æternè beati, invicem nobis gratulantes exultemus.

Petitio 2da. *Adveniat Regnum tuum* id est: præsta ut Regnum tuum Ecclesiæ militantis omnibus infidelium Regnis quàm primùm dominetur suo spirituali regimine. Præsta item, ut in Regno tuo nostræ Congregationis Minoriticæ non regnet aliqua Regulæ Seraphicæ prævaricatio, sed vera formalis ac spiritualis observantia: & Ascetica proprij amoris atque propriæ voluntatis, proprijque Judicij abnegatio, ac perfecta Domini nostri JESU CHRISTI imitatio. Præsta itidem, ut Regnum tuum Ecclesiæ triumphantis quam citissimè compleatur, in quo gloriosè & absolutè, tu solus regnaturus es absque ullo adversario, in nobis quidem famulis tuis per gratiam & gloriam, in inimicis verò, ac legis tuæ trangressoribus per justam punitionem sempiternam.

Petitio 3ta. *Fiat Voluntas tua, sicut in Cælo & in terra*, id est: fac tua gratia efficaci, ut sicut cælites complerè Voluntati tuæ Divinæ conformes in æternum existunt, ita & nos terrigenæ eidem plenè conformemur, tam secundùm legem præcepti, quam secundùm legem consilij, in fugiendis videlicet malis, prosequendis bonis, & sufferendis adversis.

Petitio 4ta. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, id est: concede ut cunctis diebus nostris cum debita præparatione recipiamus panem nostrum supersubstantialem cælitùs nobis donatum, Corporis Christi Domini ac Salvatoris nostri:

concede item, ut Anima nostra percipiat semper Panem spiritualem Cælestis illuminationis & inflammationis, gratiæq; Sanctitatis abundatioris, ex apprehensione Verbi tui Divini auditi nimirum, lecti & inspirati. Concede item panem corporalem in congrua sufficientia hac die, præsentis vitæ (per quam intelligimus omne illud instans, quo nostra mortalitas conservatur, uti est victus, amictus & domicilium) ad serviendum tibi commodè, absque mundana solicitudine.

Petitio 5ta. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* id est: ita ignosce nobis delicta nostra, quibus te quandocunque offendimus, tum ratione culpæ mortalis & venialis tum ratione pænæ æternæ ac temporalis, hujus futurique sæculi, sicut & nos tuâ adjuti gratia ignoscimus nostras offensas ac injurias adversarijs, inimicisque nostris, nullam ex eis coram te, & coram hominibus satisfactionem requirentes, tam in præsenti, quam in futuro sæculo.

Petitio 6ta. *Et ne nos inducas intentatiom.* id est: non permittas nos eatenùs tentari, tum per Satanam transfigurantem se in Angelum lucis, tum per dæmonium meridianum, ut prorsus decepti ementita specie spiritualis boni aut melioris aberremus infeliciter à via tuæ veritatis ac justitiæ. Non permittas item contra nos prævalere nostrasmet passiones, atque concupscentias, ne illis debilitati deficiamus à studio vitæ spiritualis, tandemque pereamus.

Petitio 7mâ. *Sed libera nos à malo.* id est: salva

nos

nos tum ab omni poteſtate diabolica, in qua detinentur hic omnes impiè agentes, & illic omnes æterna ſupplicia perferentes. Tum ab omni peccato recidivationis & lapsûs, quod de dono tuæ gratiæ deteſtamur, & pro cunctis dolemus. Ut ab omni malo liberati, ad cæſtem beatitudinem perducamur, ac ſvaviter canamus:

Ecce quod ante credidimus,
Quòd diutinè ſperavimus,
Quod continuè dileximus,
Jam nunc ipſum clarè videmus;
Jam ſeccurè modo tenemus
Jam gloriâ fruimur ejus.

2da. Concluſionis particula. Obſecrationem DEI humillimam ac ferventiſſimam continet, pro obtinenda cæleſti crnfirmatione omnium actuum voluntatis noſtræ in præſenti oratione elicitorum. Cujus quidem obſecrationis fit hujuſmodi actus ex Pſ: 67. Confirma hoc DEUS, quod operatus es in nobis, id eſt: Obſecro Domine DEUS, quatenus confimare digneris hos omnes actus noſtros, per gratiam tuam ſubſequentem, quos operatus es in nobis ſervis tuis per gratiam prævenientem, atq; nobiſcum per gratiam concomitantem. Confirma obſecro, obſecro, obſecro per tua omnia ſacra, Amen, Amen, fiat, fiat.

3tia. Particula Concluſionis habet perpetuam præſentis Orationis continuationem; nam oportet ſemper orare (ut habetur Luc: 18.) & non deficere, ac item monemur 1. Theſ: 5. ſine intermiſſione orate. Quod non ſic debet intelligi, quaſi

jam

jam nil aliud facere debeamus, nisi solùm preces dicere. Sed ita ut in omni cogitatione, verbo & opere, dirigatur cor nostrum ad præsentem nobis Dominum DEUM, offerendo ad ejus gloriam & amorem omnia per internos affectus: ut ait Sanctus Paulus ad Colossen: Cap: 3. Omne quodcunque facitis in verbo, vel in opere, omnia in Nomine Domini JESU Christi facite, gratias agentes DEO & Patri per ipsum. Unde juxta SS. PP. illi semper & sine intermissione orant, qui semper benè agunt, id est, qui continuò præceptis DEI obediunt, operibus pietatis seu misericordiæ diligenter insistunt, vota cæteraq; obligatoria suæ professionis studiosè implent, in mortificatione passionum ac vitiorum suorum, & exercitio virtutum jugiter proficiunt, occurrentibus quibuscunquè tentationibus strenuè resistunt, jaculatorijs oratiunculis Cælo sæpissimè vim faciunt, ac tandem horis destinatis eandem orationem quotidie restaurant.

Nota Quatuor esse impedimenta Orationis mentalis. *1mum est.* Culpa mordens, tam scilicet realis, non deleta per pœnitentiam, quam ficta, per scrupulosam conscientiam *2dum.* Cura pungens. id est: nimia solicitudo animi de acquirendis quæ inaniter amantur; ac de cavendis, quæ vanè timentur. *3tium.* Sensus egens, puta, dormitione, calefactione, refrigeratione, potu, cibo, sanatione. *4tum.* Phantasmata irruentia, id est: Species seu imagines eorum sese repræsentantes animo, quæ vidimus, audivimus, egimus, sustinuimus.; Vel quæ speramus, desideramus &c.

Nota

Nota item. Quatuor esse quæ promovent studium Orationis mentalis *1mum est*: iuge desiderium proficiendi in vita spirituali, in gratia DEI, in imitatione Christi. *2dum.* Frequens renovatio præsentiæ Divinæ per mentis crebro in Cælum elevatas directiones. *3tium.* Omnium nostrorum studiorum, negotiorum, intentionum ad majorem gloriam DEI, ordinatio. *4tum* Lectio piorum ac spiritulium librorum conferentiarum, spiritualium usus, exercitatio mentis in meditationibus Divinorum intellectivis.

Nota tandem esse alium modum mentaliter orandi, qui juxta communem usum Ascetarum sex partibus constat: quarum est *1ma.* Præparatio nimirum faciens mentem divinis, ipsique attentam. *2da,* Lectio devota meditationis materiam præbens *3tia.* Est ipsa Meditatio, cujus est recogitare piam lectionem, illiusq; sensum reflectere ad mores, affectiones, ac studia meditantis, & scrutari diligenter utrum nam hæc recensita, conformentur sensui lectionis recogitatæ; ac tandem corripere quæ sunt correptione digna, detestari quæ sunt detestanda, insequi quæ sunt insequenda credere quæ sunt credenda sperare quæ sunt speranda, amare quæ sunt amanda, eligere quæ sunt eligenda: *4ta* pars est, Gratiarum actio. *5ta.* Oblatio. *6ta.* Petitio.

MODVS.

Mysteria Passionis Christi asceticè meditãdi.

QUoniam dictum est supra, tertiam particulam præparationis ad Orationem mentalem, esse

applicationem mentis, & imaginationis ad Mysterium seu Objectum de quo instituenda est Meditatio. Passionis autem Christi Mysteria sunt per dies distributa, de quo supra, ideo pro juvanda, aliquo modo imaginatione, & clariori apprehensione Mysteriorum, ejus placuit, (propter imperfectiores & incipientes) nonnulla subsidia & adminicula ex circumstantijs Historiæ apponere, priusquam descendamus cum Authore ad Considerationes.

Die Dominico, Christus in horto. Apprehende illa verba: cœpit pavere & mæstus esse; deinde procidentem Christum in terram resignatissimè orantem, extremè agonizantem, & violentissime ob tremorem cordis, ossium & juncturarum (ut notat S. Justinianus) apertis poris totius corporis, sudore ordinario deficiente sanguinem sudantem copiosè; tanquam fontem decurrentem, super terram; cujus guttas *S. Brigitta in revel. numeravit* 118225. & sic sine omni adjutorio humano, exanimem penè in pulvere mixto sanguine sese, volutantem, donec Angelus confortans eum, comparuisset.

Feria 2da. Captivatio. Apprehende quam inverecundé rubentibus adhuc sudore sanguineo genis Christi, fætida Judæ labia proditorium infigunt osculum; ad quod recipiendum benignissimus Agnus Judæ, qui pusillioris staturæ erat, se inclinat, amicabiliter salutat. Apprehende adhuc quomodo cum nocturno tumultu commota tota Civitate à ferocissimis, & bina allisione sui ad terram exacerba-

cerbatis militibus, tantoq; numero, id est 730. nam tota legio erat, (ut revelatum S. Brigittæ) immaniter projectus ad terram, pedibus tunditur, conculcatur, præter funes, ferreis oneratur catenis, collum manusque ejus ligantur, trahitur potius quam ducitur ad Principes Sacerdotum, per vicos plateas, fetulentúmque fluvium Cedron, qui penè latrina Civitatis erat, viginti tribus vicibus (ut refert Sancta Brigitta) per viam allisus terræ, ab eaq; toties funibus & capillis elevatus, in aulis Principum confusus, alapizatus, consputus, & quæquè indignissima tota nocte à vilissimis hominum passus.

Feria 3tia. Accusatio. Recogita adinventiones calumniarum contra Christum, testium, falsorum, quos nec tres etiam pro pretio cōquirere poterant contra innocentiam ejus. Cogita quomodo clarâ die, longo viarum tractu, ut latro nocturnus proclamatus ad curiam spectante populo cum ijsdem ut supra illusionibus deducitur, præsentatur, accusatur coram Ethnico Judicè, missus Herodi, ut scurra & fatuus ab ipso cum suo exercitu spernitur, exsibilatur; remissus iterum, à Præside examinatus, stupende in sua causa silet.

Feria 4ta. Flagellatio. Imaginare Christum tot jam ictibus conquassatum columnæ uno & medio cubito à terra elevatæ, ut circum circa corpus totum plagis pateret, in foro turpiter denudatum, alligatum, flagellari acerbissimè. *imò.* quia secundùm plures, per unam & mediam circiter horam, *2dò.* quia ab alternatim succedentibus sibi condu-

ctis pretio militib⁹;qui juxta revel. B. Mariæ Agredi erant 6. crudelissimi. 3tiò. quia plagis numerosissimis 6666. (ut refert S. Brigitta) Tandem considera rescisso fune cadentem in terram, & inter profluvia sanguinis, calcatasq; sacræ carnis suæ particulas reptando quærentem suam tunicam ablatam per malitiam Judæorum.

Feria 5tâ. Coronatio. Statue tibi Christum caput suum venerandum jam lividum, cruentum, contusum, novo sæculis inaudito subijcientem tormento, scilicet spineæ aculeatæ firmissimis vepribus marinis coronæ, quæ manibus etiam carnificum intangibilis, partim vectibus, partim armatis manicis, sacro ejus capiti hinc & inde, sic vel aliter apta batur, imprimebatur novis semper cum vulneribus. S. Brigitta notavit guttas tum sanguinis, 3345. Vectium ictus ad coronam 40. Vulnera 1000. aculeos cranium terebrantes ad cerebrum 5. qui autem hæserunt in cerebro 3. hinc laceratis venarum omnium fontibus in cerebro ingentem copiam sanguinis, ore, naso, auribus effluxisse, observat S. Bonaventura.

Feria 6tâ. Decretum. & bajulatio Crucis. Siste te mente in illo amplissimo foro, inter tot millia, Christum blasphemantium, illorum etiam, quorum, mutas reseraverat linguas. Audi improbas voces, Principum, Sacerdotum, Seductorem proclamantium. Cerne jam illusum velut Regem à militibus, jam à Pilato cum nequissimo Barabba comparatum, totiq; populo expositum; tandem voce populi & decreto injusti Præsidis decretum

acce-

accepisse ignominiosissimæ mortis. Vide Christum oneratum gravissima cruce, quæ erat longitudinis pedum 15. latitudinis 8. ex ligno ponderoso, nam querco, ut sentit S. Gregorius Nisen: & Christi dorsum jam erat flagellis desulcatum ac debilitatum, attendè JESUM libenter Crucem suscipientem, tremulis genibus gradientem, nimio pondere pressum, quinqvies cadentem ubiq; sangvinea vestigia relinquentem & obviæ sibi dolorosissimæ V. Matri suæ compatientem: per longa Civitatis & suburbiorum itinera compellentibus Judæis conscendentem in montem Calvariæ.

Sabbato Crucifixio. Jam te hic junge beatæ illi Sodalitati cruci adstantium: nudandus, erat in facie tanti populi iterum JESUS, inconsutilis tunica stricta à capite erat, unde deponenda vel evellenda ex cerebro & craniis iterum spinea coronâ; nudatur ergo cum novis ob accretam sanguine vestem vulneribus: corona iterum eidem restituitur loco, & quantò magis aberrat manus tortoris à prioribus aculeorum locis, tanto magis sauciatur caput mei Salvatoris. En jam crucifigitur; Considera *locum*, in monte latronum, & in medio latronum, *tempus* ipsam meridiem, & Antipaschales ferias, adeoq; confluxum populorum undiquè. *Modum S. Bonav: in medit: scribit:* Præacutâ sude prius Christi pedes & manus perforatas, ut facilior clavo configenti pateret transitus, *Lansber. apud Sylveir.* dicit: cuidam revelatum ictus mallei 36. in crucifixione fuisse, cum grandi motu

omnium arteriarum corporis. Acclavatus Cruci Christus, tunditur pedibus, & conspurcatur 71. sputis hostium (ut revel: B. Birgit.) trahitur cum cruce per saxa subsilience, elevatur & casu an nequitia tortorum jam elevatus cum cruce in terram labitur, concutitur (ut revel: B. Veron:) terra tremit, mortui resurgunt, luminaria cæli obscurantur, Mater Sanctissima dolet, ultimas JESUS supplicationes cum clamore valido, & testamenta facit; post exspirium latentem adhuc in corde guttam sãguinis, ex aperto lãceâ latere ingrato profũdit mundo. Jam ergo descendim' ad Considerationes.

CONSIDERATIO I.

Ratio proponit. Quis est qui patitur? *Synteresis*, vel alias intelligentia simplex respondet. Patitur JESUS, filius Joseph à Nazareth (*Ioan. 1. v. 41. & 45.* in lege à DEO promissus Messias, id est Christus, Unctus, Sanctus Sanctorum, juxta Prophetiam Danielis. *c. 9.* Ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Et paulò inferiùs. Post hebdomades 62. occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Dicitur autem Christus tripliciter Sanctus Sanctorum. *imò.* Quia ipse est Sanctus substantialiter ac naturaliter; cæteri verò accidentaliter: nam ut est Filius DEI Unigenitus, ab æterno à Patre suo Sanctificatus est per generationem sui; de qua Sanctificatione est Joan. 10. Quem

Pater

Pater sanctificavit (communicando illi suam substantialem, naturalem, ac Divinalem Sanctitatem) & misit in mundum. Ut autem est Filius hominis, sanctificatus est per communicationem sibi Personæ Divinæ. Ubi humanitas ejus in instanti suæ conceptionis de Spiritu S. unita est Divinitati in una Persona Verbi, juxta illud *Ioan:* 1. Verbum (quod erat DEUS) Caro factum est. Vel alias, incarnatum est, seu carnem animatam assumpsit; ac ita Christus, est DEUS humanatus & Homo Deificatus. Eapropter ipse Christus dicit se & Filium DEI, & Filium hominis, ut patet *Ioan.* 3. Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Et *Matthei* 16. Quem dicunt homines esse Filium hominis. Est enim verus DEUS, quem facit sola Veritas Divinæ naturæ, & est Verus homo, quem facit sola Veritas humanæ naturæ; Unde S. Paulus dicit *Phil:* 9. Christum duas habere formas *id est* naturas, formam DEI, & formam servi. Quod etiam S. Mater Ecclesia confitetur in Symbolo S. Athanasij dicens: Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster JESUS Christus DEI Filius, DEUS, & Homo est. *Et paulo post*; sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita DEUS & homo unus est Christus, qui passus est pro salute nostra.

2dò. Christus Dominus noster dicitur Sanctus Sanctorum quia ut homo, Sanctus est primitivè, cæteri vero participativè. Ita enim à Spiritu S.

in instanti suæ conceptionis sanctificatus est, personaliter super se requiescente, per infusionem sibi septiformis summæ gratiæ, (juxta Isai. 11. Et requiescet super eum Spiritus Domini &c:) ut nullus unquam inveniatur in terra atq; in cœlo Sanctus ac DEO gratus, qui non participet de ipsius sanctitate, gratia ac meritis, per usum Sacramentorum, suiq; imitationem; juxta *Ioan. 1.* De plenitudine ejus (sanctitatis *videlicèt* gratiæ ac meritorum) nos omnes accepimus: quia lex per Moysen data est, gratia & Veritas per JESUM Christum facta est. Et *Luc. 2.* Plenus Sapientia, & gratia DEI (summè summa) erat in illo.

3tio. Christus Salvator noster dicitur Sanctus Sanctorum; quia in eodem instanti suæ conceptionis à Spiritu S. sanctificatus est principaliter. Ut potè in Principem Prophetarum, Sacerdotum & Regum; cæteri verò ætate progrediente sanctificantur dependenter in Prophetas, *nimirùm* Sacerdotes & Reges, velut in ejus Vicarios. Quidam enim istorum præcesserunt Christum nonnisi in figura actionum & passionum suarum repræsentativa; quidam verò subsequuntur in ministerio, ut potè prædicationis, Sacramentorum administrationis, jurisdictionis, & Imitationis De hac sui sanctificatione affirmat ipse Dominus JESUS in Synagoga sedens (Luc. 4. prophetasse suum Prophetam his verbis *Isai:* 61. Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus. Et Actor. 10. De eadem sanctificatione sic dicitur: JESUM a Nazareth, quomodo unxit (id

est

est sanctificavit) eum DEUS Spiritu S. Idem enim est unctus, quod sanctificatus; nam qui consecrantur seu sanctificantur, illi unguntur; dumq; unguntur, eò ipso sanctificantur.

In Principem quidem *Prophetarum* unctus ac sanctificatus est Dominus JESUS. *Tum* ut denuntiaret principalia seu summè summa, ac summè occulta Mysteria Sanctissimæ TRINITATIS & suæ Incarnationis: *Tum* ut interpretaretur verbo & exemplo summa & arcana DEI præcepta & consilia. *Tum* ut prænuntiaret futuros eventus omninò infallibiles. Unde est Luc. 7. Propheta magnus surrexit in nobis, & quia DEUS visitavit plebem suam, juxta promissionem factam Moysi. *Deut 18.* Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui (in traditione legis ac testamenti novi) & ponam verba mea in ore ejus. In Principem verò *Sacerdotum* seu Pontificum sanctificatus est. Ut noster esset Mediator & Advocatus apud DEUM pro nobis satisfaciendo, sacrificando, & intercedendo, juxta *Psal. 109.* Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Merlchisedech. Et Hæbreos. 5. Christus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à DEO Pontifex.

In Principem deniq; *Regum* unctus ac sanctificatus est, ut toti mundo præesset suo imperiò, & judiciaria potestate, juxta *Apoc: 1.* Princeps Regum terræ. *Ibid: 19* Rex Regum, & Dominus Dominantium. Et *Actor: 10.* Ipse est constitutus à DEO Judex vivorum & mortuorum. Et Math. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.

Ratio

Ratio hujusmodi responsionem recogitans assentitur ejus veritati, ac inde venit in magnam admirationem, quòd Judæi per suam malitiam excæcati, Messiam suum in lege promissum, & apertissimè demonstratum, non solum non receperunt, verùm etiam pro latrone reputaverunt, juxta *Ioan:* 1. In propria venit, & sui eum non receperunt. Et *Isai* 53. Cum sceleratis reputatus est. Eandemq; veritatem ad conscientiam suæ animæ reflectit, examen cum ea instituens de homine suo: veraciterne ac fideliter Christum receperit in DEUM ac Dominum suum, firmiterne ei adhæserit fide, spe, & charitate? an verò instabiliter facilè recedendo ab ejus amicitia, passim mandata ejus transgrediendo, vocationem ac inspirationes ejus vilipendendo &c.

Conscientia. bonorum & malorum sui hominis conscia, arguit eum quod simulatè potiùs quam sincere Christum eceperit, eiq; per suam professionem instabiliter adhæserit; cum ad gratiam ipsius vocationis non attendat ut oportet, ad exercitium internæ mortificationis, ad studium virtutum Asceticarum &c: quo ipso stimulat ejus voluntatem quatenus deinceps Christo diligentius adhæreat.

Voluntas. inde pio affectu permota, recipit Christum sincera mente cum tota ejus Ecclesia in DEUM, Dominum ac Salvatorem suum, eumq; ut talem adorat, & confitetur actibus fidei; atq; invicem desiderat ab eo recipi in servum perpetuum B.V. MARIÆ, totiusq; cælestis Curiæ, ad quem effectum consequendum hujusmodi actibus utitur.

Actus,

Actu, Verè tu es DEUS abſconditus (ſub regumento humanitatis) DEUS Iſràél Salvator. Tu es Chriſtus Filius DEI vivi. Dominus meus & DEUS meus. Credo te DEUM meum, ſcilicet agnoſco, annuntio toti creaturæ deſideratiſſimum à ſæculis Meſſiam, adoro te Authorem naturæ meæ per creationem, meæ gratiæ per Redemptionem, meæ gloriæ, per infinitum meritorum tuorum valorem. * Credo tibi DEO meo ſicut Principi Prophetarum, adhærendo firmiter eis quæ docuiſti, inſtituiſti, præcepiſti, conſuluiſti. Credo in te, ut ſummum Sacerdotem, Satiſfacientem, intercedentem, offerentem ſe pro nobis; mea omnia, Tuis uniendo in Te meritis, æterno Patri & Tibi in holocauſtum medullatum offerendo. Credo in Te ut Regem Regum & Principem; in tuo ſervitio ad quod me ſpecialiter vocare dignatus es, ſuper omnia mundi honorabilia, delectabilia, complacendo. Suſcipe me in ſervum tuum & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. Ne projicas me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me. In toto corde meo adhæſi tibi Domine, ne repellas me à mandatis tuis. Tuus ſum ego ſalvum me fac, quoniam juſtificationes tuas exquiſivi, ſemperq; exquiram. Juſtificationes tu tuas cuſtodiam, non me derelinquas uſquequaq; Confitearis me coram Patre tuo, Angelis ejus, Sanctis tuis ſicut promiſiſti. Virgo Mater pijſſima, oro ut per te me recipiat in ſervum ſuum perpetuum, per quam datus eſt nobis in Salvatorem. Omnes SS. Beatorum Spiritum Ordines omneſq;

San-

Sancti & Sanctæ DEI, oro per vestram intercessionem recipiat me Dominus meus in perpetuum sui sectatorem, & faciat me participem vestræ Sanctitatis ac æternæ salutis Amen.

Vivat Rex noster JESUS. ℟. Vivat. Vivat. Hosanna Filio David. ℟. Hosanna inexcelsis.

CONSIDERATIO II.

R*Atio proponit.* Quæ Christus patitur? *Synteresis respondet.* Patitur nimium in anima mærorem, & summum in corpore dolorem, prout historia ad meditandum occurentis mysterij testatur, juxta illud Jer: Thren: 1. Attendite & videte si est dolor sicut dolor meus. Intensio autē dolorū Christi quod fuerit summa, inde colligere potes * *imò.* in anima exeo, quod ipsa fuerit perfectissima, ideò habebat vires & potentias internas sagaciores, vitaliores, adeoq; sensibiliores. Intellectus perfectissimè dignitatem suæ personæ, adeoq; gravitatem scelerum, quæ tunc committebantur contra ipsam, perpendebat; imò cognita habuit omniū hominum peccata præterita, futura, & præsentia. Item numerum tot millionum hominum pro quibus sufficienter patiebatur, tamen damnandorum: tandem voluntas ejus radicaliter Sancta, omnem etiam in aliis peccati speciem aversabatur; inde erat, quod malitia, ingratitudine, damnatione, dilecti sibi generis humani, anima illa Sanctissima intensiùs affligeretur. *In corpore* autem ex eo præcipuè, quia delicatissima, subtilissima, adeoq; sensibilior aliis sacra ejus caro erat; & hoc partim

tim ex naturali temperamento complexionis, partim quia ex intaminato ſanguine Virgineo concepta, benedictoq; ejus lacte enutrita erat. *Ratio* Veritatem reſponſionis comprobat; indeq; argumentatur cum conſcientia animæ ſuæ: ſi Chriſtum caput noſtrum myſticum oportuit tanta pro nobis pati, & ita intrare in gloriam ſuam? quomodo nos membra ejus non oporteat pati, pro ipſius honore quæque adverſa, ut in gloriam ejus cum ipſo intrare valeamus? cùm dictum ſit 1. *Tim:* 2. Si compatimur, conregnabimus. *Et* 2. *Cor.* 5. Si fuerimus ſocij paſſionum, erimus & conſolationum.

Conſcientia impatientæ animæ ſuæ conſcia arguit eam quod Chriſto adhærens, nolit ad ipſius imitationem pati adverſa; magiſq; ſibi ipſi compatiatur iniqua compaſſione in parvis aut fictis injurijs, quàm Chriſto in maximis: eò quod ſeipſam plus priuſquè dilexerit, quam Chriſtum Dominum Salvatorem ſuum. *Voluntas* inde permota mox in Actus prorumpit compaſſionis cum S. Petro de Alcantara. ❁ Heu mihi! omnes creaturæ etiam ſenſu carentes compatiuntur Redemptori meo, ego ſolus cujus cauſa Chriſtus paſſus eſt, miſericordia non moveor. O quam dilectus meus candidus, *innocentia*, rubicundus *plagis*, comæ capitis *mille vulneribus ſanguinolenti*, ſicut purpura. Aufer à me Domine cor lapideum, da carneum ſuavi mærore vvlneratum fiatq; tanquam cera liqueſcens in medio mei. Ttransfige animam meam gladio doloris ſuper doloribus tuis pone eam in amaritudinibus ſacræ compaſſionis. Nolo Domine vivere ſi-

re ſine vulnere, quia te video vulneratum, nolo honorum coronas, delicias, commoda etiam licita ſtatui meo, quia te video deſpectibus circumdatum, & extremè miſerum, non habentem ubi reclinares caput tuum. Jam amplius omnis tribulatio ſit mihi roſea, omnis delectatio, ſit mihi ſpinea. Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum. Omnia volo mala pati, nihil deliciarum & commodi volo. Utinam ſim tecum ipſe confixus Cruci. Quis mihi det, ut vere tibi compatiar compaſſione affectus & effectus. Accepto gratantiſſimè, quodcunq; genus injuriarum, calumniarum, infirmitatis, mortis deniq; juxta placitum tuum mihi deſtinatorum.

Nota. Quòd compatimur Chriſto compaſſione internâ ſeu affectus; ubi conſideramus nimios ejus cruciatus ex impietate ſuorum inimicorum provenisse: ſed grates illi reddimus,* ubi conſideramus eum hujuſmodi cruciatus voluntariè causâ noſtræ ſalutis ſuſcepiſſe, juxta *Iſaiæ* 53. Oblatus eſt quia ipſe voluit *Ioan:* 10. Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo pro ovibus meis.

Nona item. Quòd compaſſio interior, ſeu affectus mærore afficiens animam, propria eſt B. V. MARIÆ Matris Chriſti, & piarum mulierum cum S. Joanne Cruci adſtantium, atq; omnium contemplativorum meditationem paſſionum Chriſti ſtudioſe exercentium; præſertim verò Sanctiſſimi Patriarchæ noſtri, qui affectu compatiens Chriſto, promeruit pati effective vulnera Chriſti. Compaſ-

ſio

sio autem exterior seu effectus propria est SS. Martyrum pro Christo nimios cruciatus, usq; ad violentam mortem gratanter sufferentium: atq; omnium persecutionem æquo animo ad imitationem Christi sustinentium.

CONSIDERATIO III.

Ratio proponit. A quo Christus patitur, *Synteresis respondet, imò*. Patitur Christus à DEO Patre ex charitate, tanquam à prima causa nostræ salutis reparativa, juxta *Isaiæ* 53. Propter scelus populi mei percussi eum. *Et Rom.* 8. Si DEUS pro nobis, quis contra nos qui etiam Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. *Conscientia* stupet; Quid est homo, quod memor es ejus? quid est, quòd ut servum redimeres, Filium tradidisti? quid est, quod non apprehendisti Si *non assumpsisti reparandos*. Angelos, sed semen Abrahæ? causa est, solum benaplacitum & infinita bonitas DEI. Hinc. *Voluntas* excitata elicit *Actus* ex Pactis Amoris. *Vide infra scalam 2. in Testam.*

2dò. Patitur à satana ex odio & invidia, tanquàm à causa incentiva suorum membrorum instrumentorum, ac filiorum ad opus hujusmodi tyrannicum, realiter implendum, juxta *Ioan*: 8. Vos ex patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. Sunt autem diabolica membra, instrumenta & filij sathanæ, Judas nimirùm, Caiphas, Sacerdotes, Pharisæi, Hærodes, Pilatus, promiscua plebs, ac tandem satellites atq; carnifices Christum

crude-

crudelissimè occidentes. *Conscientia* advertit, quam perniciosum sit fieri membrum Satanæ, obediendo suggestionibus ejus; quia quod ipse dæmon Christum crucifigere, occidere non poterat, poterat hoc & effecit per membra sua; inde reflectit, se quandoq; fuisse vel fieri membrum Sathanæ. Hinc mota *Voluntas* maledicit, abrenuntiat satanæ: Maledicte serpens abiuro renuntio tibi iterum atq; iterum; pono inimicitias æternas inter te & animam meam. Propono amplius caput tuum scilinitia suggestionum malorum conterere, animosè, constanter, fervide resistendo. Libera me de inimicis meis DEUS meus. Obsecro nè quando prævaleat mihi inimicus meus.

3tiò. Patitur à peccatoribus, ex contemptu saltim imputativo, si non formali, tanquàm à causa morali, ex triplici autem ratione sunt causa moralis Christi passionum peccatores tàm præsentes, quàm præteriti & futuri, peccata perpetrando *Tum* scilicet, quia DEUS præscivit omnia peccata nostra ab æterno, eaq; tempore destinato imposuit Filio suo, quatenus pro illis satisfaceret, vel potiùs satis pateretur, juxta Isai 53. Verè laguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Et paulò post: Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Ubi enim genus humanum non peccasset, Christus non fuisset mortuus: sed quia peccavit, & mortem æternam promeruit, ideò Christus mortem temporalem passus est, ut genus humanum à morte æterna liberaret. Unde est *Rom*: 5. Commendat autem charitatem suam DEUS in nobis,

nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. *Tum* quia, ubi peccata committimus, pro quibus Christum scimus esse vulneratum ac mortuum, imputatur nobis apud DEUM, acsi denuo Filij ejus vulnera renovaremus, juxta *Hebr:* 6. Rursum crucifigentes (consequenter flagellantes, spinis coronantes &c.) sibi metipsis Filium DEI: & *D. Bonav.* Vulnera Christi quotidie innovantur, cùm peccati mortalis vulnere sauciantur. Inde est, quod peccantes communiter dicuntur offendere DEUM; & ipsum peccatum vulgo dici solet offensa DEI. *Tum quia* peccatum comittendo, nos metipsos vulneramus, juxta *Prov:* 10. Qui in me (Christum peccaverit) lædet animam suam. Qui enim peccat, simul Christum & animam suam lædit: quia eò ipso resecat se à capite suo ejusq; corpore mistico, sumus enim corpus & membra Christi capitis nostri, ut est *Cor* 14. quousq; in gratia ejus permanemus. Unde *S. Bernard:* in persona Christi arguit peccantem, dicens: Nonne satis pro te vulneratus sum? cur addis afflictionem afflicto? magis aggravant me vulnera peccati tui, quàm Vulnera corporis mei. *Conscientia* tot suorum peccatorum conscia confunditur. *Voluntas* erumpit in.

Actus. Maledicta peccata mea, quibus Domine JESU Vulnera tua sæpissimè infelicissimus homuncio innovavi. Maledicta mea superbia, propter quam tot passus es ignominias. Maledicta avaritia, propter quam omni decore spoliatus es. Maledicta mea luxuria, propter quam tot acerbis &

crudelibus supplicijs ac doloribus affectus es. Maledicta ira, propter quam inenarrabiles sustinuisti injurias. Maledicta gula, propter quam felle & aceto potatus es. Maladicta mea invidia, propter quam nimis tristari, ac totum tuum sanguinem effundere voluisti. Maledicta acedia, propter quam ad tantas pænas festinare dignatus es. Miserere mei DEUS, secundum magnam misericordiam tuam. Quoniam iniquitatem &c. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas nè memineris Domine. Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miserere mei. Domine DEUS detestor, abominor & fugio in æternum omnia peccata mea, quibus Majestatem tuam greviſſime offendi, propter te summè honorandum, amandum, & imitandum, uti infinitè potentem, bonum, & sapientem, & supra omnia detestabilia, abominabilia, & fugibilia. Domine DEUS execror omnem perfidiam, pravitatemq; hæreticam; & fastum, pompam, ac ostentationem mundanam, nec non quãcunquè superstitionem diabolicam, super omnia execrabilia. Domine DEUS confiteor jure jurando Romanam fidem Catholicam, & Dominum Papam N. Supremũ atq; Oecumenicum esse tuum Vicarium.

4to. Patitur à suis discipulis etiam tanquam à sua causa morali, uti ipse conqueritur per suum Prophetam respondens ad illam interrogationem *Zach:* 13. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?

rum? His plagatus sum (realiter quidem) in domo eorum (Abram scilicet Isaác & Jacob) qui diligebant me: sed moraliter in domo Religiosorum fidelium &c. ab illis meis discipulis, qui obstrinxerunt se per suam professionem continuò proficere in dilectione ac imitatione mei, quod tamen negligunt: cùm non attendant uti oportet ad studia vitæ spiritualis, orationis mentalis, internæ mortificationis, ac Asceticæ virtutis.

Conscientia negligentiarum conscia arguit se: Ô sepulchrum dealbatum, ô latrina sordium deaurata foris veste hispida, pallidá facie, verbis, gestibus ad devotionem compositis nitens, intus autem tot negligentijs, imperfectionibus fætens: quid erit quando revelabit Dominus abscondita, tenebrarum tuarum. O Frater N. & Senatorem *scilicet* pompas, delicias mundi amisisti, & Monachum non acquisivisti. S. Ambrosius de Synclet. *Voluntas* accensa desiderio ferventius serviendi Deo, cum firmis propositis elicit *Actus*. Ego Frater N. Voveo & promitto Tibi DEO Omnipotenti, B. Virgini MARIÆ, SS. Apostolis Petro & Paulo B. P. Francisco, omnibus & singulis Sanctis, ac item Summo Pontifici, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Patri Generali, cæterisq; pro tempore superioribus, omnibus & singulis Fratribus, toto tempore vitæ meæ servare Regulam FF. Minorum per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in Obedientia, sine proprio & in castitate. Domine DEUS renovo intentionem meam, omnes cogitationes ac omnia verba, opera mea ad Majorem glo-

riam Nominis tui semper dirigendi; renovo proposita mea, in mortificatione interna & virtute Asscetica, studio orationis mentalis, dilectione inimicorum meorum ad imitationem tui jugiter proficendi.

5tò. Patitur à suis amicis; Porro amici Christi sunt duplices. *1mò.* Consolantes, qui pro zelo fidei, virtutis justitiæ omnia adversa propter Christum patiuntur ex motivo quadruplici, scilicet, Justitiæ Divinæ, cui ob peccata sua multùm se debere sciunt; ratione conformitatis ad voluntatem Divinam; ratione æterni præmii, & amore imitationis Christi. *2dò.* Aliqui sunt affligentes Christum; vel quia *delicati*, sic zelantes pro bono quamdiu honorantur, promoventur; vel quia *politici*, ob supervenientes difficultates, timorem hominum, in zelo tepescentes; vel quia *zelotypi*, si nemini quidem zelo cedentes, injurias tamen suas, defectusq; aliorum nimium taxantes. Ab his ergo amicis posterioribus patitur Christus, tanquam à causa morali, dum exemplo sui, pro veritate, pro zelo secundum prudentiam, pro justitia fugiunt pati contumeliam, & quæcunq; adversa; dum quoq; inimicos suos diligunt non adeo perfecto amore quali ipse Christus dilexit nos suos adhuc inimicos, mortem pro nobis durissimam subeundo: Unde 1. *Ioann* 3. In hoc cognovimus charitatem DEI, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus animas pro fratribus ponere. *Conscientia* imperfecti zeli sui conscia confunditur. *Voluntas* exit in Actus: Utinam Domine

mine zelus Domus Tuæ ſ. fidei; juſtitiæ, Regularis obſervantiæ comedat & depaſcatur animam meam. Domine ſi non ſum dignus vel unam fundere ſanguinis guttam pro Te, totas vires corporis, & animæ ſacrifico, ſuperexaltandæ dignitati Tuæ, & promovendæ uſq; ad ultimum halitum, ſaltim exemplo bono, Regulari Obſervantiæ; etiamſi oportuerit me, mori tecum (confidens in gratia Tua) non Te negabo. Amo Tuam juſtitiam, quæ veros amicos ex prædictis quatuor cauſis plerumq; aſperiùs tractat. Paratum cor meum DEUS DEUS meus, & omnia ſ. Omnia corporis & animæ meæ, honori Tuo, virtuti & perfectioni, impendere ſtatuo.

CONSIDERATIO IV.

Ratio proponit. Pro quo Chriſtus patitur? *Synteresis respondet.* Patitur pro iiſdem peccatoribus, diſcipulis, & amicis ſuis: à quibus ipſemet patitur, ſive realiter, ſive moraliter, ut illis jam ſibi fideliter adhærentibus, promereatur apud Patrem ſuum æternum, veniam, gratiam, & gloriam. Quod autem pronobis paſſus fuerit, patet *Iſaiæ* 53. Vulneratus eſt propter iniquitates, noſtras, & attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Quod etiam promeruit nobis veniam, ſ. peccatorum remiſſionem, patet *Rom:* 5. Cùm inimici eſſemus reconciliati ſumus DEO per mortem Filij ejus. *Actor:* 5. Hunc Principem & Salvatorem DEUS exaltavit *dexterâ ſuâ* ad dandam pænitenti-

am *Israeli*, & remissionem peccatorum. Quod item promeruit gratiam, patet *Ioan:* 1. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per JESUM Christum facta est. Et *Rom:* 7. Gratia DEI (datur nobis) per JESUM Christũ Dominũ nostrum. Quod tandem promeruit nobis gloriam, seu cælestem hereditatem, ac vitam æternam, patet *Ioan:* 10. Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant. *Et Rom:* 8. Ipse enim Spiritus (DEI nimirum manens in nobis) testimonium reddit spiritu nostro, quod sumus Filij DEI; si autem Filij (ergo) & heredes; heredes quidem DEI, coheredes autem Christi. *Ratio* convincitur hujusmodi responsione, ejusquè veritatem reflectit ad conscientiam animæ suæ. *Conscientia* de talibus Chisti nobis applicatis atq; collatis multum contenta, protinùs voluntatem stimulat ad reddendas ei grates, cum omnibus cælitibus ac terrigenis. *Voluntas* affectu gratitudinis mota, in tales prorumpit Actus: Benedictio & claritas & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo, DEO nostro in sæcula sæculorum Amen. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem ac divinitatem & sapientiam & fortitudinem, & gloriam, & benedictionem. Redemisti nos Domine DEUS in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos DEO nostro regnum. Salus DEO nostro. ℟. Salus salus in sæcula sæculorum Amen. Confitemini Domino (cuncti cælites & terrigenæ) quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Quia in humilitate

nostra

nostra memor fuit nostri; quoniam in æternum misericordia ejus. Quia redemit nos ab inimicis nostris; quoniam in æternum misericordia ejus. ☼ Spero in te, s. in infinita Christi satisfactione expectans à te veniam ut peccator; veniam primam, s. remissionem culpæ mortalis; ut discipulus & amicus; veniam 2dam, s. remissionem venialium pœnæ temporalis, etiam purgatorii. Spero in te, s. infinitate meritorum Christi, expectans ut peccator gratiam 1mam. s. justificantem; ut discipulus gratiam 2dam, s. continuum augmentum justificationis, uberioresq; gratias actuales; ut amicus, gratias gratis datas & extraordinarias, quas noverit sapientia tua mihi opportunas. Spero in te, s. in infinito pretio sanguinis tui expectans à te ut peccator pænitens gloriam 1mam. s. quantumcunq; gradum æternæ essentialis beatitudinis; ut discipulus & amicus gloriam 2dam, s. præmia accidentalia, coronas, aureolas, palmas & fructus. *De quibus infra vide Medit. de glor: cœlesti. Consid.* 2. Domine DEUS tibi gratias ago, s. quia pro me passus es. Te laudo, quia tam liberalis, & superabundans beneficentia tua est. Tibi offerro me omniaque mea meritis sanguinis tui uniendo. Peto à te, ut non pereat fructus sanguinis tui in anima mea, imò omnium fratrum, benefactorum. &c.

CONSIDERATIO V.

R*atio proponit.* Quomodo Christus patitur? *Synteresis respondet.* Patitur amanter, humiliter, o-

bedienter, & patienter, juxta D. Bernard. dicentem: Christus in passione patientiam exhibet, humilitatem commendat, obedientiam implet, charitatem perficit. Et D. Bonav. Quatuor brachia crucis, significant quatuor virtutes, quibus extendi debet homo noster interior; signat enim pars superior charitatem, inferior humilitatem; à dextris obedientiam, à sinistris patientiam. Quod autem patitur *amanter*, inde patet: quia non ex coàcti one aut necessitate, sed ex amore nostri pro nobis mortuus & oblatus est, quia ipse voluit. Juxta *Rom:* 5. Commendat autem charitatem suam DEUS in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Ex eadem charitate orat pro suis crucifixoribus. *Lucæ* 18. Dimitte illis &c.

Conscientia suæ tepiditatis conscia confunditur, *Voluntas* nititur ad Actus Amoris vulnerantis ligantis, langvescentis, morientis, quos *vide in Scal-* 7. O dulcis JESU, omnis figura tua amorem spirat, & ad redamandum provocat, caput inclinatum, manus expansæ pectus apertum; ergo te totum amabilem, amatorem mei, ut toto me redamem, ah quam cupio! Quod etiam patitur *humiliter* patet inde, quia cùm esset excelsus, gloriosus, Sanctissimus, quasi peccator vilis pro peccatis nostris, tanquam pro suis passus est. *Isai:* 53. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. *Et infra.* Cum sceleratis reputatus est. *Conscientia* superbiam suam, honores, respectus ambientem, humilia verò despectusq; abhorrentem redarguit.

Volun-

Voluntas exit in Actus. * O quam intoleranda ſuperbia mea, ubi ſuprema humiliatur Majeſtas, vilis ego vermiculus mille mortibus, æternisq; deſpectibus dignus, inflor & intumeſco. Eligo abhinc abjectus eſſe in domo DEI mei, eligo pro honoribus contemptum, irriſionem pro favoribus, humilior ſub potenti manu tua, & ſub manu omnis creaturæ propter te. Agnoſco me creaturarum omnium miſerrimum, viliſſimum, inutiliſſimum, ſtultiſſimum, graviſſimum peccatorem. *Vide explicationem horum infra Inſtit: 10. de Humil.* Quod etiam patitur *obedienter & patienter*, patet ex illo: Tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & tanquam agnus coram tondente ſe obmutuit. *Iſai:* 53. Et *1. Petri* 1. Chriſtus cùm malediceretur non maledicebat; cùm pateretur non comminabatur. Ad *Philip:* 2. Humiliavit ſemetipſum factus obediens usq; ad mortem. *Ratio* reflectit ſe ad ſuam conſcientiam, examen cum ea inſtituens, utrumnam in hiſce virtutibus imitetur Chriſtum. *Conſcientia* quod ſcit verùm fatetur. *Voluntas* pio imitationis affectu inardeſcit, & actibus ſe elevat. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me juſtificationes tuas. Benedictus es Domine, doce me juſtificationes tuas. Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Trahe me poſt te, curremus in odorem ungventorum tuorum.

O JESU mi, uni me tecum inſeparabiliter.

O JESU transforma me totum in te.

Explic: infra vide Scal: 4.

CON-

CONSIDERATIO VI.

RAtio proponit. Quam ob causam Christus tàm indigna patitur, causâ nostræ reparationis, cum aliquo alio faciliori modo potuisset nos reparare, ut Theologi asserunt? *Synteresis respondet*: verum quidem est, quod nos DEUS reparare ac salvare aliter potuisset, si voluisset; atqui noluit, nisi interveniente dirissima Filij sui Unigeniti passione ob gravissimas rationes.

1ma est. Ut reparatio salutis nostræ aliter non fieret, nisi per condignam DEO rigorosamq; satisfactionem: pro offensa suæ Majestatis peccato primorum parentum, nostrisq; infinitis sceleribus. Reparari enim homo secundùm æquitatem non poterat, nisi per satisfactorem dignissimum & sufficientissimum, qui & homo & æqualis DEO esset; nam si non esset homo de genere *Adæ*, & non esset æqualis DEO; satisfacere ut æquum est non potuisset, pro crimine læsæ Majestatis Divinæ. Ille enim ut fas est, justitiaq; rigorosa postulat satisfacit qui debet ac potest; sed non debet nisi homo, & non potest nisi æqualis DEO. Unde tanta debuit esse humilitas & obedientia in Reparatore ac Salvatore Christo: quanta fuit superbia & inobedientia in prævaricatore, sed quia in prævaricatore tanta fuit superbia, ut cùm esset homo, voluerit fieri DEUS, & tanta fuit inobedientia, ut cùm esset creatura DEI, noluerit subditus esse DEO, sed suæ potestatis; ideo in Reparatore tanta debuit esse humilitas, ut cùm esset DEUS excel-

ſus fieret homo profundiſſimæ humilitatis, & tantâ obedientiâ, ut cùm eſſet Dominus omnium poteſtati humanæ fieret ſubjectus, & uſquè ad mortem obediens. *Ratio* convicta reſponſione laudat juſtitiam DEI. Agnoſco quoniam juſtus Dominus, & juſtitias dilexit. Juſtus Dominus in omnibus vijs ſuis. Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. *Conſcientia* diſcurrit, ſi juſtitia DEI tàm rigoroſa eſt cum Chriſto pro peccatis alienis, quantò magis mecum erit pro proprijs. *Voluntas* proponit. Juſtificationem quam tenere cæpi *ſc.* pænitentiam, rigorem religioſæ vitæ in fame & ſiti, in frigore & nuditate non deſeram; non remittam, ut tantum quantum pro multiplicibus graviſſimis peccatis meis juſtitiæ Divinæ ſatisfaciam. Amo tuam juſtitiam, *hæc exigentem à me & à Chriſto.* Amo tuam potentiam, *me in pænitentia adjuvantem.* Amo tuam miſericordiam, *ea quibus juſtitiæ tuæ ſufficere non valeo, clementiſſimè condonantem.*

2da Ratio. Ut ex opere reparationis ac Salvationis noſtræ ſolus DEUS glorificetur. Alioquin ubi genus humanum per aliquam creaturam DEO gratiſſimam reparatum fuiſſet ex ordinatione ejus Divina, gloria DEO debita diminueretur; quia ſicut majus eſt beneficium reparationis ac ſalvationis noſtræ, quàm creationis, ita major gloria honor & gratitudo Reparatori ac Salvatori deberetur, quàm Creatori. Quapropter condecens fasq; erat, ut idem DEUS Reparator & Salvator eſſet noſtri, qui & Creator; quoniam non erat dignum DEO concedere gloriam ſibi debitam ſuæ creatu-

ræ,

ræ, juxta *Isai: 48.* Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo. *Et 1. Tim: 1.* Regi sæculorum &c: *Ratio* convicta cum conscientia, stimulat voluntatem, ut tota seipsa soli serviat DEO, in eumq; feratur *Actu.* Tu solus Dominus Tu solus Altissimus. Tibi soli DEO honor & gloria. Tu totus meus, ego totus tuus Unicam meam *s.* animam uni DEO Creatori, Reparatori, do, dono, consecro in æternum.

3tia. Ut reparatio nostri fieret ordine competenti, & artificio singulari, contra astum diaboli juxta illud S. Matris Ecclesiæ: Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat multiformis proditoris ars ut artem falleret, & medelam ferret inde hostis, unde læserat. Sicut enim primus homo fraudulentiâ diaboli per mulierem provocatus, præsumpsit in fructu ligni vetiti delectari; unde incurrit rebellionem carnis, ac pœnam subijt mortis cum sua posteritate; ita Christus Reparator ac Salvator noster, damna ligni ut solveret, voluit in ligno pati passionem ignominiosissimam, contra præsumptionem; acerbissimam, contra libidinem; generalissimam, in toto *s.* corpore, contra infectionem universalem; ac tandem voluit pati mortem voluntariam, contra mortem invitam. Assentitur *Ratio*, cui adhæret *Voluntas*, complacendo in ineffabili providentia & sapientia Divina. *Actus.* O altitudo sapientiæ & scientiæ DEI! O sapientia, attingens à fine usquè in finem fortiter svaviterq; disponens omnia reparationis nostræ media. Magnus Dominus, & sapientiæ ejus non est numerus

& fi-

& finis. O quàm jucundum, quàm ſvuave, ſervire Domino, tam ſapienti, tàm de ſuis provido.

4ta. Ut per reparationem noſtri innoteſceret nobis, quanta fuerit noſtri generis humani infirmitas; ex peccato contracta; ſiquidem ad ſui ſanationem tam pretioſum atq; inopinatum ſanguinis Chriſti requireret medicamentum. Ut item innoteſceret nobis, in quanto ſit apud DEUM odio peccatum; ſiquidem nulla alia ratione placari, peccatoribusq; propitius eſſe voluerit, niſi intercedente tanta unigeniti ſui paſſione. *Item* in quanto odio DEUS vult apud nos haberi peccâtum; ſiquidem nè ad æterna ſupplicia propter illud condemnaremur, Chriſtus debuerit tantos pati cruciatus. *Denique* quanta damnati ob ſua crimina in inferno ſuſtinebunt tormenta; ſi Reparator noſter intuitu eorum modicam ſuam putaret paſſionem: ut patet ex ejus verbis *Luc.* 23. Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros (propter peccata ſua condemnandos) quia ſi in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet. *Voluntas* his auditis movetur ad odium, & fugam peccati. *Actus* deteſtationis, propoſitorum, *vide ſup. Conſid.* 3.

5ta. deniq; Ratio eſt. Ut per hoc opus reparationis declararetur nobis ſummus in DEO amor noſtri, ac in nobis per hoc ipſum erga DEUM reciprocus intimæ reamationis excitetur affectus: ſicut enim ſummum amorem quô nos DEUS amat, nihil magis declarare poteſt, quàm quod Chriſtus in reparatione noſtri, non ſolum abolevit mala, &

la, & sua nobis contulit bona; verùm etiam quod sustinere ac pati voluit probrosa nostra, & adversa juxta *Rom: 8.* Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (ad sufferendas miserias nostras) quomodo non etiam cum illo omnia (bona corporalia, spiritualia, atq; æterna) nobis donavit. Et *Ioan: 4.* In hoc apparuit charitas DEI in nobis, quod Filiũ suum Unigenitum misit DEUS in mundum (pati nostra adversa, ipsamq; sustinere mortem) ut vivamus per eum. Ita nihil magis excitare potest in nobis erga DEUM intimæ reamationis affectum; quàm pia & jugis recogitatio tanti amoris quô sic à DEO prævenimur. Unde *S. August.* Maximè propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantùm DEUS diligat eum: & ideò agnoscere, ut ejus dilectione à quo prior dilectus est inardesceret. *Item.* Si amare pigebat, saltim redamare non pigeat: nulla enim est major ad amorem invitatio, quam præveniri amando. Idcirco exclamat S. Joannes *1. c. 4.* Nos ergo diligamus DEUM, quoniam prior dilexit nos. Est autem genuina & ultima ratio, cur DEUS amore nostri excitet nos ad redamandum se, velitq; omninò per nos reamari? ut nimirùm amore ejus provocati ac inflammati, renascamur, reformemur in suos filios, eoq; ipso efficiamur heredes ipsius gloriæ cælestis, nec non Christi Filij sui coheredes, juxta D. Paulum *Rom: 8.* Ipse enim Spiritus (Sanctus) testimonium reddit spiritui nostro (intimè DEUM amanti) quod sumus Filij DEI (ergo) & heredes;

des; heredes quidem DEI, coheredes autem Christi. *Ratio* veritate responsionis convicta, eam protinus reflectit ad conscientiam animæ suæ, examinans an correspondeat Divinæ amationi sua reamatione propter consequendam hereditatem gloriæ vitæquè cælestis.

Conscientia prout res est, fatetur. *Voluntas* concitata prorumpit in Actus. Agnosco mi DEUS, quod deliciæ tuæ sint esse cum filijs hominum in tempore & æternitate. Cur tantis expensis vitæ & sanguinis unigeniti tui infinitus amor tuus, frigidi cordis mei scintillam amoris, mare guttam, immensus vilem atomum quærit. O anima mea, mundum, diabolum, carnem odientem te amas amore qui interimit te; DEUM autem toto se diligentem te, & à te diligi cupientem amore vivificante, non redamabis? Proh amor non a natur! Serò Te jam cognosco amandam bonitas æterna. Quis mihi tribuat, ut reamem te amore incomparabili. *Vide Scal: 2dam Past.*

MODUS

Mysterium Eucharisticum asceticè meditandi.

CONSIDERATIO I.

INtroductio imaginativa. Imaginare Christum Dominum in majestate sua, quamvis latente sub tegumento specierum panis & vini venientem, & quasi de abscondito vocantem homines dulci & medullato illo verbo; venite ad me omnes,

qui

qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Item *Prov:* 9. Si quis est parvulus, veniat ad me. Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Imaginare assistentiam mille millia millium SS. Angelorum, quasi invitantium homines illis verbis; venite ad nuptias, ecce parata sunt omnia.

Ratio proponit Quis es tu Domine in Venerabili Sacramento sub speciebus panis & vini; & quis ego sum, qui ad te accedere volo & debeo? *Synteresis respondet ad imam* partem. Tu es Domine sublimis, profundus, latus, longus, prout ait Apostolus *ad Eph:* 3. Flecto genua ad Patrem Domini JESU Christi, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit Christi latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum. *Sublimis* es, secundum tuam Divinam naturam, id est sublimiter, seu infinite potens, sapiens &c.

Profundus secundum humanam naturam, id est in eximijs virtutibus humilitatis obedientiæ &c. *Latus* in charitate, quàm dilatasti usq; ad ingratos & inimicos diligendos. *Longus* item es, longo nimirùm tempore; nostram expectans pænitentiam & emendationem.

Iterum respondet in eadem persona sui hominis ad 2dam propositionis partem. Ego verò qui ad te accedere volo ac debeo, respectu quidem sublimitatis tuæ, sum infimus hominum, vilissimus, inutilissimus, stultissimus, miserrimus, ac maximus peccator. *Respectu verò* tuæ profunditatis, sum elatus, præsumptuosus, inobediens &c. Respectu

tuæ

tuæ latitudinis, sum strictus proprio amore, ut non diligam nisi meipsum, vel propter meipsum Respectu tandem tuæ longitudinis, omninò sum curtus, in votis reddendis, seu citò mutabilis in propositis adimplendis. *Ratio* hujusmodi responsiones, probat ex conscientia sui hominis: *Voluntas* pio affectu inde mota in tales prorumpit *Actus*: Quis ad te accederet infinita dignitas, quàm reverentur Angeli, metuunt justi, nisi tu juberes, invitares dulcibus illis verbis; venite ad me omnes &c: Operitur quidem confusione facies peccatoris, sed adsunt superabundantia merita Redemptoris, affectus ecstatici SS. Matris, mei Patriarchæ Francisci, aliarumq; Mysterio Eucharistico devotissimarum animarum; his interim superinduo nuditatem animæ meæ, *ut docuit Christus S, Gertrudam*. O DEUS meus amo tuam sublimitatem s. complaceo mihi in tuis Divinis perfectionibus, displiceo vero in mea vilitate, stultitia, inutilitate, peccabilitate, fragilitate &c. O DEUS meus, amo tuam profunditatem, s. complaceo in humanis tuis perfectionibus virtutum, quas omninò imitari volo; displiceo autem mihi in cunctis vitijs meis, quæ omninò aversor. O DEUS meus, amo tuam latitudinem, s. gaudeo plurimùm quod Christus diligat suos inimicos, quem efficaciter hac in parte cupio imitari. O DEUS meus, amo tuam longitudinem, s. ago infinitas gratias Tibi Christe, pro diutina meæ pænitentiæ ac emendationis expectatione, consequenter pro impunitione mei æternis inferni cruciatibus; quos

agnosco me pridem peccatis promeruisse, ac proinde suffultus cælesti auxilio in eadem quam cæpi pænitentia, studio internæ mortificationis ac exercitio asceticæ virtutis ad tui imitationem perseverare volo.

CONSIDERATIO II.

Ratio proponit. Quæ nobis communicātibus dantur in hoc Sacramento Eucharistiæ? *Synteresis respondet.* Omnia illa nobis dantur, quæ ad integritatem Christi spectant, *scilicet* Corpus Christi reale Sanguis illius verus, Anima Sanctissima, Divinitas Verbi incarnati. Vel alias datur nobis totus Christus humanitate & Divinitate constans: quod enim semel assumpsit, post inde nunquam dimisit, cùm jam sit impassibilis, quia & indivisibilis. Unde est, quod totus Christus contineatur sub speciebus panis, & totus sub speciebus vini, quamvis non eodem ordine; nam ex vi verborum consecrationis, sub speciebus panis continetur ratione sui corporis realiter ibi existentis, quod comitantur cætera, quæ sunt de ipsius integritate: sub accidentibus autem vini, continetur ratione sui sanguinis, quem comitantur cætera integritati ejus deservientia. Ac proinde tantùm quisque accipit communicando sub una specie, quantùm sub utraque & tantùm ante divisionem specierum, quantùm post, in minima quaquè particula. Horum autem ratio est, quia Christus Dominus sub speciebus existit non quantitativo modo, sed ad modum substantiæ spiritualis, totus videlicet in tota specie

con-

consecrata, & totus in qualibet parte. Undè canit Ecclesia: sub diversis speciebus, signis tantùm & non rebus latent res eximiæ. Caro cibus, Sanguis potus, manet tamen Christus totus sub utraq; specie; A sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur. Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille nec sumptus consumitur. *Et paulò post* Fracto demùm Sacramento, nè vacilles sed memento, tantùm esse sub fragmento quantùm toto tegitur. Nulla rei fit scissura, signi tantùm fit fractura, quâ nec status, nec statura signati minuitur. *Ratio* veritate convincitur. *Conscientia* reflectens ad se veritatem. *1mò.* miratur arcana DEI. O res mirabilis, manducat Dominum pauper, servus, & humilis; verè non est natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut DEUS noster adest nobis. *2dò.* Stimulat voluntatem ad adorandum latentem Christum in Eucharistia. *Voluntas* it in Actus. Verè tu es DEUS absconditus, DEUS Israël Salvator. Adoro te devotè latens Deitas, quæ sub his figuris verè latitas. Credo quidquid dixit DEI Filius, nihil hoc verbo veritatis verius. In Cruce latebat sola Deitas, ast hic latet & humanitas. Plagas sicut Thomas non intueor DEUM tamen meum esse hic Te confiteor. Quid mihi amplius potest esse in cœlo & in terra. *Reliqua ex Scal. 1. Assume.*

CONSIDERATIO III.

R*Atio proponit.* Pro quo Christus se tradidit in hoc Sacramento ad manducandum; *Synteresis*

respondet. Quod pro multiplici nostra necessitate & utilitate spirituali uti est; *imò* Pro nostra spirituali purgatione; nam quoties hoc Sacramentum dignè sumimus, toties ab iniquinamentis peccatorum ac vitiorum nostrorum magis ac magis purgamur. Juxta *Apoc* 7. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. *pio s. usu Sanguinis & Corporis Christi*. Actus Ampliùs, lava me ab iniquitate mea &c: Pie Pelicane JESU Domine, me immundum munda tuo sauguine, *& alii Actus detest: Et ex Pact: 1. 2dò*. Pro nostra spirituali illuminatione, quo enim sæpiùs ad hoc Sacramentum dignè accedimus, eo clariùs internè illuminamur, ad cognoscenda spiritualia ac æterna juxta *Ps*: 33. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Actus Revela oculos meos, lumen oculorum meorum Eucharisticè JESU, & considerabo mirabilia, de lege tua. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. *3tiò* Pro consequenda unione cum Christo animæ nostræ, quo enim diligentiùs ad hoc Sacramentum præparati accedimus, eo strictiùs ac inseparabilius Christo membrisq; ejus mysticis per charitatem conjungimur, juxta *Ioann*: 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, ego in eo. *Actus unionis, transformationis ex Scal. 4. 4tò*. Pro consolatione nostra in varijs tribulationibus & adversitatibus, difficultatibus in vita spirituali. Qui enim dignè recipiunt hoc Sacramentum, potiùs hilarescunt quàm turbantur

in

in adversis sibi venientibus, juxta *Ps: 22.* Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me. *Actu.* O Panis, ô Vinum lætificans cor hominis. *Ps: 103.* Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium. In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium. Jam de cætero sperno humana solatia, & potatæ animæ meæ suavi poculo Sanguinis Tui, dulcia fiant omnia amara & adversa. *5tò.* Pro nostræ mentis corroboratione & confirmatione, contra tentationes carnis, mundi, diaboli atquè hominis improbi profectum vitæ spiritualis malo exemplo impedientis. Sicut enim corpus pane terreno roboratur ad laborandum manualiter; ita hoc pane cælesti dignè sumpto mens nostra firmatur ad legitimè certandū,& in virtutibus asceticis ac interna mortificatione, proficiendum juxta *Ps. 103.* Ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. *Actu.* Panis de cælo descendens, verè te dixit *S. Aug.* cibum grandium. Cùm defecerit virtus mea DEUS adjuva me. Adjuva nos DEUS salutaris noster. *6tò.* Datur nobis pro signo amoris Christi, pro pignore vitæ æternæ nobis promissæ. *Ioann. 6.* Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum. Ecclesia quoque canit: O Sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratiâ & futuræ gloriæ nobis pignus datur, *Actu.* O JESU fac mecum signum in bonum. *s.* in felicem æternitatem. Pono te super cor meum, ut signaculum æternitatis. Tu hereditas mea præclara es

 mihi.

mihi. Tu ſicut in exilio es portio mea, ita ſis in terra viventium. *7mò.* Datur nobis pro Viaticò peregrinationis noſtræ quia anima fidelis dignè accipiens hoc Sacramentum in articulo mortis, erigitur in ſpem conſequendi indubitatè vitam æternam. Unde Eccleſia canit: Ecce Panis Angelorum, factus cibus viatorum. *Actus.* O Rex gloriæ deſcende ad me, priuſquam moriatur filius meus, ego ſ. peccator. Mane nobiſcum Domine quando (vita noſtra) adveſperaſcet; dùm circumdabor doloribus mortis & periculis inferni, ne derelinquas me ſine ſalutari tuo (Sanctiſſima Communione) opto, cupio, volo, ut ad Sanctificandas cogitationes, verba, opera, totius vitæ meæ, ſit ultima mea cogitatio DEUS; ultima verba JESUS MARIA; ultimum negotium & cibus, manducatio SS. Euchariſtiæ; ut ſic fugiant à facie Domini omnes inimici mei. O quàm ſecurè tunc dicam: Nunc dimittis ſervum tuum Domine. Deinde *Voluntas* generaliter primò ſertur deſideriorum Actibus cum S. Ignatio. Anima Chriſti ſanctifica me, Corpus Chriſti ſalva me Sanguis Chriſti inebria me, Aqua lateris Chriſti lava me, Paſſio Chriſti conforta me, Bone JESU exaudi me, intra vulnera tua abſconde me, ne permittas me ſeparari à te, ab hoſte maligno defende me, in horâ mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem Te in ſæcula. *Tandem* reflectens ſe anima, quòd pro tantis Euchariſticis beneficijs & fructibus, quid rependat DEO non habeat; perfectiſſimis quales

ſunt

ſunt Beatorum in cælo, cupit redamare Chriſtum actibus, dicens: Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam extenſus in te amore ſemper mobili, &c: *Reliqua vide Scal: 8.*

CONSIDERATIO IV.

RAtio proponit A quo ſumendum eſt hoc Sacramentum? *Synt: reſp:* Sumendum eſſe à quolibet homine filio DEI, non verò ab hominibus filijs Diaboli, ut canit Eccleſia: verè panis filiorum, non mittendus canibus. *Marc: 7.* Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Illi autem homines dicuntur filij DEI, per adoptionem, qui toto corde fugiunt peccatum in æternum juxta 1. *Ioan:* 3. Omnis qui natus eſt ex DEO, (per gratiam ſanctificantem) peccatum non facit. Illi verò dicuntur è converſo filij diaboli, qui peccatum faciunt, ut ibidem *S. Ioann.* Qui facit peccatum ex diabolo eſt. Et paulò poſt ſubjungit: In hoc manifeſti ſunt filij DEI, & filij diaboli Quâ etiam ratione, iſti filij diaboli aſſimilantur canibus & porcis; canibus quidem, dùm poſt ſuam ad DEUM converſionem ſupererogatoriam, recidiuant contra ſua vota, graviter peccando. Porcis verò, quando alicujus peccati gravis contrahunt conſvetudinem. Contingit enim ipſis illud veri Proverbij: Canis converſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti, ut dicit S. Petrus, *Ep: 2. c. 2. Ratio* reſponſionis veritate convincitur, examinatq; conſcientiam ſuam, cujus nam Patris filium teſtetur eſſe ſuum hominem,

Conscientia quæ scit vera fatetur. *Voluntas* inde odium contra omne peccatum concipit, in *Actus* prorumpit. *Quos vide in Medit: Pass: Christi Consid: 3.*

CONSIDERATIO V.

R*Atio proponit.* Quomodo ad hoc Sacramentum accedendum est? *Synt: resp:* Accedendum cùm debita præparatione. Hinc est *1. Cor. 11.* Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Ille autem ad hoc Sacramentum dignè ac debitè præparatus accedit, qui illud sumit loto capite, lotis manibus, lotis pedibus. Unde dixit Petrus Christo; in lotione pedum ante institutionem & sumptionem hujus Sacramenti *Ioan. 18.* Domine lava non tantùm pedes meos, sed & manus & caput Ubi per *caput* intelligitur fides & conscientia. Fides, quia est principium virtutum, & absquè illa non possunt placere DEO ad meritum vitæ æternæ quæcunq; opera virtuosa.

Conscientia verò, quia est judex potentiarum animæ dijudicans actus illarum. Per *manus* item intelligitur duplex spiritualium vita *s.* Activa & Contemplativa; quarum alterâ agunt propter DEUM exercendo se in mandatis ejus; alterâ agunt in DEUM actibus *s.* anagogicis, juxta *Psal: 66.* DEUM exquisivi manibus meis. Per *pedes* tandem intelliguntur affectus timoris & amoris DEI, quorum alterò ab ejus offensa recedunt, alterò in ami-

amicitia proficiunt. Jam ergo ad hoc Sacramentum ille accedit *loto capite*, qui depurata fide ab omni hæsitatione credit credenda de hoc Sacramento. Et qui conſcientiã habet liberam ab omni peccato tàm reali quàm ficto, *ſ.* à ſcrupulo. Ille etiam accedit *lotis manibus*, qui in vita activa omnem fugit intentionis obliquitatem, faciens facienda propter ſolum DEUM, non propter homines. Et qui in vita contemplativa, omnem fugit internam proprietatem; ut eſt proprius amor, propria voluntas proprium judicium, quibus tanquàm viſco volatus contemplationis illaqueatur. Ille tandem accedit *lotis pedibus*, qui ita affectus timoris & amoris ſentit in ſe puros, ut nihil timeat aut amet ſupra DEUM, vel æquè ac DEUM; imò ut nihil timeat, vel amet præter DEUM; quamvis infra DEUM, propter DEUM, in DEO, & ſecundùm DEUM omnia timenda & amanda timere & amare debeat. *Ratio* veritatè convicta examinat conſcientiam, ita nè ſuus homo præparatus accedere ſoleat ad hanc Menſam Altaris Domini *Conſcientia* quod ſcit fatetur. *Voluntas* inde pio affectu mota, cupit affectuoſiſſimè Chriſtum ſuſcipere in Venerabili SACRAMENTO ſemper magis ac magis loto capite, lotis manibus, lotis pedibus, Cujus *Actus*. Quis mihi tribuat, ut ſuſcipiam te loto capite, lotis manibus, lotis pedibus. *Idq́ juxta ſuper: horum explic.* Tandem terminat ſvavis Amoris actibus. *ex Scal. 6.*



CON-

CONSIDERATIO VI.

Ratio proponit. Quam ob causam Eucharistia ex institutione Christi, usq; ad mundi consummationem habetur, & habenda sit? *Synt: respondet 1mò.* Ut nobis sit speciale novæ legis Sacramentum vel alias Sacramentum Sacramentorum; in usu enim omnium Sacramentorum sola gratia sanctificans nobis confertur, hic autem & gratia & ejusdem gratiæ Author, omniumq; Sacramentorum institutor, donatur. *2dò.* Ut sit nobis juge novæ legis sacrificium, idem numero cum illo sacrificio in ara Crucis oblato, quamvis non ejusdem modi: quia Christus D. Vnus ac idem est, tam cruentè in ara crucis immolatus, quàm sub speciebus panis & vini, in Altari absq; sanguinis effusione oblatus. Quod quidem sacrificium incruentum (juxta mandatum Christi *Luc: 22.* Hoc facite in meam commemorationem) jugiter in Ecclesia DEI instauratur, ad hos præcipuè fines. *1mò.* ad placandum DEUM Patrem pro peccatis nostris continuis, multipliciter offensum. *2dò.* Propter reddendas eidem Patri laudes & gratiarum actiones pro reparatione nostri per passionem ac mortem Filij sui. De hoc Sacrificio illud est *Malach.* Ab ortu solis usq; ad occasum Magnum est Nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur mihi oblatio munda. Et de ipso sacrificante Christo *Ps: 109.* Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. Cujus Ordinis Sacerdotem se esse ipse Christus declara-

claravit, ubi Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Patri ſuo cæleſti obtulit, & hucuſq; ſingulis diebus offert, continò per ſuos ſubſtitutos, ſacerdotes, qui dùm hujuſmodi ſacrificium offerunt, non ſuam ſed ipſiuſmet Chriſti ſuſcipiunt Perſonam, quod ex verbis conſecrativis apparet; non enim in perſona ſua verba illa proferunt: Hoc eſt Corpus meum, ſed in perſona Chriſti. *3tiò*. Ut nobis ſit præſentiſſimum memoriale Paſſionis ac Mortis Chriſti Domini, juxta *1. Cor. 11.* Quotieſcunq; manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. *Actus*. O memoriale mortis Domini panis vivus, vitam præſtans homini. Memoria memor ero (*ſ.* Paſſionis tuæ) & tabeſcet in me anima mea. Quatuor autem hoc loco recogitanda ſunt in Paſſione Chriſti; juxta *D. Thomam*. Amor ad redamandum. Dolor ad condolendum. Fortitudo ad imitandum. Utilitas ad gratias agendum. *Amor* quidem Chriſti talis ac tantus fuit, ut faceret eum non ſolum liberare nos à noſtris malis, & bona ſua atq; ſeipſum nobis donare; verùm etiam adverſa noſtra pro nobis ſufferre. *Dolor* item Chriſti talis ac tantus fuit, in corpore & anima, ut ſuperaret dolores cujuſcunq; hominis quoſcunq; cruciatus ſufferentis, juxta *Ier. 1.* O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus. *Fortitudo* talis ac tanta fuit, ut ſuperaret proſpera hujus mundi per contemptum, & adverſa, Utilitas deniq; talis ac tanta fuit, ut per eam ſatisfaceret pro

pecca-

peccatis nostris, & gratiam in præsenti; & vitam æternam in futuro nobis promereretur. Unde S. Paul: *Rom: 8.* Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit. *Ratio* Veritati assentitur, reflectit eam ad conscientiam suam. *Conscientia* autem *imò miratur* amorem Christi. *Actus.* Quanta fecit animæ meæ. *Psal. 65.* Te Christe mundus pavit pane doloris & lachrymarum; Tibi myrrhatum propinavit vinum: Tu ingratum mundum pascis lætitiæ pane, & vino suavitatis potas. *2do.* Stimulat voluntatem ad redamandum Christum per tolerantiam ad imitationem ejus grato animo adversorum seu malorum tàm propriorum, uti sunt innatæ miseriæ; quàm alienorum, uti sunt defectus morales proximorum, *Gal. 6.* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Stimulat *item* ad compatiendum Christo compassione Affectus & effectus. Item ad contemptionem prosperitatum hujus mundi, exemplo Christi, & ad sufferendas injurias ac persecutiones. Stimulat deniq; ad grates reddendas Christo, idq; affectu & efficacia omnium justorum ac Sanctorum tàm militantis quam triumphantis Ecclesiæ, pro tanto beneficio, satisfactionis, meriti, & futuri præmij. Hic *Voluntas* erumpit in *Actus.* Quis mihi tribuat, ut redamem Te amore conformi tuo amori. Quis mihi tribuat, ut verè Tibi compatiar *in doloribus*; ut verè te sequar *f. in fortitudine.* Ut dignas Tibi referam gratiarum actiones pro passione. Vivat

Rex

Rex noster JESUS, vivat in æternum. Laudetur Sanctissimum SACRAMENTUM. *ex Scal. 9.*

APPENDIX

Pro Accessu & Recessu ad Sanctissimum SACRAMENTUM.

QUamvis tota meditatio hæc satis disponat accedentem ad Sanctissimum SACRAMENTUM, opportunum tamen videtur adijcere nonnulla, quæ jam proximè accedentem seriosiùs & compendiosiùs disponant.

* *In accessu.* Junctis manibus versus pectus in modum crucis, tanquàm ligatum per crucem se sistendo DEO, cum profunda humilitate & admiratione. *Conscientia* alloquitur Christum his pactis. Domine unde mihi hoc, ut tu Dominus meus, & DEUS meus venias ad me, & uniaris mihi. Quis tu es, & quis ego? Tu Creator, ego creatura. Tu Dominus, ego servus, isq; ingratus & inutilis; imò toties rebellis. Tu DEUS, ego limus. Tu omne bonum, ego peccatum. Tu gratuitus Benefactor, & liberalis Pater, ego ingratus peccator, & prodigus filius. Unde mihi vilissimo vermiculo tanta dignatio? Domine non sum dignus, ut intres &c. *propter peccatorum meorũ gravitatem* Domine non sum dignus &c. *ob tantam beneficiorum ingratitudinem.* Domine non sum dignus &c. *ob tuam sublimitatem meamq; vilitatem.* Ecce compareo mendicus ante divitem; pro divitijs gratiæ, servus ante Dominum, famelicus, petens cibum & po-

tum Corporis & Sanguinis Tui; nudus vestem Charitatis, operientem multitudinem peccatorum, reus ante Judicem, ut propitius mihi esse velis tàm in vita, quam in morte, Amicus ante amicum, desiderans ut charitas tua me trahat, tecum liget inseparabiliter; Discipulus ante Magistrum, expectans salutares doctrinas & illuminationes; Filius ante Patrem, petens necessaria mihi provideri, & finaliter hereditatem paternam.

In recessu. Manibus positis ad pectus, firma fide crede SS. SACRAMENTUM in corde tuo tanquàm in Ciborio vel Monstratorio haberi. Post eliciantur Pacta Adorationis: Laudetur Sanctissimum SACRAMENTUM, tot laudibus, quot in cœlo stellæ, in igne scintillæ, in aere atomi, in mari guttæ, in terra pulveres, in vere flores, in æstate grana, autumno folia, hyeme nives, quot in universo creaturæ, quot in æternitate momenta. Laudetur tot laudibꝰ, quot ullo opere exhiberi, quot ore proferri, corde omnium hominum excogitari potuerunt, possunt & poterunt. Laudetur tot laudibus, tamq; perfectis & intensis, quot & quales, omnes justi & Sancti unquam, maximè cùm hoc Sacramentum susceperunt, toto cordis ac mentis affectu persolverunt, quot omnes Angeli, Beatissima VIRGO, ipsa Humanitas D. N. J. C. toto tempore vitæ suæ, maximè hoc Sacramentum instituendo persolvit; imò quod Sanctissima TRINITAS sua potentia depromere, sapientia concipere, bonitate largiri potest; omni loco, omni modo, omni tempore, in æternum & ultra; quia dignum,

dignum, & justum est. Pacta gratiarum actionis & oblationis habentur *In Scal:* 3. Petionis hæc: O JESU purifica me, illumina me, præserva me, uni me tecum, transforma me, accende me, corrobora me, solare me, duce me, da veniam, gratiam, & gloriam. Tandem *Actus ex Scal. 2da. 4ta. 6ta. 7ma. Adverte.* Hos Actus posse practicari totiès quotiès visitamus & adoramus Sanctissimũ SACRAMENTUM, in gratiarum actionem pro reali præsentia Christi Domini in hoc SACRAMENTO. *Item.* Quoties quis sumit hoc SACRAMENTUM spiritualiter. *Spiritualis* autem sumptio Eucharistiæ seu Communio consistit in hoc. Quando devotus homo Catholicus aut Religiosus conscientiâ sanus, non habens facultatem sumendi hoc SACRAMENTUM corporaliter, fidem suam, quâ credit Christum contineri in illo, & desiderium, quo cupit Christo uniri in sumptione Eucharistiæ, sursum ducendo consequitur rem, ac effectum SACRAMENTI; id est recipit gratiam. Unde *S. August.* Ut quid paras ventrem vel dentem, crede & manducasti; Qui enim credit in eum, manducat eum.

Communio Spiritualis quam Christus docuit SS. Virgines Gertrudem & Mechtildem.

O Dulcissime JESU, Panis Angelice, vivificans Animas nostras. O esca mirabilis saporis cælestis. O fons indeficiens & abundans dulcedinis DEI, reple cor meum admirabili præsentia Essen-

tiæ tuæ. Ecce ego indignissima gutta creaturæ tuæ, mitto me in immensum bonitatis tuæ oceanum, cupiens dissolvi fervidissimo amore tuo, & fructum Sacramentalis sumptionis percipere. Et quod nunc ob nimiam indignitatem & ineptitudinem meam Sacramentaliter nequeo efficere, cupio adimplere cordis desiderio. Tu vero dulcissime JESU reparator substantiæ meæ, fac Omnipotenti Sapientia ac Bonitate tuâ, ut effectum præsentiæ tuæ recipiam, Amen.

O Sanctissima VIRGO & MATER DEI, quæ non solùm novem mensibus DEUM Incarnatum in Utero Tuo portasti, sed etiam postquam Sacratissimũ SACRAMENTUM instituit digne ipsum recipere, atq; in corde tuo semper retinere studuisti, impetra mihi efficacem illius gratiam, Amen.

LAudo te, o amor fortissime: glorifico te, o amor dulcissime: magnifico te, o amor benignissime in omnibus & pro omnibus, quæ gloriosissima tua DEITAS, & beatissima humanitas in nobis operata est, & adhuc operabitur ab æterno in æternum, per nobilissimum instrumentum Divini Cordis Tui Amen.

Pro opportunitate spiritûs & temporis.

NOnnulla loca Sacræ Scripuræ ruminanda & applicanda Mysterio.

Ante Comm. Introibo in domum tuam in holocaustis, non hircorum, sed Sanguinis & Corporis Unigeniti DEI. *Ps. 65.* Venite ad me omnes, qui

qui laboratis & onerati estis. *Matth. 11.* O dulce verbum! Glorificate & portate DEUM, (Eucharisticum) in corpore vestro. Si quis aperuerit mihi intrabo ad illum & cænabo cum eo, & ipse mecum. Oportet me hodiè in domo tua manere. Loquitur tibi Christus. Si quis diligit me, ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. In sole posuit tabernaculum suum. Dominus in cælo paravit sedem suam. Ego autem tenebræ sum, & abissus nihili. Veni Domine visita nos in salutari tuo (*s.* SACRAMENTO.) Quis det de carnibus ejus, ut saturemur. O quàm suavis est Domine Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

Post Comm. Filius hominis traditus est in manus peccatorum. Quid est homo, quia visitas eum, & apponis ad eum cor tuum. Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Murmurabant, quòd ad hominem peccatorem divertisset. Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Isràël. Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Hodie huic domui salus à DEO facta est. Ambulabo in fortitudine cibi istius, usq; ad montem DEI. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, in me manet, & ego in illo. Ipse vivet propter me. Ego resuscitabo eum in novissimo die. Nonnè cor nostrum ardens erat, dùm

loqueretur nobis. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini Sancto ejus. Noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis! Qui sanat omnes infirmitates tuas: Qui redimit de interitu vitam tuam: Qui coronat te in misericordia & miserationibus: Qui replet in bonis desiderium tuum; renovabitur ut aquilæ juventus tua.

MODUS.

Beneficia DEI Asceticè meditandi.

INtroductio imaginativa. Statue te in medio totius Creaturæ etiam Angelicæ, & ecce stupet, quod tu cinis & pulvis, imò perditissimus peccator, adeò dilectus cordi Divino sis, ut centrum & finis, quamvis secundarius omnium operationum DEI ad extra videaris; propter te enim Potentia creavit, sapientia, disposuit, providentia ordinavit, & conservat omnia. Cogita te veluti immenso, Oceano beneficiorum DEI continuorum, generalium, specialium, innatare. Cogita ab æterno ex quo DEUS est, nec momentum transijsse, in quo DEUS non cogitaverit, non amaverit te, etiam tùm, dùm nondùm esses, aut aliquid boni egisses, dùm nec minimùm de DEO cogitares, imò te blasphemante illum, & irritante peccatis tuis.

CONSIDERATIO I.

*R*Atio proponit. Quis est secundùm naturam, statùm & affectum, conferens in hac universitate rerum summa beneficia? & quis est similiter, secun-

secundùm naturam statum & affectum, eadem beneficia accipiens? *Synt: resp: ad 1mam propositionem. 1mò.* quidem secundùm naturam est DEUS infinitè bonus, quasi à dando sic denominatus, ipsius enim proprium est dare; cujus omnia sunt, quæ sunt; & nihil est, quod non ipse creavit. Et cùm sit infinitè bonus, est etiam suæ bonitatis infinitè diffusivus, per collationem summorum suorum beneficiorum. Unde *Ps.* 88. Tui sunt cœli, & tua est terra: orbem terrarum & plenitudinem ejus tu fundasti, aquilonem & mare tu creasti. Et *Ps.* 117. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. *2dò.* Secundùm statum suæ Majestatis, est gloriosissimus, felicissimus, ditissimus, juxta *Prov.* 8. Mecum sunt divitiæ & gloria. *Et Rom:* 10. Dives in omnes qui invocant illum. *3tiò.* Secundùm affectum est pijssimus ac liberalissimus, juxta *Eccl.* 2. Quis invocavit eum, & despexit eum? quoniam pius & misericors DEUS, Vnde canit Ecclesia: Præsta Pater pijssime &c. Et *D. Bonavt* Quanta pietas DEI? homini tanto affectu & studio sic benefacere; qui beneficia ejus nec agnoscere, nec conservare, nec regratiando dignè recipere studet: Benefacere merenti justum est, benefacere non merenti, sed tamen humiliter petenti, pium est; benefacere non promerenti nec desideranti, magis est pium; pijssimum autem, & non nisi Divini cordis, benefacere contemnenti & adversanti idq; vili, & servo proprio, & figmnento suo.

Ad 2dam propositionem Synt. resp. 1mò quidem

ſecundùm naturam, ſumma DEI beneficia accipiens, eſt homo; quaſi ab humo ſic denominatus; quia ex humo, infimo elemento formatus eſt: & quia ſicut humus humorem pluviæ de nubibus cæli dari ſibi appetit, ita homo, omne datum optimum, & omne donum perfectum (*ut eſt Iacob. 1.*) deſcendens à Patre luminum, expectat, juxta *Pſ.* 112. Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. *2dò.* Secundùm ſtatum ſuæ conditionis eſt infeliciſſimus ac pauperrimus. Infeliciſſimus inde, quod ſit peccato originali vitiatus: id circò ſenſus & cogitatio cordis ejus (*ut eſt Gen: 8.*) in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Pauperrimus inde, quod nihil ex ſe habeat, nec habere poſſit; juxta illud, quod dictum eſt cuidam præſumptuoſo multa ſibi arroganti. *Apoc: 3.* Dicis, quod dives ſum & locupletatus, & nullius egeo; & neſcis, quia tu es miſer, & pauper, & cæcus, & nudus. *3tiò.* tandem ſecundùm affectum eſt ingratiſſimus; quod inde conſtat, quoniam gratias non agit DEO debitas, pro tantis beneficijs, nec amat ipſum, velut dona ab eo ſibi collata amat. Unde *Hugo.* Non ergo munera dantis, pluſquàm amantis affectum diligas; majorem charitati ejus injuriam facis, ſi dona ipſius accipis, & tamen viciſſitudinem dilectionis non rependis; aut dona ipſius ſi potes reſpue, vel ſi dona reſpuere non potes, viciſſitudinem amoris repende. *Ratio* approbat reſponſionis veritatem, quam reflectit ad conſcientiam ſui hominis, examen cum ea inſtituens & quærens; qualem nam exiſtimat eſſe homi-

hominem suum respectu DEI, sui summi benefactoris? *Conscientia* uti bonorum & malorum ejus conscia, fatetur quod scit esse verum. *Voluntas*, pio inde affectu mota in *Actus* deprecationis & amoris DEI prorumpit: Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam, & justificationes tuas doce me. Vide reliq. in Pact. Scal. 2.

CONSIDERATIO II.

Ratio proponit. Quæ & quot sunt beneficia DEI, quibus homo in hac vita cumulatur? *Synt: resp:* Innumerabilia sunt: quorum tamen digniora & notiora possunt reduci ad duo genera; ut quædam dicantur benevolentiæ, quædam verò Innocentiæ Beneficia benevolentiæ seu beneficentiæ, alia sunt naturalia, alia supernaturalia, alia Gratuita. *Naturalia* puta esse quod creati sumus in esse humanæ naturæ ad imaginem & similitudinem ipsius DEI ac Creatoris nostri: & quod omnia creata sunt, quæ cæli ambitu continentur propter nostram utilitatem. Huc enim spectat corporis fortitudo, sanitas, agilitas, formositas, animæ docilitas, tractabilitas, ingenij claritas memoriæ felicitas, rectitudo judicij. Item huc spectant bona acquisita; uti sunt opes, scientiæ, artes, fama bona. Item deniq; naturalia sunt, bona fortunæ, ut potè gratia, favor, amicitia hominum, ac cætera quæ inde sequuntur. *Supernaturalia* beneficia sunt, reparatio nostri per mortem Filij DEI Unigeniti, Sacramenta pro nostra sanitate spirituali instituta, Missio Spiritus Sancti pro nostra sancti-

ficatione, auxilia DEI opportuna, gratiæ præve- nientes, comitantes & subsequentes ad fugiendum malum, insequendum bonum, & sufferendum ad- versum. Huc etiàm reducitur deputatio Angeli Custodis, ut cuilibet nostrum patrocinetur in pe- riculo corporis ac animæ constituto. *Gratuita* be- neficia sunt; Prædestinatio nostri æterna ad cæle- stem gloriam consequendam, ac inde vocatio DEI efficax, tum ad observantiam legis præcepti in Ec- clesia Catholica; tum ad observantiam legis con- silij, in aliquo statu religiosorum incorrupto. Ju- stificatio nostri, ejusq; continuum augmentum per gratiam sanctificantem. Protectio Divina in qui- buscunq; tentationibus & adversitatibus. Donum stabilitatis ac perseverantiæ, in studio bonæ ope- rationis, ac profectûs spiritualis. Hæc autem be- neficia, quàm sint nobis necessaria, utilia, ac pre- tiosa, conijcere possumus ex oculo corporali, & similibus: quorum necessitas & utilitas manifesta est, pretium autem judicio prudentium inæstima- bile. *Beneficia Innocentiæ*, puta esse illa, quibus nos DEUS à summè malis aliàs perniciosis misericor- dia suâ infinitâ ductus, præservare solet. Horum alia sunt Impunitionis, alia Indesertionis, alia Impermissionis. *Impunitionis* beneficia in hoc con- sistunt: quòd nos DEUS non puniat statim, ut eum offendimus, nimirùm temporaliter aliqua ig- nominiâ, infamiâ, morte probrosâ &c. vel æter- naliter, flammis s. infernalibus: velut punivit Da- than, Abiron, Sodomitas, & nunc passim punire solet, quamvis non advertamus. *Indesertionis* be-

nefi-

neficia in eo consistunt: quod nos DEUS finaliter non deserverit in peccatis, quibus ante nimis addicti fuimus. Uti multos nostros coætaneos, nobisq; notos deseruit, juxta *Psal*: 80. Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adventionibus suis. *Impermissionis* in hoc consistunt: quod nos DEUS non permittat tantoperè tentari, ut infeliciter in aliquod pristinum grave peccatum recidamus atq; consvetudinem ejus contrahamus: exindeq; professionem nostram consequenter fastidiamus. Uti aliquibus contingit in pænam in suo Asceterio neglecti studij vitæ spiritualis, ac sanctæ Orationis, juxta *Apoc*: 3. Quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere de ore meo. Unde S. *Greg*: Qui adhuc in peccatis est, (ut potè sæcularis) conversionis fiduciam non amisit: qui verò post conversionem tepuit, (ut potè Religiosus) etiam spem de sua conversione perdidit. *Ratio* assentitur veritati responsionis, quam reflectit ad conscientiam, examen cùm ea instituens; an acceperit ejus homo cuncta hujusmodi beneficia, & cum quali gratitudine? *Conscientia* ut verùm est fatetur. *Voluntas* inde pio affectu mota prorumpit in *Actus* gratiarum actionis cum omnibus Sanctis Ecclesiæ Militantis & Triumphantis, quos vide *in Medit. Pass. Christi Consid*:

CONSIDERATIO III.

RAtio proponit. Pro quo DEUS confert homini tanta sua beneficia? *Syt*: *resp*: Pro nullis omninò meritis antecedentibus & subsequentibus. Do-

mini quidem temporales bona subditorum suorum appetunt atq; requirunt, & eorum indigent obsequiis, sed Dominus DEUS non indiget nobis, neque bonis aut meritis nostris, neque obsequio nostro; quia ipse sibi perfectissimè sufficit. Unde *Ps*: 15. DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Ea tantùm ratione indiget nobis, ut habeat quibus pro sua liberalitate ac pietate gratis benefaciat; pari etiam ratione indiget nostris obsequijs, atq; meritis subsequentibus; ut inde occasionem accipiat majora & plura beneficia nobis conferendi, gratiæ videlicet in præsenti cum suo augmento, & vitæ æternæ in futuro cum abundanti & abundantiori gloria. Nam ad hoc venit Christus in mundum, ut per eum habeamus vitam (gratiæ atq; gloriæ) sicut ipse testatur *Ioan.* 10. Et abundatiorem habeamus, si ei toto corde adhæreamus, viis ejus fideliter incedendo: & ut inde gloria nominis ejus ad extra magis ac magis innotescat; nosq; hujusmodi magnificis beneficijs concitemur ad serviendum ei in sanctitate & justitia omnibus diebus nostris, juxta *Psalm*: 110. Redemptionem misit populo suo (eà propter observare) mandavit in æternum testamentum suum. Et *Deut.* 10. Et nunc Israël, quid Dominus DEUS tuus petit à te (pro tantis beneficijs tibi exhibitis) nisi ut timeas Dominum DEUM tuum, & ambules in vijs ejus, & diligas eum, & servias Domino DEO tuo in toto corde tuo, & in tota anima, custodiasq; mandata Domini. Et D. Paul. *Eph.* 5. Estote imitatores DEI, sicut filij

charissi-

charissimi & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos. *Ratio* convincitur veritate responsionis, quam reflectit ad conscientiam, examen cum ea instituens, utrum nam homo suus fideliter DEO serviat pro tantis ab eo acceptis beneficijs? *Conscientia* ut verum scit fatetur. *Voluntas* pio affectu mota elicit *Actum*. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Vota mea reddam coram omni populo ejus. A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos. Secundùm misericordiam tuam vivifica me, & custodiam testimonia oris tui.

CONSIDERATIO IV.

Ratio proponit. A quo tolluntur beneficia DEI? *Synteresis respondet.* A superbo, Ingrato, & Infideli servo. *Superbus* est, tum qui peccatis suis excæcatus dona ac beneficia DEI, quibus abundè cumulatus est, non agnoscit venisse sibi à DEO. *Tum* qui existimat eadem dona à DEO sibi venisse, sed ob sua merita. *Tum* qui ex affluentia donorum DEI, accipit occasionem proximos suos vilipendendi. Unde Apostolus 1. *Cor:* 4. Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. *Imgratus* verò est,

Tum

Tum qui beneficia ac dona sibi à DEO collata minimè considerat, examinat, ac perpendit. *Tum* qui examinata parui facit. *Tum* qui illa quidem magni pendit, sed pro eis tanto benefactori grates debitas non reddit. *Infidelis* servus verò est. *Tum* qui donis cælitus sibi traditis utitur, non ad majorem gloriam nominis DEI promovendam, sed ad ostensam ejus Majestatis multiplicandam. *Tum* non ad proprium spiritualem profectum, sed ad animæ suæ nimiùm detrimentum. *Tum* deniq; non ad proximi ædificationem, sed ad ejus offensionem ac æternam perditionem; donec audiat *Mathæi 25.* Tollite ab eo talentum, & date ei, qui decem talenta habet, & inutilem servum ejicite in tenebras. *Ratio* responsionis veritatem comprobat, eamq; ad conscientiam reflectit; examen cum ea instituens de suo homine; taliter nè an verò aliter se habeat respectu DEI tanti sui Benefactoris? *Conscientia* ut verum est fatetur. *Voluntas* inde pio affectu mota elicit *Actus*, qui sunt positi in *Medit. de Pass: Christi Consid: 2.*

CONSIDERATIO V.

Ratio proponit. Quomodo nos præparare debeamus ad majora DEI beneficia accipienda. *Synteresis respondet. imò.* Quando grata habemus minora jam accepta: Gratitudo enim provocat benefactorem ad conferenda grato nova beneficia. Unde S. Ecclesia cælitùs instructa orat pro novis beneficijs per antiqua reparationis nostræ jam præstita, dicens: Per Mysterium S. Incarnationis,

Cru-

Crucis &c: libera nos &c. *Actus* gratiarum actionis, laudis, *ex Scal:* 3. 2*dò*. Benè nos præparamus ubi quo majora beneficia DEI accipimus, eò magis in humilitate ac DEI timore filiali proficimus; dicitur enim 1. *Petr:* 5. DEUS superbis resistit, humilibus dat gratiam. Et *Tob.* 5. Multa bona (corporalia, spiritualia, ac æterna) habebimus si timuerimus DEUM, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè. *Actus*, Abijcio me Domine in abyssum nihili mei, vilifico, despicio me, nihil sum, nihil possum; ad te sunt oculi mei. Humiliatus sum usquequaq; Domine, vivifica me (beneficijs tuis) secundùm verbum tuum. Timebo Dominum (cum Sanctis ejus) quoniam nihil deest timentibus eum. 3*tiò*. Benè nos præparamus ad majora beneficia, ubi nos etiam proximis atq; fratribus nostris, maximè inimicis amore DEI beneficia præstamus, juxta *Luc:* 6. Date & dabitur vobis. Eâ mensurâ, quâ mensi fueritis remetietur verbis *Math.* 5. Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui facit solem suum oriri super bonos & malos. *Actus* dilectionis proximi *ex Scal.* 1. 4*tò*. Benè nos præparamus ad majora beneficia DEI, uti sunt spiritualia ac æterna, quando voluntariè atq; prudenter inferiora seu transitoria relinquimus ad imitationem Christi, juxta *Matth.* 9. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, propter nomen meum, centvplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

fidebit. *Actus.* Complacentiæ in vocatione religiosa: Benedictus es Domine, qui eripuisti me de porta mortis (sc: mundi) & de ventre inferi (sc. amore transitoriorum.) Renovo Professionem meam milles & milles. Omnia arbitror ut stercora, ut Christum (ejusq; beneficia) lucrifaciam. *5tò.* Benè nos præparamus ad illa ubi ipsa nobis dari à DEO agnoscimus, atq; continuis precibus postulamus; *Luc: 11.* Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Et *Ioan: 6.* Petite, ut gaudium vestrum sit plenum. *Actus* Petitionis, Oblationis ex *Scal: 3. 6tò.* Benè nos tandem præparamus, ubi libenter Divinas recipimus correptiones & castigationes, quas DEUS filijs suis adoptivis pollicetur. *Apoc: 3.* Ego quos, amo, (& consequenter magnis & multis meis bonis cumulabo) arguo & castigo. Et S. Paul. *Hebr: 12.* Quem diligit Dominus castigat, & flagellat omnem filium quem recipit (ut suum heredem, coheredem Christi:) in disciplina perseverate, tanquàm filijs vobis offert se DEUS; quis enim filius, quem non corripit Pater. *Voluntas* complacet & exit in *Actus*: Amo tuam justitiam, me castigantem. Amo potentiam, sapientiam, bonitatem, misericordiam, mihi pro plagis copiosa retribuentem beneficia. Et cum *Tob. 11* Benedico te Domine DEVS Israël, quia castigasti me, & Sanasti me Paratum cor meum, paratum.

CONSIDERATIO VI.

R*Atio proponit.* Quam ob causam bona transi-

toria

toria frequentiùs & copiosiùs conferat, DEVS improbis, quam probis: ipsos probos non rarò subijcit potestati impiorum. *Synteresis respondet. imò ex S. Bernard.* Nè putentur mala, dantur & bonis: nè putentur magna & summa bona, dantur & malis. Item auferuntur ista & bonis, ut probentur; & malis ut crucientur. Porrò ex *S. Bonav:* Temporalia tàm bonis, quàm malis concedi debuerunt: quia aliter boni potiora sibi servari non crederent, nisi ista tàm malis, quàm bonis communia esse viderent. *2dò.* Quia sicut non est justus, qui non habet aliquod peccatum saltim veniale, pro quo in præsenti debet puniri privatione bonorum temporalium, ut *Ioan: 1.* Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Ita etiam non est impius, qui non habeat aliquod opus bonum, pro quo debentur illi saltim bona transitoria, ut *S. Greg:* Nisi dives ille aliquod bonum egisset, & in præsenti sæculo remunerationem accepisset, nequaquam illi Abraham dixisset: Recepisti bona in vita tua. *3tiò.* Non facit DEVS injuriam bonis, dum aliquando negat eis bona temporalia, malis verò largitur; æquum enim est, ut quibus dantur bona spiritualia, de terrenis modica aut nulla accipiant. Et quibus nihil datur de spiritualibus, terrestribus bonis abundent. juxta *V. Bed.* Non est Christianæ religionis in hoc mundo exaltari, sed deprimi: mali nihil habent in cælo, vos in mundo: sed spe illius boni, ad quod tenditis, quiquid in vita contigerit, gaudere debetis. *4tò.* Quia indignum est

justis

justis, ac periculosum abundare bonis temporalibus, quæ Christus Magister cælestis exemplo suo ad eorum eruditionem reprobavit, ac suis discipulis abijcere mandavit. (ut *Luc.* 14. Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus) tanquam occasiones ruinarum spiritualium, laqueosq; diaboli, quos puta esse juxta *D. Paul:* desideria nociva (id est, cupiditates honorum, voluptatum, ac possessionum) quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Vnde ait 1. *Tim:* 6. Qui volũt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. *Et paulo post.* Radix omnium malorum est cupiditas. *5tò.* Quia sicut non esset dignitatis regiæ amico suo magnum fimi donare cumulum, licet fimus noncareat sua utilitate; ita etiam dedeceret Majestatem Divinam, justis amicis suis conferre bona hujus temporis, quæ ipsimet justi arbitrantur esse ut stercora. Vnde *S. Paul: Philip:* 3. Propter Christum omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora. Quod autem tantus Christi sectator, hæc bona transitoria stercoribus assimilaverit, ratio est. Quia sicut stercora pecudum, quatenus agros fecundant, prætio æstimantur: quatenùs verò fætent & inquinant, omnibus abominabilia sunt; ita bona temporalia, in quantum deserviunt justis ad vitam eorum corporalem conservandam & spiritualem promerendam, sunt illis necessaria, uti bona in se ad hujusmodi usum humanum creata: quapropter vult DEUS illorum fieri participes iustos cum injustis, modis sibi placitis: in quantùm verò præ-

bent

bent occasionem DEUM facile offendendi, fugiuntur à justis, velut mala secundùm circumstantiam, ut nimirùm animam inquinantia atq; DEO fætentia, ideò etiam ipsemet DEVS, vitat ea concedere justis. At loco eorum ex Divina sua munificentia & pietate, confert illis dona spiritualia quorum unicum superat suo valore totius mundi honores, divitias, & voluptates, juxta *Sap. 7.* Invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ; & præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. *6tò.* Quia sicut DEVS pijssimus magnum justis præstat beneficium negando illis bona temporalia (quod patet ex supradictis) nè illis cedant in ruinam; ita maximum ac specialissimum præbet, ubi eos subijcit potestati ac persecutioni pravorum ad imitationem Filij sui, quem etiam potestati impiorum tradiderat, usq; ad sufferendam mortem ignominiosissimam ac dirissimam. Vnde *D. Greg:* Mala reprobatorum bonos dùm cruciant; purgant; utilitati justorum militat, etiam potestas pravorum. Et *S. Aug.* Nè puteris gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere DEUM: Omnis malus aut ideò vivit, ut (per justum) corrigatur: aut ideò, ut per eum justus exerceatur. Quod autẽ hujusmodi beneficium sit maximum ac specialissimum, inter dona spiritualia, patet ex verbis D. Pauli *ad Phil. 1.* Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me. *Ratio* responsionis veritate con-

vin-

vincitur, quàm reflectit ad conſcientiam, examen cum ea inſtituens de homine ſuo, quæ nam dona magis appetat, an tranſitoria, an ſpiritualia & æterna. *Conſcientia* ut ſcit verum fatetur. *Voluntas* inde pio affectu mota elicit *Actus*: Cognovi Domine quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliaſti me. Viam inquitatis amove à me, & de lege tua miſerere mei. Viam juſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Viam veritatis elegi, judicia tua non ſum oblitus. Adhæſi teſtimonijs tuis Domine, noli me confundere. O JESU conforma me totum tibi. *Vde in Scal: 4.*

MODUS
De peccatis meditationem aſceticè inſtituendi.

IMaginativa *introductio.* E'x S. Alcant. Cogita te eſſe veluti illum Lazarum quadriduanum imò plus quàm mortuum & abominabile cadaver, vermibus ſcatens, & uſquè adeò fædum, ut tranſeuntes oculos avertere, nares occludere cogantur; nè fætorem tuum oculis aut naribus hauriant. Crede te adhuc eſſe abominabiliorem DEO & Sanctis. Vel ſtatue te in perſona illius filij prodigi, qui abligurivſti totam ſubſtantiam pretioſæ gratiæ cum meretricibus ſc: cupiditatibus; indignum te reputando, qui leves oculos ad cælum, qui terram calces, quem terra ſuſtineat, cui res creatæ ſerviant; nec dignum pane, quo veſceris,

& àé-

& aëre, quem attrahis; timens nè ultrix c ta creatura consurgat contra te, juxta *Sap:* 5. Pugnabit cum illo orbis terrarum, contra insensatos.

CONSIDERATIO I.

RAtio *proponit.* Quis est, in quem peccans peccat, & quis est qui peccat? *Synteris respondet.* *Ad 1mum.* In quem peccans peccat est DEUS, non solùm summè bonus, uti ejus nobis collata testantur beneficia. Verùm etiam summè sapiens, & summè potens, tùm ad cognoscenda omnia nostra peccata, quamvis occultissima, tùm ad ea æternaliter punienda. Ad *2dum.* Qui peccat est homo, non solùm summè malus, uti ejus summo bono declarat repugnantia; verùm etiam summè stultus, summè præsumptuosus; tum quòd in eo statu vivat, in quo non audet mori; tùm quod non timeat peccare in eum quem non ignorat, posse se quolibet momento justè punire, occidere, flammis æternalibus tradere in æternum. *Ratio* responsioni assentitur, veritatem reflectit ad conscientiam, quàm examinat de homine suo; utrum fuerit aliquando tàm malus, tàm stultus, & præsumptuosus. *Conscientia* memor præteritorum fatetur. *Voluntas* in Actus resolvitur. O maledicta dies, hora, momentum, quo primùm resolvi me, ut offenderem DEUM meum! O vesaniam! vermis intumui contra DEUM, gutta contra mare, atomus contra Solem. Miserere mei &c: quoniam iniquitatem, stultitiam, superbiam meam ego cognosco. Tu scis insipientiam meam, & de-

licta mea à te non sunt abscondita; intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam & funiculum meum investigasti; & omnes vias meas prævidisti. Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Tu terribilis es,, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua. Magnus es tu, magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te ô Rex gentium!

CONSIDERATIO II.

Ratio proponit. Quæ mala spiritualia adfert homini mortale peccatum in præsenti vita? *Synt resp*: Adfert multa mala: Alia quidem in ipsum peccatum cadenti, alia de illo resurgenti, & alia in illud recidenti. *imò.* Mala spiritualia quæ incurrit cadens in peccatum sunt: Excæcatio intellectûs, depravatio voluntatis, ac deturpatio memoriæ. *Intellectus* enim peccato addictus consequenter excæcatus in ordine ad spiritualia ac supernaturalia non discernit inter verum & falsum, bonum, & malum, licitum & illicitum, expediens & in expediens, securum & periculosum, utile & damnosum, facilè & difficilè, rectum & curvum, juxta 1. *Cor*: 2. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs DEI; stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Voluntas quoq; peccato depravata non potest efficaciter ampliùs eligere,

gere, quod ſibi in æternum prodeſt; nec vitare quod ſibi in æternum nocet. Inde eſt quod faciliter triſtatur de bonis ad ſpiritum pertinentibus; & lætatur de malis, ad impetum ſuæ ſenſualitatis ſervientibus, juxta *Prov: 2.* Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. *Memoria* deniq; peccato deturpata nequit ampliùs recogitare ut oportet, quæ ſunt honeſta ac ſpiritui ſalutaria; niſi quæ ſunt carnis, mundi, ac diabolicæ incitationis, juxta *Phil: 2.* Omnes enim quæ ſua ſunt (ſenſualitati nimirùm placita) quærunt, non quæ ſunt JESU Chriſti.

2dò. Mala ſpiritualia, converſo per pænitentiam à peccatis derelicta ſunt: Obſcuritas intellectus, debilitas voluntatis, & inſtabilitas memoriæ Intellectus enim poſt receſſum peccati obſcuratus manens, non valet percipere ſpiritualia ac æterna ut oportet, niſi cum labore ac difficultate: Non valet *item* diſcurſus rationis inferioris, defendentes motus ſenſualitatis coercere, ac ſuperioribus argumentis convincere, niſi multis ſtudijs ſpiritualibus adhibitis: cùm non rarò multum errare illi contingat in judicando falſum & malum ſub ſpecie ſpiritualis veri & boni ſibi repræſentatum, omnino eſſe verum & bonum. *Voluntas* quoquè poſt abceſſum peccati manens debilitata, non valet tentationibus ſicut ſufficit reſiſtere, nec ſtudioſe virtuoſis operibus inſiſtere, nec ſatis motibus ſenſualitatis contraire: niſi ſummis & aſſiduis precibus obtineat cæleſtem à DEO corroborationem. Unde eſt quod non rarò faciliter deficiat in ordi-

ne & modo timoris & amoris, priùs nimirùm & magis timendo ac amando illud, quod posteriùs & minùs timendum & amandum esset; eo quod remissa habeatur in affectu timoris & amoris erga DEUM ac Divina; donec per multa exercitia Meditationum asceticarum, & Orationum mentalium consequatur cælitùs inflammationem. *Memoria* tandem instabilis manens post peccatum pænitentia abolitum, impotens habetur ad attendendum sine distractione spiritualibus exercitijs, ac seipsam avocandam ab inutilibus & vanis cogitationibus.

3tiò. Mala spiritualia, quæ incurrit recidens in peccatum, ante veram superrogationis conversionem usitatum, sunt: Tentatio impossibilis victoriæ, plaga impossibilis sanationis, damnatio impossibilis evitationis. Tentatio quidem hujus loci impossibilis ad vincendum dicitur esse, *tum* ex parte DEI: qui communiter deserit recidivantes, id est iteratò peccantes ex certa scientia, ex plena voluntate, & ex plena libertate, post veram sc: superrogationis conversionem juxta *Ier: 17.* Omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes à te in terra scribentur. Et *Apoc: 11.* Qui nocet (aliis detrahendo &c:) noceat adhuc (uti à DEO derelictus) & qui in sordibus est (gulæ ac veneris) sordescat adhuc; id est permittitur ipsi magis ac magis sordescere, donec compleat mensuram seu numerum suarum iniquitautm. Et *S. Greg: in Ezec:* Sicut qui à fide recedit, apostata est; ita qui ad perversum opus quod deseruit, redit; ab Omnipotenti

tenti DEO absq; ulla dubietate apostata deputabitur, etiamsi fidem tenere videatur. *Tum* ex parte diaboli, quod patet ex verbis Christi *Luc: 11.* Tunc immundus spiritus vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi (in animam recidentis) habitant ibi; & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. *Tum* ex parte ipsius recidivantis: quia per tale peccatum ex malitia voluntatis perpetratum, acquirit habitum pravum magnæ intensionis, quo ille facilitatur ad iterandum idem peccatum, & profundiùs se vitijs immergendum. Unde est *Ezech: 21.* Vir peccator adijciet ad peccandum. Plaga recidivantis cujuslibet Ascetæ impossibilis est sanationis, vel alias peccatum recidivationis per pænitentiam ordinariam incurabile Ascetis habetur, juxta *Ezech: 21.* Fili peccasti, nè adijcias iterùm, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur: quasi à facie colubri fuge (recidivationis) peccatum; nam si accesseris (ad illud post conversionem superrogationis) mordebit te. Plagæ illius non est sanitas *Hebr: 6.* Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti gustaverunt nihilominùs donum DEI, virtutesq; sæculi venturi, & prolapsi sunt rursus renovari ad pænitentiam. Et *D. Chrisost:* Noli peccarepost veniã, noli vulnerari post curã, noli sordidari post gratiam: cogita ô homo graviorem culpam esse post veniam, renovatum vulnus pejus dolore post curam, molestiùs hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus

 est,

eſt, qui poſt veniam peccat, ſanitate indignus eſt, qui ſemetipſum poſtquam curatus eſt vulnerat, nec mundari meretur, qui ſeipſum poſt gratiam ſordidat *hæc ille*. Damnatio tandem æterna, eſt malum recidivantium impoſſibilis evitationis, juxta 2. *Petri* 2. Melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ (quia minorem haberent damnationem) quàm poſt cognitionem retrorſum converti (ad priſtina ſc: peccata) ab eo, quo illis traditum ſancto mandato. Et *Luc:* 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno DEI, quaſi dicat ipſa veritas: ſicut ille qui ponit manus ad aratrum, & reſpicit retrò non eſt aptus ad benè rectéq; arandum, ita, qui manus dedit ſuæ Religioni per emiſſionem votorum ad me imitandum, & retrò ſuis concupiſcentijs ad mundana & carnalia, contra ſuam Profeſſionem obvertitur, non eſt deinceps aptus ad regnum DEI obtinendum. Qui ergò ſecundùm ſententiam Salvatoris non eſt aptus regno DEI; ille è converſo aptus eſt æternæ damnationi.

Nota indè. Quod ſecundùm Interpretes S. Scripturæ, præſens impoſſibile non eſt phyſicum, ſed morale. Illudq; ſignificat, quod paſſim communiter ac ordinariè aliàs fieri nequit, niſi quandoquè extraordinariè *id eſt* raró & difficulter. *Nota item* quod propriè loquendo peccatum recidivationis non eſt, niſi Religioſorum atq; Clericorum (juxta quod ait *D. Chryſoſt. ſup: Matth.* Laici delinquentes facilè emendantur, Clerici autem inemendabiles ſunt) qui poſt ſuam ſuperrogationis converſionem,

nem, iteratò perpetrant illud contra ſua vota ex mera malitia: id eſt, ex certa ſcientia, ex plena voluntate, & ex plena libertate; atq; in eodem peccato communiter habent affectum, poſt quemlibet ſuum actum. Quod inde patet, quia occaſiones iteratò peccandi non vitant, ſicut neceſſe eſt, pravorum conſortia non cavent, fratres melioris notæ averſantur, in colloquijs familiaribus excuſationes in peccatis ſuis & aliorum facilè adinveniunt, propenſiones ſuas ad idem peccatum iterandum quas ſentiunt, aſceticâ mortificatione edomare non curant, auxilia Divina opportunè ſibi dari cælitûs contra inſtantes tentationes affectuoſè non invocant, ſtudium aſceticæ Orationis prorsùs negligunt, donec in neceſſitatem peccandi deveniant, juxta *Iſidi de ſummo bono.* Cogitatio prava delectationem parit, delectatio conſenſum, conſenſus actionem, actio conſvetudinem, conſvetudo neceſſitatem.

Nota deniq; quod peccatum recidivationis, non eſt cuilibet Aſcetæ periculoſiùs ac deteriùs, quàm contra votum caſtitatis, præſertim verò nefandum procuratæ pollutionis, eò quod occultiſſima ſit, continuamq; ac perpetuam habeat occaſionem, aſſvetis omninò inevitabilem. De hoc peccato horrenda legere eſt apud Cornel. à Lap: *in Gen: c. 38. n. 9. Ratio* reſponſione convicta, eam reflectit ad Conſcientiam, quàm examinat de ſuo homine; an aliquando hujuſmodi malis irretitus fuerit, nec ne? *Conſcientia* ut ſcit verum fatetur, *Voluntas* inde pio compunctionis affectu mota ta-

les elicit *Actus.* Sana Domine animam meam, quia peccavi tibi. Sana me Domine & ſanabor; ſalvum me fac, & ſalvus ero, quoniam laus mea tu es. Fiat manus tua, ut ſalvet me; quoniam mandata tua elegi. Viam veritatis elegi, judicia tua non ſum oblitus. Adhæſi teſtimonijs tuis Domine, noli me confundere. Suſcipe me in ſervum tuum; & non confundas me ab expectatione mea. Spero in te, expectans à te veniam. *Vide Scal: 1.*

CONSIDERATIO III.

Ratio proponit. A quo peccatum recidivationis Religioſo venit? *Synteresis respondit imò.* Venit à tentatione diaboli, carnis mundi, & hominis mali: contra quam Spiritus S. vult eſſe præparatum quemlibet Aſcetam vitæ ſpirituali adſcriptum, *Eccl: 2.* Fili accedens ad ſervitium DEI, ſta in juſtitia & timore DEI, & præpara animam tuam ad tentationem; diabolo enim, non eſt adeò curæ, ut revocet quenquam ab ingreſſu Religionis; niſi ut Religioſum in ſanctitate & juſtitia fideliter DEO ſervire incipientem faciat per ſuam aſtutiam ac incitamenta mundi, carnis, & hominis pravi, in priſtina ſua peccata recidere, contra ſuæ profeſſionis vota, ut ſic deinceps vivens in ſtatu Religioſo, clàm palamvè irreligiosè noceat ſuo inſtituto modis ei placitis; ac poſt inde majorem incurrat damnationem; quàm ſi in ſæculo vivens ac moriens incurriſſet. Idcircò Spiritus Sanctus monet quemlibet Religioni noviter adſcriptum, quatenùs firmiter ac perpetuò ſtet in juſtitia quam

quam cæpit, & in timore DEI, quo carnem suam confixam esse sentiat, ac insuper præparet animam suam ad tentationem. Sicut autem diabolum facit alacrem ad tentandum Religiosum confidentia, quam habet in sua astutia, & in vertibilitate liberi arbitrij cujuslibet studium spiritualis vitæ incipientis, juxta quod ipsemet ait. *Iob: 1.* Circuivi terram, & perambulavi eam, *id est*: decepi omnes terrena concupiscentes, & potestati meæ subjugavi, ita ut non possint facere bonum nisi malum, secundùm meum desiderium. Et illud *lib: 4.* Habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus, *id est*, confidit, quod etiam Religiosi spirituali vitæ addicti, tandem venient in suam potestatem, per recidivationem in pristina sua peccata: qui alias contra mundi & carnis concupiscentias retrorsum cum Jordane conversi sunt, ac fluunt (sursum tendentes actibus suis anagogicis, ad montem Domini, uti est. *Ps. 113.* Et *Isai. 2.*) Ita benè præparatum facit Religiosum incipientem spiritualis vitæ studium, contra diabolum ejusq; tentationem, intima confidentia in DEO collocata. *Tum* quod non permittet se tentari supra vires suas, juxta 1. *Cor: 10.* Fidelis autem DEUS est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. *Tum* quod in omni tentatione cuilibet invocanti ac deprecanti se opportunum præstabit auxilium, juxta *Ps: 99.* Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum Clamabit ad me, & ego exaudiam eum:

cum ipſo ſum &c. Voluntatis *Actus*. In te eripiar à tentatione, & in DEO meo cunctas transgrediar tentationes. In te ſperavi, libera me, protege me, ſalva me, quoniam cognovi nomen tuum. Angelis tuis commenda me, ut cuſtodiant me &c: *2dò*. Venit peccatum recidivationis Religioſo incipienti à voluntate in venialibus peccatis, atq; ab immortificatione incuriaq; pravorũ defectuum, ut *Eccl: 19*. Qui ſpernit modica (peccata) paulatim (in majora) decidit. Item *S. Greg:* Si curare prava negligimus, inſenſibiliter ſeducti, ſtatim audenter etiam majora perpetramus. *Actus* * Infinite DEUS, non erit apud me minimum quod DEI infiniti eſt offenſivum. Non eſt filius, qui etſi non occidat patrem; tamen alapizat eum. Greſſus meos dirige, & cuſtodi etiam à minimis offendiculis. Malo mori, quàm vel levi culpa fœdari. *3tiò*. Venit à neglectu mentalis orationis, & conſequenter profectûs ſpiritualis; nam qui negligunt orationem mentalem, parum vel nihil proficiunt in vita ſpirituali, cùm talis oratio ſit vitæ ſpiritualis inſtrumentum: qui verò non proficiunt in ſtudio vitæ ſpiritualis, illi ſenſim deficiendo, tandem in gravia recidunt peccata. Hinc *S. Leo* Qui non proficit (in vita ſpirituali) deficit (in peccata recidivationis) & qui non acquirit (virtutes) eò ipſo mox gratiam juſtificantem perdit: Et *S. Bernard*. Aut aſcendas neceſſe eſt, aut deſcendas; ſi attentas ſtare, ruas neceſſe eſt. *Voluntas* renovat Profeſſionem, propoſita, ut ſupra *Conſid: 3. de Paſſ. pun. 3. 4tò.* Venit peccatum recidiva-

divationis à ſecuritate mentis in circumſpecta; qui enim complacet ſibi in ſuo profectu ſpirituali ac præſumit, quod in tali ſtatu vivens, ſecurus maneat ab omni ruina ſpirituali, ille communiter ſenſim remiſſior fieri ſolet in devotione interna, donec in eo frigeſcat charitas, & conſequenter concupiſcentia incaleſcat. Ut *S. Greg.* Non nunquàm ipſis bonis quæ agimus, ad deteriora propinquamus; quia dùm lætitiam menti pariunt, quandam ſecuritatem gignunt; dumq; mens ſecura redditur, in torpore laxatur. *Idem.* Sæpè mens dùm de virtute ſua ſecuritate reſolvitur, inopinatè culpæ telo perforatur. *Conſcientia* reflectit ſe ſupra illud Sancti Auguſtini. Semper tibi diſpliceat quod es, ſi vis pervenire ad id, quod nondum es; nam ubi tibi placuiſti, ibi remanſiſti; ſi autem dixiſti ſufficit, periiſti. *Voluntas* it in *Actus.* Humilior ſub potenti manu DEI, ut benè ſit mihi in die tentationis. Nihil ſum, nihil poſſum, diſpliceo mihi, ſi quid ſum. Ego dixi nunc cœpi. Vel incipiamus fratres. *5tò.* Venit peccatum arecidivationis à principijs pravæ politicæ, & habitibus vitiorum acquiſitorum: hæc enim ſicut per actus frequentes peccatorum contrahuntur; ita per aſceticam diſciplinam non ſuperata, in eoſdem actus peccaminoſos facilè reſolvuntur, per quos diſponendo ſic peccantem, tandem deſinunt in peccata recidivationis propriè dicta. *Hæc principia* juris pravæ politicæ ſunt tria. *1mò.* Velle conſequi licita (uti ſunt bona honorabilia, delectabilia) medijs licitis, quæ ubi non ſufficerent, velle ta-

le tamen ea consequi ad præsens per media illicita. *2dò.* Velle se à malis defendere (uti sunt despectio, contumelia, damna & quæcunq; injuriæ) modo licito; qui ubi deesset velle interea adhunc effectum adhibere modum aliquem illicitum. *3tiò.* Velle sua recuperare, & injuriam publicâ authoritate puniri: quæ ubi deficeret, velle tamen id ipsum pro hac vice fieri autoritate privatâ. *Habitus* autem pravi sunt, vitia per actus peccaminosos acquisita (ut potè habitus superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ, gulæ, iræ, & acediæ) quorum motus sequuntur judicium rationis inferioris, ac falsum lumen principiorum pravæ politicæ. *Actus* Omnia volo &c: Paratum cor meum &c: *vide Scal. 4, 6tò.* Venit Religioso peccatum recidivationis à peccato lapsus: nam ubi citò per pœnitentiam non diluitur, (ut ait S. Gre:) mox suo pondere in aliud (peccatum nempe recidivationis) trahit. Cujus rei exemplum habemus in David: qui post adulterium mox commisit homicidium. Item in Juda proditore, qui post fur tum, mox vendidit traditione Christum, ac postlinde laqueo suspendit seipsum, unde dicitur *Psa: 41.* Abyssus abyssum invocat. Illud autem est peccatum lapsüs, mortalis nimirùm culpæ: quod committitur, vel ex ignorantia excusante non totaliter quidem, sed aliqualiter à culpa, idq; vel propter infirmitatem voluntatis, quam infirmant seu debilitant passiones nondùm satis mortificatæ, vel ob aliquam coäctionem, per amorem, aut timorem rei alicujus causatam quando autem tale pec-

catum actu quis committit, plerumquè desiderat protinùs recuperare perditam justitiam, ut *S. Aug.* Nullus Sanctus & justus caret peccato, non tamen ex hoc desinit esse justus, Sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. Inde *S. Bernard: ser: ad fratres ait*: Bonum est, nos hic esse, *s.* in Religione, quia hic homo vivit purius, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, quiescit securiùs, irroratur frequentiùs, purgatur citiùs moritur confidentiùs, rem uneratur copiosiùs. *Ratio* convicta examinat cum conscientia suum hominem, videat nè in illo hanc vel alias causas recidivandi. *Voluntas* prorumpit in Actus detestationis, ut supra alibi: & deprecationis. Salvum me fac DEUS, quoniam intraverunt aquæ (sc: pericula recidivationis) usq; ad animam meam. Tu ipse libera me de laqueo venantium.

CONSIDERATIO IV.

Ratio proponit. Pro quolibet mortali peccato, maximè verò pro peccato recidivationis, quotupliciter homo in præsenti vita punitur? *Synt: resp:* Punitur multipliciter. *imò* quidem omnium bonorum spiritualium privatione. *Privatur* enim recidivans donis omnibus gratuitis, quæ cælitùs acceperat in sua conversione ad DEUM supererogativa; atq; omnibus meritis vitâ æternâ dignis, quæ bonis operibus cum auxilo DEI sibi comparaverat, juxta *Eccl: 9.* Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. Et *Ezech. 18.* Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes

justi-

justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur. *Privatur* item potestate proxima iterum merendi vitam æternam, quamvis multa bona operetur in statu suo religioso, tàm quæ sunt de lege præcepti, quàm de lege Consilij: quia nulla bona opera extra gratiam charitatemq; DEI possunt esse meritoria. Unde est illud *1. Cor: 3.* Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero nihil mihi prodest. *Privatur* item imagine ac similitudine DEI, quâ in anima decoratus fuit, per dona gratuita cælitus accepta, imagine verò ac similitudine deturpatur diaboli, velut ex filio DEI, filius diaboli factus, juxta *Ioan. 8.* vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. *Privatur* deniq; coronâ vitæ æternæ, quam habuit in promissione, uti *Apoc: 2.* Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ; nunc autem alteri collata est, juxta *Apoc: 3.* Tene quod habes (de donis DEI gratuitis) ut nemo acccipiat coronam tuam. Cujus rei habetur exemplum in 40. Martyribus, quorum uno deficiente, statim janitor balnei in ejus locum successit Christum confitendo, eaq; ratione coronam deficientis accepit. Item in Nicèphoro, qui gratiâ DEI incensus, martyrio se obtulit loco Sapricij ejusq; coronam consecutus est. Unde S. Job: exclamans dicit *c. 27.* Justificationem meam quam cæpi tenere non deseram. *Ibid.* Punitur dirissimo remorsu suæ conscientiæ, quem remorsum expertus est Cain cùm diceret: *Gen: 4.* Ecce

eijcis

eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra? *70. legunt.* Et ero gemens & tremens: gemens quidem ex apprehenſione pænæ in præſenti mihi inflictæ, & in futuro infligendæ, & tremens tàm animo, quàm corpore, ex mala & deſperata conſcientia. Unde *S. Anſel.* Conſcientia impiorum magna pæna eſt: piorum verò magnum gaudium. Et *S. Iſid:* Conſcientia rei ſemper in pæna eſt: nunquam ſecurus eſt reus animus, conſcientiæ proprijs agitatur ſtimulis. *3tiò.* Recidivus punitur alio & alio peccato, velut pænâ ſui peccati. Unde *S. Greg:* Peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo ſed & peccatum eſt, & pæna peccati: quia juſto judicio Omnipotens DEUS cor peccatoris obnubilat, ut præcedentis peccati meritò etiam in alia cadat. Et *S. Iſid:* Dùm facta quædam non gravia libere & ſine metu committimus, ad pejora ſcelera, & horrendam peccati conſvetudinem labimur. *4tò.* Punitur derelictione Divinâ in peccatis, juxta *Pſ. 8.* Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus ſuis. Et *Ier: 17.* Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te in terra (non autem in cœlo) ſcribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Et *Eccl: 7.* Conſidera opera DEI, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit, id eſt, dereliquerit. Unde Samuel admonetur à DEO, ne lugeat amplius Regem Saul jam derelictum, dicens *1. Reg: 16.* Uſquequo tu luges Saul, cùm ego

projecerim eum. *5tò.* Punitur recidivans morte pessimâ sive extra, sive intra Religionem, juxta *Ps: 33.* Mors peccatorum pessima. Unde *S. Aug.* Non potest malè mori, qui benè vixerit; & vix benè moritur, qui malè vixit. *Item.* Qualis vita, finis ita. *Item.* Vivite benè, nè malè moriamini. *Ratio* veritati responsionis assentitur, quam reflectit ad conscientiam; cùm qua examen instituit de suo homine. Caveatnè ut oportet hujusmodi culpam, si non vult incidere in talem punitionem. *Conscientia* fatetur ut verum est. *Voluntas* quasi admonita illis *1. Ioann. 2.* Verbis, Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis; exit in *Actus.* Justificationem meam, quam tenere cæpi, non deseram. Bonus es tu, & in bonitate &c: Delicta juventutis meæ &c: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Amove à me plagas tuas. Domine non secundùm peccata nostra facias nobis. Vivat anima mea vita justorum; & fiant novissima mea similia eorum. Custodi me Domine &c: Emitte manum tuam de alto, & eripe me de limo culpæ & pænæ.

CONSIDERATIO V.

Ratio proponit. Quomodo cuilibet hominum de peccato resurgendum est? *Synt: resp:* Per veram pœnitentiam, juxta *Act: 3.* Pænitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra. Et *Luc: 5.* Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. *Pœnitentia,* quâ delentur peccata; alia est exterior, alia interior. *Exterior,* quidem

dem est pænitentia Sacramentalis, quæ requirit dolorem animi de peccatis comissis, ac serium propositum ampliùs non peccandi, exteriùs pura manifestatum. itemq; confessionem eorundem peccatorum secretam, & absolutionem Sacerdotalem voce prolatam: deniq; satisfactionem DEO ac hominibus debitam in voto saltim, dùm interea in re haberi non potest. Pœnitentia *interior* est virtus habitualis, & actualis: quam constituit nolle peccasse, & nolle peccare, & ipsum non peccare ob DEUM summè honorandum, amandum & imitandum, ut infinitè potentem, bonum & sapientem. Vel idem est, ac detestari peccata in præterito commissa, supra omnia detestabilia propter soliùs DEI offensam: atq; propositum habere firmum non peccandi in posterum: & insuper totâ mentis efficaciâ in æternum adhærere legi Divinæ, fortiter ac fideliter cuilibet tentationi ad transgressionem ejusdem inducenti, resistendo. Unde est *Ezech.* 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est; & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet, & non morietur. Vel item pænitentia ut virtus idem est ac volitio, quâ homo causâ DEI efficaciter vult in se punire peccatum: & nolitio, quâ homo seriò non vult commisisse peccatum, atq; committere in æternum.

Pœnitentia præsens, ut sit plenè virtuosa debet esse tempestiva, continua, & perpetua. *imò.* quidem debet esse tempestiva sine dilatione juxta *Ezech.* 5. Non tardes converti ad Dominum, & nè

 disse-

differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. *Et D. Aguſt: Serm: 36.* Age pænitentiam dum ſanus es; ſi ſic agis dico tibi, quod ſecurus es, quia pænitentiam egiſti eò tempore, quo peccare potuiſti; ſi vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes; peccata te dimiſerunt, non tu illa. *2dò.* Debet eſſe continua ſine interruptione, juxta *Ioan: 5. & 8.* Ecce ſanus es, jam noli peccare, nè deteriùs tibi aliquid contingat. Vade & jam ampliùs noli peccare. *Et D. Hier.* Reſurrectio ſpiritualis, quæ eſt pænitentia, debet eſſe cum Chriſto ſemper victuro, non cum Lazaro iterùm morituro. Et *S. Iſid.* Irriſor eſt, non pænitens, qui adhuc agit, quod pœniteat. *3tiò.* Debeat eſſe perpetua, ſine ceſſatione juxta *D. Aug:* Pœnitens ſemper doleat, & de dolore gaudeat; & non ſemper ſe doluiſſe doleat. *Et, Hugo.* Pænitentia appellata eſt, quaſi punientia, eò quòd homo in ſe pænitendo punit, quod malè admiſit. Et *D. Bonav.* Pœnitens toto vitæ ſuæ tempore de peccatis pœniteat præteritis, & propoſitum habeat infuturum ſemper abſtinendi. Unde pænitere eſt pænam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando: ille pænam tenet, qui ſemper vindicat, quod ſe commiſſe dolet, ubi dolor finitur, deficit, & pœnitentia.

Pænitentia ut virtus, alia eſt Ordinaria, alia extraordinaria. Pænitentia ordinaria 2plex eſt: Altera dicitur neceſſitatis, tanquàm de lege præcepti, quæ deteſtatur, abominatur, & fugit omnia

& ſin-

& singula peccata mortalia, supra omnia hujus mundi detestabilia, abominabilia & fugibilia universè aut confusè apprehensa; ac omnem deserit proximam peccandi occasionem; ex instinctu timoris ac amoris DEI. Hæc pænitentia communis est omnium fidelium justorum: *Altera* dicitur superrogationis, tanquam de lege consilij; quæ detestatur, abominatur, & fugit eadem peccata supra omnia hujus mundi detestabilia, abominabilia, & fugibilia, distinctè ac sigillatim apprehensa, ac remotam deserit (juxta Evangelium Christi) quamvis peccandi occasionem, ex eodem instinctu timoris & amoris DEI. Hujusmodi pænitentia specialis est, ac propria bonorum Religiosorum.

Pænitentia extraordinaria illa est, quæ cælitùs inflammata Divino amore, detestatur, abominatur, & fugit peccata supra omnia futuri sæculi detestabilia, abominabilia & fugibilia fide sc. credita, ac distinctè apprehensa; uti sunt pænæ sensus varij generis infernales. Hæc autem detestatio, abominatio, & fuga peccati, aliàs est mystica resolutio atq; resignatio. *Ad* eandem pænitentiam extraordinariam spectat, tùm manifestatio superiori suo arcanorum propriæ conscientiæ, tanquàm Patri spirituali, eâ causâ, ut secundùm illam ipse manifestans exteriùs gubernetur. Tum grata acceptio cujusvis injuriæ, opprobrij, ac multæ confusionis, juxta *D. Ambr.* Qui pænitentiam agit paratus debet esse ad opprobria perferenda, injuriasq; subeundas; nec commoveri, si quis ei peccati sui crimen objiciat.

Nota. Quod per pœnitentiam neceſſitatis, reſurgitur de peccatis, quoquo modo antè converſionem ſuperrogatoriam commiſſis. Per pænitentiam autem ſupererogationis, tùm de ijſdem peccatis reſurgitur, tùm ipſamet anima ab infirmitatibus vitiorum acquiſitorum ſenſim aſceticè ſanatur. Per pænitentiam deniq; extraordinariam à quibuſcunq; peccatis reſurgitur, etiam à peccatis recidivationis, & anima ad ſanitatem aſceticam citò revocatur, & omnibus virtutibus ſuperrogatorijs imbuitur. *Ratio* convicta examinat cùm conſcientia ſuum hominem, utrum nam habeat hujuſmodi pænitentiam virtutis cum ſuis requiſitis, nec ne? *Conſcientia* fatetur quod ſcit. *Voluntas* pio indè affectu mota, elicit *Actus*, quos vide *in Medit: de Paſſ: D. Conſid: 3.*

CONSIDERATIO VI.

Ratio proponit. Quam ob cauſàm DEUS hominem creavit peccabilem? Cùm odiò habeat peccatorem, & peccatum ejus; uti conſtat *Sap: 14.* *Synt. reſpondet.* Verùm quidem eſt, quod odio impius DEO & impietas ejus nihilominùs creavit hominem naturâ peccabilem, ob juſtas rationes. *Tùm* ex parte ipſius hominis. *Tùm* ex parte ſui. *ima* quidem ex parte hominis eſt, ut homo per ſui liberi arbitrij eleictionem cum auxilio cælitus advocato fieret moraliter impeccabilis, & conſequenter filius DEI adoptivus per gratiam juſtificantem, juxta *1. Ioann: 3.* Omnis qui natus ex DEO, peccatum non facit, quoniàm ſemen ipſius

in eo

in eo manet. Semen autem hujusmodi sunt Divinæ inspirationes, quas DEUS mediante gratia sua per fidem, & alia dona Spiritus S. imprimit menti: quibus dùm intendit homo, excludit omne semen diabolicarum suggestionum ac repræsentationum; & sic non facit peccatum uti impeccabilis, quousquè Divinarum inspirationum sequitur ductum. *2da.* Vt homo non esset conditione inferior omnibus animantibus, quæ DEUS sic administrat, ut illa agere sinat, juxta suas propensiones: eâ propter etiam hominem reliquit in sua libertate: non tamen ut faciat impunè, quod placet malum; cùm sibi impiè agenti statutæ sint divinitùs pænæ dirissimæ, sed ut libera voluntate DEO inserviat, mandata ejus observando, ac eo ipso vitam sibi æternam promereatur cælitùs repromissam. Unde est *Eccl: 15.* Nemini mandavit DEUS impiè agere. Et *Psal: 10.* Pluet super peccatores laqueos Et *Sap: 5.* Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces illorum. *3tia.* Ut homo gloriosior appareret, si non peccaret cum peccare posset, juxta *Eccl: 31.* Erit illi gloria æterna qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit. *4ta.* Ut justus virtute decoratus, magis resplendeat ex turpitudine vitij impiorum, cum opposita penes se posita, magis elucescant: undè & mali satis commendant bonos ad invicem comparati. *5ta.* Ut impiùs deserviat justo sua persecutione ad profectum spiritualem, juxta *D. Aug.* Nè putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere

DEUM: Omnis malus, aut ideò vivit ut corrigatur; aut ideò, ut per illum justus exerceatur.

1ma item ratio ex parte DEI est. Ut habeatur differentia inter Creatorem & creaturam. Si enim DEUS hominem creasset impeccabilem, fecisset eum æqualem sibi: ipse enim solus impeccabilis atq; invertibilis ac immutabilis est Omnis autem creatura intellectualis, tanquam impotens in se, meritò debet esse peccabilis, vertibilis, ac mutabilis; donec cælestibus auxilijs firmetur ab ipso Omnipotente DEO.

2da. Ut summa sapientia DEI ad extra innotescat omni creaturæ intellectuali, per malum ab homine peccabili perpetratum: de quo scit DEUS elicere bonum, uti est ejusdem hominis pænitentis meritum, & præmium vitæ æternæ. Unde *S. Aug.* Meliùs judicavit DEUS de malis benè facere, quàm mala nulla esse permittere.

3tia. Ut notam faceret DEUS summam bonitatem, clementiam, misericordiam, & charitatem: per quam bonitatem hominem perditum reparavit, interveniente Filij sui Unigeniti passione, ac morte: & nunc ipsum reparat semper, interveniente Spiritûs Sancti gratiâ justificante. Unde *Rom.* 5. Commendat autem charitatem suam DEUS in nobis quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est. Et *Tit.* 3. Secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs S. quem effudit in nos abundè per JESUM Christum Salvatorem nostrum: ut justificati

ſtificati gratiâ ipſius heredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.

414. Ut oſtenderet DEUS ſuam juſtitiam reddendo juſtis præmia, & impijs ſupplicia, juxta *D. Athan. Symb.* Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala in ignem æternum. *Ratio* convicta examinat conſcientiam, utrum nam fecerit ſe per ſtudium vitæ ſpiritualis cùm auxilio DEI impecabilem, nec ne? *Conſcientia* ut ſcit verùm fatetur. *Voluntas* inde affectu pio mota, eficit *Actus* Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miſerere mei. Viam veritatis elegi judicia tua non ſum oblitus. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me juſtificationes tuas. Juſtificationes tuas cuſtodiam, non me derelinquas uſquequaq;. Suſcipe me in ſervum tuum & vivam; & non confundas me ab expectatione mea. Amo tuam juſtitiam, *vide Scal. 5.*

MODUS

De miſerijs hujus vitæ meditationem Aſceticè inſtituendi.

INtroductio imaginativa cum S. Alcant. Cogitate in limo profundi (mundi vel peccatorum, in quibus infixus es, vel ante eras) ſimilem arundini aridæ expectanti vel ventum, vel ignem, vel falcem; quæ quolibet vento exagitatur, flectitur, ſine gravitate, ſine virtute, ſine conſtantia ſine ſtabilitate; & quaſi ſine ullo eſſe. Vel ſtatue te coram te, in fûndo nihili tui; quidquid vilium

est in mundo & inanium: Cogita adhuc non esse dignam comparationem nihili tui, quia si quæ vilia sunt, tamen aliquid entitative sunt; nec meruerunt annihilationem sui, tu autem nihil, quia saltim ut ingratus DEO meruisti toties plenam tui annihilationem.

CONSIDERATIO I.

Ratio proponit, Quis in hoc mundo miserrimus est? *Synt: resp. zpliciter. imò.* Miserrimus est homo, omnium animantium: In nativitate in vita & in morte. *In nativitate* quidem; nam cuncta ferè animalia nascuntur vestita pilis, lana, lanugine, squammis, & similibus; statimq; sciunt natare, ambulare, ac necessaria vitæ suæ quærere. Homo autem de utero matris suæ omninò nudus egreditur, nec scit aliud, nisi flere, ac miseriam suam deplorare, juxta *Iob. 1.* Nudus egressus sum de utero matris meæ. Et *Sap: 7.* Primam vocem similem omnibus emisi plorans. *In vita* etiam miserrimus est homo: multa namq; animalia superant eum viribus corporalibus, agilitate, Velocitate, & similibus, ut leo, pardus, ursus &c: perspicacius illo vident, ut lynx, aquila &c: Meliùs audiunt, ut lepus; acutiùs odorantur, ut canis; sapidius gustant, ut lupus; minorem patiuntur in sensu tactûs dolorem: quia non tantoperè apprehendunt suum malum, uti homo. *In morte* tandem miserrimus est homo; ubi hinc migrat in peccato mortali; quia animalium si hic est aliqua miseria, morte illorum finitur, hominis verò in

æternum duratura, continuò inchoatur. *2dò.* Omnium hominum miſerrimus eſt ille homo, qui non agnoſcit ſe eſſe miſerum: niſi potentem, felicem, divitem, ſapientem, alijs digniorem, quia dicit *S. Paul. Gal. 6.* Si quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. *Item Apoc. 3.* Dicis quod dives ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer, & pauper, & cæcus, & nudus. *Ratio* convicta examinat cùm conſcientia ſuum hominem, an recognoſcat ſe eſſe miſerum, nec ne? *Conſcientia* ut ſcit verum fatetur. *Voluntas* pio affectu mota, tales elicit *Actus.* Recognoſco Domine, quia ſum miſer, pauper, cæcus, nudus. Miſer factus ſum, & curvatus (peccatis meis) usq; in finem. Bonum mihi, quia humiliaſti me; ut diſcam juſtificationes tuas. Tu ſcis Domine inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita. Fac mecum ſecundùm miſericordiam tuam, & juſtificationes tuas doce me. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum; & in peccatis meis concepit me mater mea.

CONSIDERATIO II.

Ratio proponit. Quæ & quotuplices ſunt miſeriæ hominis in hac vita? *Synt: reſp.* Duplices eſſe, juxta *D. Bonavt in illa verba Iob:* Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miſerijs, ut potè corporis & animæ. *Miſeriæ corporis* octo ſunt, Eſuries, ſitis, frigus, calor, labor, dolor, mors, & incineratio, quæ non indigent explicatione, quia ſentiuntur. *Animæ* verò quatuor:

ori *ma.* Fragilitas, quæ est quædam impotentia & infirmitas liberi arbitrij ad prosequendum bonum, & recedendum à malo. Verùm fragilitas considerata specialiter idem est, quod propensio animi ad peccandum, orta ex timore immoderato alicujus rei odibilis, vel ex amore inordinato alicujus rei appetibilis. Impotentia verò est imbecillitas animi ad resurgendum de peccato. Infirmitas deniq; est debilitas ejusdem ad firmiter standum in bono. *Actus* statue super petram pedes meos. Diligam te Domine fortitudo mea, Confirma hoc DEUS, quod operaris in nobis. *2dò.* Ignorantia quæ est carentia cognitionis debitæ sui ac Divinorum, ad consequendam salutem, conducibilium. Unde fit, quòd sæpè reprobāda eligantur, eligenda reprobentur, malum reputetur bonum, & bonum malum, falsum verum, & verum falsum. *Actus.* Illumina oculos meos Domine, & emitte lucem tuam, ô lux, ô lumen oculorum meorum DEUS meus. *3tiò.* Concupiscentia, quæ est impetus sensualitatis, sollicitans liberum arbitrium nostrum, ad bona honorabilia, utilia, ac delectabilia immoderatè appetenda, ut est *Iac: 1.* Unusquisq; tentatur à concupiscentia sua. *Actus.* Confige timore tuo Domine carnes meas. Nè me tradas in desiderium peccatorum. Nihil volo, nihil desidero, præter Te DEUS meus, & omnia. *4tò,* Malitia, est aliqua animi saporosa adhæsio ad malum, ut dicitur *Prov: 2.* de quibusdam: Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Vel item est, proni-

tas

tas liberi arbitrij in malum, ante impetum sensualitatis & tentationis impulsum, de quo *Gen: 8.* Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab adolescentia sua. *Rátio* cum conscientia convicta ipsa experientia videt suum hominem undiq; miserijs circumdatum. *Voluntas* ingemiscens cupit ab eis liberari. *Actus.* Sana Domine animam meam, quia peccavi tibi. Sana me Domine, & sanabor. Salvum me fac, & salvus ero: quoniam laus mea tu es. Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis hujus. Complaceat tibi Domine, ut eripias me.

CONSIDERATIO III.

Ratio proponit. Pro quo his miserijs in vita nostra repleamur & puniamur? *Synt: resp:* Punimur pro peccato primorum Parentum, ut est *Rom: 5.* Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines; mors (cum suis præambulis) pertransiit, in quo (homine) omnes peccaverunt. Quia dùm Adam peccasset (juxta *D. Aug:*) omnes homines fuerunt unum cum illo, velut in sua origine, quodq; Adam fecit, omnes ejus posteri fecisse censentur: Adam enim ut Pater & Princeps suos posteros repæsentabat, uti Rex repræsentat regnum, Magistratus civitatem. Hinc est, quod nos omnes filij Adam infecti peccato illius actuali, quod in nobis est habituale & originale, meritò affligimur præsentibus miserijs, justitia DEI infinita id exigente, Quoniam autem peccatum completur aver-

sione

sione mentis à DEO, & adhæsione alicui creaturæ, contra decretum Divini beneplaciti; & quoniam aversio præsens diversa datur, secundùm diversitatem Divinarum perfectionum; idcircò etiam diversis ac multiplicibus miserijs affligimur, veluti filij miserorum parentum. Unde *pro* aversione à DEO, ut est vita immortalis, æterna, felix, ac beata; & pro conversione ad fructum ligni vetiti; morte punimur, alijsq; miserijs corporalibus mortem prævenientibus. *Pro* aversione autem à DEO ut est summa virtus seu potentia; punimur fragilitate, impotentia, infirmitate animi nostri. *Pro* aversione *item* à DEO, ut est summa veritas, & infinita sapientia, punimur ignorantiâ DEI ac divinorum. *Pro* aversione item à DEO, ut est summa svavitas, seu summa bonitas in nobis, ratione beneficiorum nobis collatorum & conferendorum; punimur concupiscentiâ. *Pro* aversione *tandem* à DEO, ut est summa ac infinita bonitas in se; punimur malitiâ secundum quam sapit animo peccatum. *Ratio* veritati responsionis assentitur, quàm reflectit ad conscientiam, examen instituens cum illa de homine suo, utrum recognoscat aversiones mentis à DEO, non tam primorum suorum parentum, quam suasmet proprias? An à DEO poscat pro hujusmodi aversionibus condignas has punitiones, converti sibi in bonum per disciplinam vitæ spiritualis? *Conscientia* fatetur ut verum scit.

Voluntas inde elicit *Actus*, qui habentur *in Medit: Pass: Consid: 3.*

CON-

CONSIDERATIO IV.

R*Atio proponit.* A quo miseriæ præsentes homini veniunt, magisq; ac magis multiplicantur? *Synt: resp:* Trifariam. *imò.* Veniunt, multiplicanturq; ab ipso DEO Clementissimo. *Tùm*, ut per earum sufferentiam pleriq; electi à peccatis suis præteritis purgentur, juxta *Ioan:* 5. Ecce sanus factus es, vade & ampliùs noli peccare. *Tùm* ut præserventur à multis peccatis. Sicut factum est cum S. Paulo 1. *Cor:* 11. Nè magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. *Tùm* ut per tolerantiam miseriarum, majorem gloriam in vita futura consequantur, juxta *Act:* 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. *Tùm*, ut proximi ædificentur. Sic DEUS magnis & plurimis afflixit Job miserijs, & Tobiam, ut multi haberent ad sui ædificationem exempla patientiæ. *Tùm*, ut DEUS ex tolerantia & patientia justorum glorificetur, juxta *Ioan:* 9. Neq; hic peccavit, neq; parentes ejus, sed ut manifestentur opera DEI in illo. *Tùm*, ut multi à peccando revocentur, & ad DEUM per pænitentiam convertantur, juxta *Levit:* 26. affligentur, donec confiteantur iniquitates suas. *Tùm*, ut multi pro peccatis suis enormibus; tam in præsenti, quam in futuro crucientur. Uti factum est Antiocho & Herodi, 2*dò*. Veniunt miseriæ plerisq; hominibus à proprijs eorum concupiscentijs, honorum puta, possessionum & voluntatum: hæc enim immode-

rate

ratè appetere, & consequi non posse, magna est miseria: quia frustra susceptus labor pro acquirendis hujusmodi desideratis, multa tristitia mentem afficit: sed major est miseria, eadem appetere & consequi; quia acquisita & nimis amata mentem inquinant multiplicibus peccatis, ac nimio timore afficiunt, nè aliquo perdantur infortunio. Maxima autem miseria est, possessa nimisq; amata depercere: quia luctuosa eorum amissio, animum perpetuo dolore excruciat. Idcircò sanè consulitur *Eccl: 10.* Post concupiscentias tuas non eas, & á voluntate tua avertere: si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Unde *S. Bernard.* Si sapis, si habes cor, si tecum lumen est oculorum tuorum, desine jam ea sequi, quæ & consequi miserum est; beatus, qui post ea non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. *3tiò.* Veniunt miseriæ hominibus, â mala eorum voluntate, ac multò magìs à potestate implendi ejusmodi voluntatem, juxta *D. Aug.* Qui nequiter vult vivere, nonnè tanto miserior esse convincitur, quanto faciliùs, mala ejus voluntas impletur. *Item*, mala voluntate non solum quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur. Et *D. Hier* Apud Christianos non qui patitur, sed qui facit injuriam miser est. *Ratio* convincitur responsione, quam reflectit ad conscientiam, examen cum ea instituens de suo homine. An submisse ferat miserias à Divina clementia sibi venientes, nec ne? An item concupiscentias suas ar.

as arceat internâ mortificatione, atq; proprium judicium, & propriam voluntatem revocare studeat à malo, & inducat in viam imitationis Christi, nec ne? *Conscientia* ut scit fatetur verum. *Voluntas* elicit *Actus*. Cognovi, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliasti me. Confige timore tuo carnes meas, à judicijs enim tuis timui. Vide Domine, si viâ iniquitatis incedo. & deduc me in viam justitiæ. Adhæsi testimoniis tuis Domine, noli me confundere. Veniant mihi miserationes tuæ & vivam: quia lex tua meditatio mea est.

CONSIDERATIO V.

RAtio proponit. Quomodo miserias hujus vitæ vult nos DEUS ferre? *Synteresis respondet. imò.* vult ferrè *gratanter.* Quia Protoparentes nostri, (*ipso puta permittente* DEO,) in peccatum lapsi sunt; in quibus & nos omnes homines lapsi sumus tanquam in nostra origine: ut secundùm æternum propositum, nobis per Filium suum unigenitum reparatis, hac occasione gloriam suam æternam communicando manifestaret. Unde Apost: *Ephes*: 1. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ, gratiæ suæ, in qua gratificavit nos, in dilecto Filio suo: in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus &c: aliàs enim ubi DEUS clementissimus non permisisset nos peccasse in Parentibus, & miserias eorum contraxisse, non dedisset etiam nobis

Filium

Filium suum in Salvatorem ac Magistrum, & fra-
trem nostrum, juxta *Nicenum Concil.* Qui prop-
ter nos homines, & propter nostram salutem &c:
Et *S. Aug. Ser: 9. de Verb: Apost:* Nulla causa fuit ve-
niendi Christo Domino, nisi peccatores salvos fa-
cere. Et *S. Leo Ser: 3. de Pent.* Si homo non devi-
asset, Creator creatura non fieret, neq; aut sempi-
ternus temporalitatem subiret; aut æqualis DEO
Patri Filius, formam servi, & similitudinem carnis
peccati assumeret. Hinc ex *D. Greg:* exultans ca-
nit Ecclesia *in bened. Cerei. Paschalis.* O vere ne-
cessarium Adæ peccatum, quod Christi morte de-
letum est! O felix culpa, quæ talem ac tantùm
meruit habere Redemptorem! *Actus.* Gratiarum
actionis, laudis, *Scal: 3. 2dò.* Vult nos DEUS fer-
re miserias *hilariter* assistente nobis ejus divina con-
solatione: quia licet præsentibus miserijs ac malis
quibuscunq; ab adversarijs nobis illatis multùm
non raro exteriùs affligimur; interiùs tamen ex ap-
prehensione meriti ac præmii æterni summoperè
consolamur, ut dicitur *2. Cor: 4.* Id quod in præ-
senti est momentaneum & leve tribulationis nostræ,
æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Et
Psal. 93. Secundùm multitudinem dolorum meo-
rum in corde meo, consolationes tuæ lætificave-
runt animam meam. Unde est *2. Machab: 6.* ait
Eleazarus Martyr: duros corporis sustineo dolo-
res, secundùm animam verò, propter amorem tu-
um libenter hæc patior. Similiter & alij Sancti,
dum paterentur martyria, & alia adversa propter
Christi fidem amorem ac imitationem, secundum
carnem

carnem quidem ingemiſcebant, ſed ſecundùm ſpiritum ex divina conſolatione lætabantur, Ut *Iſai.* 24. Ingemuerunt omnes, qui lætabantur corde. *Actus.* reſignationis, indifferentiæ *& alij ex Scal.* 4. 3tiò. Vult ferre *confidenter*, quia per miſericordiam DEI cita nobis promittitur liberatio ab his miſerijs, alijſq; adverſis, ut *Eccl.* 2. Qui timetis Dominum ſperate in illum, & in oblectationem veniet nobis miſericordia. Et *Pſ.* 26. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. *Ioann.* 16. Triſtitia veſtra, vertetur in gaudium. Actus ſpei *ex Scal.* 1. 4tò Vult ferre *humiliter ac patienter*: quia ad profectum noſtrum ſpiritualem hujuſmodi miſeriæ, & quæcunq; adverſa cælitus nobis ordinantur, ut eſt *Eccl.* 2. In humilitate tua, patientiam habe; quoniam igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. *Rom:* 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio ſpem; ſpes autem non confundit, Unde *S. Greg.* Mala, quæ nos hic premunt, ad DEUM ire compellunt. *Actus*, Amo tuam ſapientiam &c. *ex Scal:* 5. 5tò. Vult ſufferre *condolenter*, compatiendo alijs in ſimilibus miſerijs & afflictionibus conſtitutis; ut dicitur *Rom:* 17. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus *S. Greg.* Cùm alienæ infirmitati compatimur, valentiùs in noſtra roboramur. Actus dilectionis proximi *ex Scal:* 8.

CONSIDERATIO VI.

R*Atio proponit.* Ob quam cauſam Salvator noſter

 repa-

reparando vitam noſtram, non ſuſtulit miſerias vitæ noſtræ? *Synterefis reſpondet imò.* Quia ſic facere decrevit nobiſcum ſuam miſericordiam, quatenùs infinitæ ſuæ juſtitiæ ſtatutum omnino permaneret inviolatum illud *S. Hebr. 9.* Statutum eſt hominibus ſemel mori, & conſequenter miſerias, quæ præcedunt mortem pati. Non enim DEUS noſter ita eſt miſericors, ut deſinat eſſe juſtus; nec ita juſtus, ut non ſit miſericors. Ut *Pſal: 111.* dicitur. Miſericors Dominus, & miſerator, & juſtus. *2dò.* Quia ſic ipſi placuit nos reparare, quatenùs per viam innocentiæ ac juſtitiæ originalis redeamus in gratiam juſtificantem, & cæleſtem paradiſum; ſed per viam humilitatis ac pænitentiæ, juxta *Levit. 26.* Affligentur donec confiteantur iniquitates ſuas, & malorum ſuorum recordentur. Et *Matth. 3.* Pænitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. *3tiò.* Quia ſic nos reparare propoſuit, ut Sacroſanctæ Paſſioni Filij Unigeniti ejus ad promerendam & conſequendam vitam æternam, còóperemur paſſione noſtrarum miſeriarum. Ut dicit *D. Paul. Coloſ. 1.* Adimpleo (paſſione mea miſeriarum hujus vitæ) quæ deſunt paſſioni ejus, & *Act: 14.* Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Et *2. Cor. 5.* Si fuerimus ſocij paſſionum, erimus & conſolationum. *4tò.* Quia Pater cæleſtis æterno ſtatuit decreto, ut quicunq; voluerit ſimilis eſſe Filio ejus in futura gloria, juxta *1. Ioan. 3.* Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus. Priùs in præſenti vita omnino ei conformis efficiatur, in perpeſſione mi-

ne miseriarum ac adversitatum hujus mundi, ut est *Rom. 8.* Quos præscivit ac prædestinavit (ad gloriam futuram, illos voluit in hoc sæculo) conformes fieri imaginis Filij sui. *5tò.* Quia Salvator noster reparando nos ad gratiam & gloriam, consulto nobis reliquit præsentes miserias. *Tùm*, ut sint nobis pro signo æterni sui odij, quod habet contra peccatum nostrum, veluti reprobationis nostræ, ac suæ passionis causam, ut dicitur *Sap. 14.* Odio sunt impius DEO, & impietas ejus. Et *Eccli 12.* Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pænitentibus. *Tùm*, ut sint nobis pro memoriali perpetuo, quod nos quoq; ad imitationem Christi idemmet peccatum in summo habere debeamus odio, juxta *Psal. 96.* Qui diligitis Dominum, odite malum. *6tò.* Quia Christus Dominus in reparatione nostri generis, à sola nonnisi culpa plenè nos sanare ac salvare dignatus est, non autem à pæna hujus vitæ miseriarum; ut per hoc faceret nobis vitam præsentem uti erumnosam, periculosam semper aspernabilem; vitam verò futuram uti felicem ac beatam, continuo desiderabilem. Propterea ingemiscens dicebat David, *Psal. 119.* Heu mihi, quia incolatus meus &c. *Ratio* convicta responsionibus approbat cum conscientia sua decreta Divina. *Voluntas* complacet in illis. *Actus:* Justus es in omnibus quæ fecisti nobis, & viæ tuæ rectæ, & omnia judicia tua vera. Gratias tibi ago Domine, quia castigasti me, & sanasti me. Confitemini Domino cuncti cælites & terrigenæ, quoniam confirmata est misericordia ejus &c. Tandem Actus *Scal. 8.*

MODUS

De morte meditationem Asceticè instituendi.

Imaginativa introductio cum S. Alcant: Imaginare quod jam acceperis infallibilem nuntium imminentis mortis; imò sentias prævenientia mortem symptomata, etiam spectantibus horribilia. v.g. stomachum inflari, vocem deficere, pedes emori, genua frigescere, nares subsidere, oculos profundari, cæcutire, faciem pallescere, linguam errare, omnes sensus perturbari, & relinqui sine vigore ob conatum jam jam migrantis animæ. Imaginare judicium adversum te parari, totam cœli curiam summo cum silentio & attentione expectare exitum sententiæ; furere dæmones, consilia, fraudes, accusationes præparantes.

CONSIDERATIO I.

Ratio proponit. Quis morietur, ubi, quando, & quomodo? *Synteresis respondet.* Ad *1mùm.* Morietur omnis qui nascitur homo. *Sap. 7.* Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. *Psal. 80.* Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem. *2. Reg. 14.* Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. Ad *2dum.* Certum est, quod omnes moriemur, sed incertum, quo in loco unusquisq; nostrum moriturus est. Ut ideò qui sapiunt per gratiam DEI, mori ubiq; parati sunt. Ait *Seneca.* Quoniam

niam ubiq; te mors expectat, tu quoq; si sapiens es ubiq; illam expectabis. Ad 3tium Omnes homines certo sciunt se morituros, sed quando ignotum est. Unde monemur *Matth. 25.* Vigilate, quia nescitis (mortis) diem neq; horam. Ad 4tum. Et si speciali gratiâ Divinâ circa aliquos, aliquando aliter contingat, ordinariè tamen & plerumq; ita moriuntur homines, sicut vivunt: mali malè, tepidi tepidè, boni benè, juxta vulgare illud: Qualis vita, finis ita. *Ratio* responsa approbat, examinat conscientiam, an homo suus vivat in suo statu sic reformatè, religiosè, ac spiritualiter; ut quolibet tempore, quolibet loco, paratus sit mori.

Conscientia fatetur, & reflectit se dicens: In morte non datur bis errare. Tardum est & periculosum, usq; in hora mortis discere mori. Omnes alij errores in vita sunt corrigibiles, solus error in morte, emendari non potest. Tandem *Actus.* Bonus es tu, & in bonitate tua &c: Benedictus es Domine doce me &c: Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. In justificationibus tuis meditabor, non oblivicar sermones tuos. Paratum cor meum (quocunq; loco, hora, anno, die, momento mori) paratum cor meum. Omnia volo, quæ vellem, nihil eorum volo, quæ nollem in hora mortis meæ, in toto corde meo &c.

CONSIDERATIO II.

Ratio proponit. Quæ mala impio, & quæ bona justo, mors adferre solet? *Synteresis respondet.* Impio quidem homini multa mala adfert: quorum

quædam præveniunt ipsammet mortem, quædam comitantur, quædam subsequuntur. *Mala* mortem impij *prævenientia imprimis* puta esse infirmitates corporales homini licenciosè viventi molestissimas. Unde in persona ejus gemit Propheta. *Psalmo 17.* Circumdederunt me dolores mortis. *Deinde* animi turbationem ex apprehensione ac timore mortis, & instante amissione bonorum temporalium promanantem, juxta *Psal: 54.* Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. *Tandem* reminiscentiam multarum iniquitatum, ac timorem æternæ damnationis, juxta *Psal: 17.* Torrentes iniquitatis conturbaverunt me, dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei (æternæ) mortis. *Mala comitantia* puta esse *imprimis* oblivionem sui, suæq; salutis: quæ impœnitentiam causat. Unde in persona ejus dicitur *Psal: 30.* Oblivioni datus sum (à DEO propter iniquitates meas) tanquam mortuus à corde, *id est* tanquam alienatus à mente. Idcircò ait *S. Anselm.* Percutitur hac animadversione peccator, ut moriendo obliviscatur sui, qui vivus oblitus est DEI. *Deinde* apparitionem dæmoniorum terribilem, quæ non raro impiis fieri solet, ad eorum animas rapiendas paratissimorum. Unde *S. Greg.* Antiquus hostis ad rapiendas peccatorum animas, tempore mortis crudeli effrenatur violentiâ, ut quos viventes blanditijs deceperit, morientes severiûs rapiat. *Tandem* omnium sensuum corporis defectionem, ipsamq; amaram animæ à corpore separationem. Quam Agag Rex Amalech

gustans

gustans dicebat, 1. *Reg.* 15. Siccine separat amara mors! *Mala subsequentia* pura esse *imprimis* comprehensionem infelicissimæ animæ ab immundis spiritibus, & coram Christo Judice illius accusationem, juxta *Thren.* 1. Omnes inimici apprehenderunt eam inter angustias. *Deinde* exprobrationem iniquitatum, & sententiæ Christi condemnativæ, per Angelos malos executionem, juxta *Matt.* 22. Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores (quia mente excæcata vixit in tenebris interioribus) ibi enim erit fletus & stridor dentium. *Tandem* corruptionem & incinerationem, corporis miserrimi, juxta *Gen.* 3. Pulvis es, & in pulverem reverteris. Unde *S. Bernard. in illud Ps.* 33. Mors peccatorum pessima, *inquit*: Mala siquidem est in mundi amissione; pejor in animæ à carne separatione; pessima in vermis ignisq; duplici contritione. Vel quoq; mors pecccatorum pessima, quorum s. adolescentia mala est, propter peccata lasciviæ; provectior ætas pejor, propter peccata contra justitiam perpetrata, ac alia multiplicia; mors pessima propter consvetudinem & necessitatem peccandi, & propter æternam damnationem. Unde *S. Isid. de sum. bono.* Cogitatio prava delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consvetudinem, consvetudo necessitatem. *Idem alibi*: Assidua consvetudo vitium in naturam convertit. *Bona* mortem justi *prævenientia*, puta imprimis esse tolerantiam æquo animo cujuscunq; infirmitatis corporalis ad imitationem Christi, juxta 1. *Petr.* 1. Christus passus est pro nobis, vobis re-

linquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. *Deinde* gaudium de abnegatione bonorum temporalium, quæ cum D. Paulo arbitratus eſt, ut ſtercora. *Tandem* de æterna ſalute conſequenda ſecuritatem, juxta *Prov: 14.* Sperat juſtus in morte ſua. Unde *Caſſiodor.* Quis mortem temporalem metuat, cui vita æterna promittitur. Et *S. Ambr.* Non timeo mori, quia bonum Dominum habemus. *Bona comitantia*, puta eſſe *imprimis* debitam præparationem ad ipſam mortem per devotam ſuſceptionem Sacramentorum. *Deinde* victoriam tentationum cum auxilio DEI, cælitùs per preces advocato. *Tandem* occurſum SS. Angelorum ad ſuſcipiendam conſervi ſui animam, & offerendam eam in conſpectu Altiſſimi. *Bona ſubſequentia*, puta eſſe *imprimis* amotionem omnium miſeriarum hujus vitæ, juxta *Apoc: 21.* Abſterget DEUS omnem lachrymam ab oculis eorum; & mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quia prima abierunt. *Deinde* collationem bonorum promiſſorum ad beatitudinem animæ ſpectantium: uti eſt viſio clariſſima, tentio ſeu poſſeſſio felicitatis æternæ quietiſſima; fruitio Divinæ Eſſentiæ jucundiſſima. *Tandem* adornationem corporis in gloria æterna, poſt reſurrectionem univerſalem venientem ex redundantia beatitudinis in anima glorificata: quàm conſtituunt claritas, agilitas, ſubtilitas, & impaſſibilitas. *S. Bernard: in Pſal: 115.* Pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum ejus. Pretioſa planè (inquit) tanquam finis laborum, tanquam victoriæ conſummatio,

tan-

tanquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus. Vel quoq; Pretiosa mors sanctorum, quorum juventus est bona, propter stabilem exercitiorum spiritualis vitæ inceptionem; provectior ætas melior, propter continuum profectum in studijs vitæ spiritualis; mors optima propter perfectionem internæ mortificationis & asceticæ virtutis; quæ animam à corpore separatam protinùs facit volare in cælestem patriam. *Ratio* veritate responsionis convincitur, eamq; reflectit ad conscientiam examen cum ea istituens de homine suo. An bona, an verò mala hujusmodi cum morte sibi ventura expectet? *Conscientia* ut scit veritatem fatetur. *Voluntas* pio affectu mota tales elicit. *Actus*. Vivat anima mea vita justorum, & fiant novissima mea similia eorum. Domine da benè vivere, da benè mori. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas nè memineris Domine. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo. Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miserere mei. Adhæsi testimonijs tuis Domine noli me confundere. Spero in te expectans à te veniam &c.

CONSIDERATIO III.

Ratio proponit. A quo mors homini venit? *Synteresis resp*: *imò*. Mors ut habet rationem mali, estq; diabolicæ fraudis effectus, venit à diabolo, & à Protoparentibus nostris, juxta *Sap*: 3. DEUS creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum; invidia autem diaboli

diaboli mors intravit in mundum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius, & Rom: 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccaverunt, 2dò. Mors ut habet rationem boni, venit à DEO, tanquam effectus divinæ suæ justitiæ, nec non miserationis ac pietatis. Unde illud Hebr: 9. Satutum est (à DEO) hominibus semel mori: post hoc autem judicium. Est quidem certè mors effectus divinæ justitiæ. Tripliciter. 1mò. quatenùs nimirùm lege Divina omnibus ac singulis hominibus pro peccato originali imponitur, velut justa communis pæna: cujus executionem suspendit DEUS pro suo beneplacito, ad plures vel pauciores annos, menses, ac dies, juxta Iob: 14. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est. 2dò. Quatenùs multis infligitur, uti justa specialis pæna pro peccatis actis, nonnisi ipsimet animæ suæ nocivis: quorum jam certi numeri mensuram impleverunt. Unde Eccl: 7. Nè impiè agas multum; & noli esse stultus, nè moriaris in tempore non tuo. 3tiò. Quatenùs plerisque irrogatur justè in pænam injuriarum, quibus proximos suos affl ctant. Unde Psal: 54. Viri sanguinum (id est sanguini suo, seu sensualitati indulgentes) & dolosi (in malum proximorum) non dimidiabunt dies suos, id est: ad dimidium dierum suorum non pervenient. Et S. Chrysost. Impij antè tempus tolluntur, nè diutiùs bonos persequantur. Est quoq; mors effectus divinæ miserationis ac pietatis. Item tripliciter.

1mò.

imò. Dum tolluntur aliqui de hoc mundo tempestiviùs, vel ut absolvantur à malis ac miserijs vitæ præsentis, quibus affliguntur; vel ut eripiantur de periculis post inde in peccata gravia ruendi. Unde est *Eccl: 30.* Melior est mors, quàm vita amara, & requies æterna, quàm langvor perseverans. Et *Sap: 4.* Raptus est, nè malitia mutaret intellectum ejus, & nè fictio deciperet animam illius. *2dò.* Ubi vocantur aliqui ante senectam de hac vita, post impletum à DEO præfinitum aliquem certum numerum bonorum operum ad præmium vitæ æternæ accipiendum, juxta *Sap: 4.* Consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat DEO anima illius. *3tiò.* Quando DEO volente moriuntur aliqui usq; adeò in senectute bona, vel ut satis dignè tandem preparent se ad mortem, vel ut majorem adhuc faciant in studijs profectum: vitæ spiritualis vel ut diutiùs alijs præluceant sanâ doctrinâ, atq; bonis exemplis. Unde *Apoc: 14.* Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Ratio* convincitur veritate responsionis, eamq; reflectit ad conscientiam, cum qua protinùs examen de homine suo instituit. Utrum illam expectet mortem, quæ est effectus miserationis, ac pietatis Divinæ, an verò aliam? *Conscientia* ut scit verum fatetur. *Voluntas* affectu pio mota elicit *Actus.* Amo tuam justitiam &c. Vide *Scala 5.* Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Justificationes tuas custodiam non me derelinquas usquequaquè.

CON-

CNSIDERATIO IV.

RAtio proponit. Pro quo necessaria est hominibus ignorantia diei venturæ mortis? Synt. respondet: 3pliciter. 1mò. Quoniam si peccator sciret longè abesse tempus suæ mortis, non cessaret tempestivè à peccando, actumq; suæ pænitentiæ suspenderet, usq; ad finem vitæ: ac ita pænitentia ejus ad eatenùs dilata, vix aliquando posset esse voluntaria, & consequenter vera ac salutifera, juxta D. Aug: ser: 36. Age pænitentiam dùm sanùs es, si sic agis dico tibi, quia securus es, quia pænitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pænitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt non tu illa. 2dò. Quoniam si quoq; justus sciret se diutinè victurum, sensim negligeret studia vitæ spiritualis; & consequenter in charitate DEI atq; proximi refrigesceret cum probabili periculo in pristina peccata recidendi, ac tandem pereundi, juxta Ezech: 18. Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur. 3tiò. Quoniam si item sciret justus citò se moriturum, multa relinqueret bono communi perutilia, ut liberiùs recollectioni suæ insisteret. Vel quoq; ex immoderata mortis apprehensione deveniret in varias conscientiæ perplexitates & anxietates, cum periculo alicujus desperationis. Ratio veritati responsionis assentitur; eamq; reflectit cum

qua examen instituit de homine suo. Utrum nam contentus sit de hujusmodi ordinationibus decretisq; Divinis. *Conscientia* ut scit verum fatetur. *Voluntas* pio inde affectu mota tales elicit. *Actus*. Cognovi, D. quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliasti me. Justus es Domine, & rectum judicium tuum. Judicia tua Domine vera justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum. O JESU conforma me. vide *Scal:* 4.

CONSIDERATIO V.

Ratio proponit. Quomodo ad mortem nos præparare necesse sit? *Synt: resp:* Tripliciter. Remotè, proximè, & propinquissimè. *imò* quidem remotè nos ad mortem benè præparamus, (dùm juxta D. Paul: *Tit:* 2.) sobriè & justè & piè vivimus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum magni DEI, & Salvatoris nostri JESU Christi. *Sobriè* autem vivimus: si alienati à peccatis vitæ nostræ præteritæ, per debitam pænitentiam; fugimus insuper ebrietatem, non solum propriè communiterq; acceptam; verùm quoq; & metaphoricè sumptam, (quæ dicit commotionem nimiam, affectionum sènsualitatis, pertingentem usq; ad mentis perturbationem, signo verbo, ac opere se se prodentem) per studium internæ mortificationis continuum, & exertitia virtutum asceticarum assidua. *Justè* verò vivimus. Si proximis nostris non solum amicis, verùm & inimicis secundùm legis Divinæ præsciptum, illud semper volumus bonum, & nolumus malum, quod nobismet ipsis,

Piè tandem vivimus, si tota mente adhæremus DEO, mandata ejus ac vota, præceptaq; Professionis nostræ continuatè ad amussim observando; & actibus fidei, spei, charitatis, gratiarum actionis, ac similibus in eum tendendo. De hac remota præparatione illud etiam est. *Luc: 1.* In Sanctitate & justitia coram ipso (ambulemus) omnibus diebus nostris. Et *D. Aug:* Vivitè benè nè malè moriamini. *2dò.* Proximè nos ad mortem benè præparamus, ubi in aliquam graviorem decidentes ægritudinem corporis, eam statim ut certum imminentis mortis nuntium gratè recipimus, velut diutinè expectatum. juxta *S. Climac.* Probatus ille est, qui mortem singulis diebus expectat; sed ille Sanctus, qui eam singulis horis desiderat. Ubi etiàm curæ nobis est, quatenùs patientiam & humilitatem in nostra ægritudine habeamus, juxta Regulæ præscriptum. Si enim minùs commodè nobis inservitur, patienter id ferre ad imitationem Christi; qui omnem in cruce pendens, ac dolens sustinuit incommoditatem: ac item humiliter indignos reputando nos esse aliquo fratrum servitio, ad exemplum Christi, qui ministrare venit in hunc mundum, non ministrari. Ubi deniq; Sacramentum Sacrosancti Corporis Christi devotissimè recipimus (cum Sacramento Pænitentiæ & Extremæ Unctionis) uti Viaticum peregrinationis nostræ, signumq; divini ejus amoris, quo nos prosequitur, & pignus vitæ æternæ nobis promissæ, juxta quod canit Ecclesia: Ecce Panis Angelorum &c. Item O Sacrum Convivium. &c. *3tiò.* Propinquissimè

nos

nos ad mortem præparamus, ubi ingravescente ægritudine humillimè & affectuosissimè invocamus actibus anagogicis adventum Salvatoris nostri magni DEI, ad educendum nos de hac mortalitate ad vitam æternam. Ubi etiam invocamus intercessionem precariam pro nobis ad Christum, Beatissimæ VIRGINIS MARIÆ, omniumq; cælitum; quatenùs benignè nobiscum dignetur agere, non ut Judex, sed ut Clementissimus Pater. *Ratio* veritatem responsionis acceptat: eamq, reflectit ad conscientiam, cùm qua examen instituit de homine suo, sit nè paratus ad mortem remota præparatione, vel non? à qua dependet negotium proximarum præparationum: juxta quod est in usurpatione: Qualis vita, mors est ita? *Conscientia* ut verum scit fatetur. *Voluntas* pio affectu mota elicit, actus qui habentur *in Medit. Pass. Consid. 3.* ac præterea alios hujusmodi: Pater dimitte mihi peccata, quibus te & proximos meos offendi, sicut dimisisti, & dimitti à Patre tuo cupivisti tuis crucifixoribus, pro quibus orasti, & auditus es pro tua reverentia. Memento Domine, ut dicas animæ meæ in egressu de corpore suo: Hodie mecum eris in Paradiso. Pater, fac Matrem tuam Sanctissimam, meam Matrem; & me ejus filium. DEUS meus, DEUS meus, non me derelinquas in vita & in morte, nam prævalebunt, contra me tentationes. Sitio semper legem præceptorum, & consiliorum tuorum implere gratia tua me adjuvante. Consummatum me facies, hic in fide, spe, & charitate; & illis in clara visione, secura ten-

tione,

tione, & judicanda fruitione. Pater, in manus tuas (quibus me plasmasti redamasti, ac reparasti, castigasti, in tentationibus juvisti, per vias justificationum tuarum duxisti, & beneficia plurima mihi indigno contulisti) commendo spiritum meum. O JESU, esto mihi JESUS in vita, esto mihi JESUS in morte.

CONSIDERATIO VI.

RAtio proponit. Quam ob causam justis æquè ac impijs citam potiùs mortem, quam diuturniorem vitam cupere satius est; *Synt. resp.* *imò.* Impijs quidem meliùs est citam cupere mortem, quàm proliziorem vitam: nam quò hic diutiùs vivunt, eò magis peccata multiplicant, quibus DEUM offendunt, proximis nocent, & sibi ipsis majorem continuò damnationis gehennam construunt. Idcircò *Eccl. 4.* dicitur laudavi magis mortuos, quàm viventes. Et S. David, tùm compassione, tùm zelo commotus, citam mortem, ac subitam damnationem impijs precatur, *Psalm: 14.* Veniat mors super illos, & descendant in infernum (carni suæ, mundo, ac diabolo) viventes; nè equidem plus DEUM offendant, proximis adhuc noceant, & sibi ipsis pænas æternæ mortis adaugeant. *2dò.* Justis etiam meliùs est etiam cupere mortem, quàm longiorem vitam; ob triplicem rationem, quarum est *1ma.* Quia à miseriis hujus vitæ alioquin non possint liberari, nisi per mortem. Unde *S. Aug*: Quid est diu vivere, nisi (præsentibus miseriis) diu torqueri. Et *S. Ambr*. Tan-

tis ma-

tis malis hæc vita repleta est, ut comparatione eorum mors remedium illius puterur esse, non pæna, Idcircò Job. dicebat *c. 10.* Tædet animam meam vitæ meæ. Et David. *Psal. 19.* Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus. est. Et S. Paulus *Rom. 7.* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus. *2da ratio est.* Quia licet vita justorum sit eis valdè utilis; ex eo, quod conducat ad augmentum in præsenti gratiæ DEI. & in futuro gloriæ cœlestis facilè promerendum; attamen mors est appetibilior, per quàm effugiunt cuncta pericula peccandi mortaliter, & necessitatem peccandi venialiter. nullum enim malum pœnæ, sic est justo homini odibile, uti malum cujuscunq; culpæ. secundùm illud: Præstat millies mori, quàm DEUM vel levissimè offendere. Idcirco *S. Casim:* ajebat: Malo mori, quàm (peccati culpâ) fædari. Et *S. Anselm:* Malebat potiùs pænam inferni subire, quâm DEUM peccato offendere. *3tia est.* Quia justi præmia vitæ æternæ sibi promissa, consequi non possunt, nisi priùs moriantur. Eâ re S. Paul. *Phil: 1.* concupivit dissolvi, interveniente morte, & esse cum Christo. Et David *Psal: 41.* ait: Quando veniam, & apparebo ante faciem DEI? *Ratio* responsionis veritate convincitur, eamq; ad conscientiam reflectit, cum qua examen instituit de homine suo, magisnè citam mortem, quàm longam vitam appetat. *Conscientia* ut scit verum fatetur. *Voluntas* indè pio affectu mota, à modo præsentem vitam habere vult in patientia, & mortem in desiderio, quapropter tales eli-

cit *Actus*. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam extensus in te amore semper mobili. &c. *Scal*: *vide 8*.

APPENDIX.

Piæ intentiones moriendi, & resignati Affectus ad libenter moriendum

Volo, opto, desidero mori, quia

I. DEUS Author mortis & vitæ, sic vult, idq; volo in recognitionem supremi dominij ejg.

2. Vult DEUS, & statuit homini semel mori melior est mihi misericordia ejus super mille vitas.

3. Velim nolim moriendum est; ergo moriar tanquam victima obedientiæ, nè contradicam Sermonibus Sancti. *Iob. 6.*

4. Morte mea dignissimam mortem Christi volo honorare, per ipsam assimiliari ei, rependere oblatione vitæ meæ.

5. Mortuus est JESUS, MATER ejus Sanctissima, Prophetæ, Apostoli &c. cur non ego? si inevitabiliter: cur non modo.

6. Justum est reddere DEO repetenti quod suum est, sc: vitam & spiritum quem dedit mihi.

7. Mors aufert vitam, conferet DEUM; aufert vitam mortalem, miseram, conferet immortalem, ut spero beatam.

8. Jam pridem propter DEUM contempsi omnia, adeoq; & vitam! cur ergo doleam?

9. Si pæna peccati mors est, peccavi ego: ergo ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter

subter me scateat, rodant vermes, sternatur subtus tinea.

10. Toties dixi, malo mori, quàm fædari, sc. peccare: ecce habeo quod elegi pridem, ampliùs non potero peccare.

11. Gratior est mihi cum morte DEUS, quàm vita cum peccato, vel periculis peccati.

Cupio mori.

12. Mala est præparatio ad mortem, nolle mori tunc, quando vult DEUS; qui rapit animas dilectas in tempore opportuno.

13. Mortem libenter pro DEO acceptarem à Tyrano, cur non acceptem ab ipso DEO pro DEI gustu.

14. Ut omnia Decreta DEI de me in vita, morte tanquam sigillo consignentur.

15. Ut per mortem meam ultimum finem suum DEUS assequatur, ex creatura s. beatificationem, glorificationem, exaltationem nominis sui.

16. Ut si beabor, augeatur quantociùs Christo lætitia ex fructu & mercede Passionis visa in anima mea.

17. Ut practicè etiam Christus super me exerceat suum dominium, quod habet supra vivos & mortuos.

18. Ut subdam me speciali juri SS. Matris, quod habet ad cujusvis agoniam; quis scit, an non primo videam illam.

19. Ut quantociùs ipsa morte tanquam merito finali concludam scenam vitæ meæ DEUM Trinum; SS. Christi Humanitatem. Pre-

tiosiss: Christi Matrem, S. P. N. Franciscum meosq; Patronos primò videam, salutem, & cum eis in æternum maneam. *Ad hanc materiam servit Psal: 141. Voce mea.*

MODUS

De Iudicio DEI meditationem Asceticè instituendi.

INtroductio imaginativa. Imaginare tibi diluvium illud ignis universale, quod judicium hoc præcedet; formidabilem tubæ illius, quam unus Archangelorum inflabit sonitum, qua omnes totius mundi populi, ut unum in locum divino judicio se sistant convocabuntur: ac deniq; tremendam illam Majestatem, cum qua supremus vivorum ac mortuorum Judex huic judicio præsidebit.

CONSIDERATIO I.

RAtio proponit. Quis est Judex ultimatus ac Supremus omnium rerum gestarum, causarum, negotiorum hujus sæculi? Et quem ille judicabit, ubi, quando, & quomodo? *Synt: resp: imò.* Judex supremus ac ultimatus est ipsemet DEUS Unus ac Trinus, juxta *Ezech:* 18. Idcircò unumquemq; juxta vias suas judicabo domus Isràël, ait Dominus DEUS. Et *Ier*: 29. Ego sum Judex & testis Judex verò delegatus. est Christus ut Homo, juxta *Ioann.* 1. Neq; enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: & potestatem

dedit

dedit ei judicium facere, quia filius hominis est, Et *Matth*: 26. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et *Act*: 10. Præcepit nobis prædicare populo & testificari, quia ipse est constitutus à DEO judex vivorum & mortuorum. *2dò*. Judicabit omnem hominem, juxta *Rom*: 14. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Itaq; unusquisq; nostrum pro se rationem reddet DEO. *3tiò* Judicio particulari non assignatur aliquis locus determinatus: cùm ubiq; fieri soleat, paulò antè vel post separationem animæ à corpore, uti constat ex revelationibus divinitùs factis: Judicio autem universali Vallis Josaphat destinata est, juxta *Ioel*: 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in Vallem Josaphat: quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu. Unde *S. Thom.* Judicium generale fiet circa montem Oliveti, ubi est Vallis Josaphat, & circa locum illum Christus descendet, sicut inde ascendit. Ut idem esse ostendatur, qui descendit, & qui ascendit. *4tò*. Tempus extremi judicii soli DEO notum est, juxta *Zach*: 14. Erit dies una, quæ nota est Domino. Unde discipulis de die illa dixit Dominus: *Mar*: 16, De die autem illa vel hora nemo scit, neqs Angeli in cœlo, neq; Filius nisi Pater, *id est* nescit Filius, ut filius hominis, sed scit ut Filius DEI: Vel item nescit Filius, ut reparator noster; sed scit ut Judex. Vel deniq; nescit Filius, ut nobis revelet, sed propter seipsum, ut secretum teneat. Idem Apost: asserit dicens: *Thesal*: 5. Dies Domini sicut fur in nocte (ita ex insperato) veniet.

sed Judicabit secundum æquitatem & veritatem, juxta *Psal*: 5. Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua. Unde *S. Bern*: *supr*: *Cant*: Veniet dies illa, in qua plus valebunt pura corda, quàm astuta verba, conscientia bona, quam marsupia plena; quoniam quidem Judex ille non falletur verbis, nec flectetur donis. *Ratio* veritatem responsionis acceptat, eamq; ad conscientiam reflectit; cum qua examen de homine suo instituit. Utrum nam securus de sua operatione lætus expectat ignotum sibi Judicis adventum, nec ne? *Conscientia* ut verum scit fatetur. *Voluntas* elicit *Actus*. Judex crederis esse venturus. Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso Sangvine redemisti. Cum veneris judicare noli me condemnare. In die judicij te rogamus, ut nobis parcas, ut nobis indulgeas, ut nobis miserearis. Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te. Ad te Domine levavi animam meam, DEUS meus in te confido, non erubescam.

CONSIDERATIO II.

RAtio proponit. Quæ præcedent Universale judicium Christi? *Synteresis respondet*. Præcedent illud tàm remote, quàm proxime multæ tribulationes justorum, & gaudia impiorum, uti Christus prædixit. *Ioann*: 15. Mundus gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium; consequenter cùm eadem ratio sit oppositorum, gaudium mundanorum vertetur in tristitiam,

ſtitiam, juxta *Prov*: 14. Riſus (impiorum) dolore miſcetur, & extrema gaudij luctus occupat. Promittit autem Chriſtus ſuis amicis tribulationes, tanquàm dona ſua ſpecialiſſima, ut eò pacto communicantes ſuis paſſionibus juxta 1. *petr*: 4. in revelatione gloriæ ſuæ, gaudeant exultantes. *2dò*. Præcedet illud judicium particulare: quilibet namq; homo morte ſua adveniente, ſtabit ſigillatim ante tribunal Chriſti, in loco nobis penitùs ignoto, Ubi unuſquiſq; impiorum accipiet ſecundùm peccata ſua ſententiam damnationis; & unuſquiſq; juſtorum ſecundùm opera bona quæ geſſit, retributionem vitæ æternæ, ſed nonniſi reſpectu animæ. In generali autem judicio, idem accipiet reſpectu corporis. Unde *S. Aug*. Qualem te inveniet DEUS in tuo noviſſimo die, talem te judicaturus eſt in mundi noviſſimo die. *3tiò*. Præcedet illud è proximo Antichriſtus, homo impiiſſimus, qui debellatis regibus terræ, ita ſeducet omnes mundi amatores, ut recipiant ipſum ac verum Meſſiam, confiteanturq; & adorent ac verum filium DEI: imò & juſtos inducere conabitur ad exhibendum ſibi eundem cultum Divinum. *Tùm* ſ. aſtutis documentis ex diabolica ſuggeſtione habitis. *Tùm* ementita Sanctitate. *Tùm* ſimulata benignitate. *Tùm* falſis miraculis, magica arte factis. *Tum* donis ac muneribus. *Tùm* deniq; varijs cruciatibus. *4tò*. præcedet illud adventus Enoch & Eliæ, qui paulo ante ipſius Anti-Chriſti imperium, Judæos in Chriſtum credere facient juxta *Malach*. 4. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequàm

veniat dies Domini magnus, & horribilis, & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Et *Matth:* 17. Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Et *Apoc* 11. Dabo duobus testib s meis (Enoch *s.* ac Eliæ) & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hos Sanctos Patres occidet Anti-Christus in Jerusalem; post quindecim autem dies, & ipse impiissimus occidetur à S. Michäële Archangelo in monte Oliveti, in loco circa quem Dominus noster ascendit in cœlum. Occidetur autem ut aliqui putant ultimis diebus Bacchanaliorum. *5tò.* Præcedent illud signa in sole & luna & stellis, juxta *Ioël* 2 Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ contraxerunt lumen suum. Et *Matth.* 24. *Luc.* 21. Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur *6tò.* Præcedet illud maximus ignis, qui faciem hujus mundi renovabit, impios vorabit, justos expurgabit, juxta *Ioel* 2. Ante faciem ejus ignis vorans, & post eum (infernalis) exurens flamma. Et *Psal.* 69. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Paulò post fiet resurrectio universalis omnium hominum secundùm carnem, tàm justorum ad gloriam; quàm impiorum ad condemnationem. Tunc justi invicem sibi ipsis gratulantes tantam felicitatem, provocabunt se ad laudandum & benedicendum DEUM, dulce canendo, *Psal.* 117. Confitemini Domino, quoniam bonus quoniam in sæculum misericor-

ſericordia ejus. Tunc & impij ad aſpectum juſtorum dicturi ſunt illud: *Sap*: 5. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios DEI, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Jam autem prævio ſigno Crucis triumphantis apparebit Chriſtus Dominus Judex cauſarum, rerumq; geſtarum totius mundi in majeſtate magna, prout prædixit Matth: 25. Cum venerit filius hominis in Majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo; tunc ſedebit ſuper ſedem Majeſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris. Hic equidem adventus Chriſti, impiis erit formidabilis & odibilis juxta *Malach*: 3. Ecce veniet, & quis (impiorum) ſtabit ad vidēdum eum: idcircò dicturi ſunt montibus & petris (ut eſt *Luc.* 2. Et *Apoc.* 6.) Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni; quoniam venit dies magnus, juſtis verò valde deſiderabilis & amabilis, in quorum perſona dicitur illud *Apoc*: 2. Veni Domine JESU. *Ratio* reſponſionis veritati aſſentitur, eamq; reflectit ad conſcientiam, cum qua inſtituit examen de homine ſuo. Qualem nàm expectat Chriſti adventum? amabilem, an verò odibilem? *Conſcientia* ut verum ſcit fatetur. *Voluntas* inde pio affectu mota cupit à modo habere adventum Chriſti omninò deſiderabilem;

bilem; idcircò tales elicit *Actus*. Veni Domine JESU ad ſalvandum nos, veni citò, veni citò. Vivat Rex noſter JESUS, vivat, vivat! Hoſanna filio David Hoſanna in excelſis. Salus DEO noſtro, ſalus, ſalus in ſæcula ſæculorum! Rex tremendæ Majeſtatis, qui ſalvandos ſalvas gratìs, ſalva me fons pietatis, Oro ſupplex & acclinis, gere curam mei finis. Voca me cum benedictis. Confitearis me coram Patre tuo, Angelis tuis, & Sanctis tuis, ſicut promiſiſti.

CONSIDERATIO III.

R*Atio proponit*. A quo accuſabitur homo coram Judice æquiſſimo: *Syntereſis reſpondet. imò*. Accuſabitur à diabolo, per quē ad peccādū modo inducitur. Iſte enim nequiſſimus hoſtis *Apoc*: 12. dicitur Accuſator fratrum ante conſpectum DEI noſtri die ac nocte. Quem namq; ſervum DEI aſtutè in præſenti tentat, fraudulenter peccatum coram eo dolosâ ſua ſuggeſtione extenuat, fragilitatem ejus humanā exaggerat, miſericordiā DEI commēdat, & facilem eimet de peccato reſurrectionem pollicetur, per actum ſ. contritionis, quem ſcit elicere, & in uſu habere coſuevit; jamq; ſeductū miſerabiliter de peccato in peccatum trahit, donec eum in conſuetudinem, tandemq; in neceſſitatē peccandi detrudat. Eundem poſt inde nequiſſimus in futuro judicio tàm particulari, quàm univerſali coram Judice Chriſto, omnibus modis accuſabit, imò & nunc quolibet alio tempore inſtanter acccuſat; quatenùs à ſe peccator ſeductus, juſto judicio DEI

ad pu.

ad puniendum æternaliter quantocius tradetur. *Actus ex Med. Paß. consid. 3. pun. 2. 2dò.* Accusabitur tum ab Angelo suo Custode, cujus in hac vita inspirationes sacras observare non curavit; æquissimum enim est, ut qui in præsenti Sanctum suum Angelum habere instructorem noluit habeat in utroq; judicio DEI eundem suarum iniquitatum testem & accusatorem. *Tùm* à complicibus suorum peccatorum, ut justo judicio DEI, eadem damnatione æterna puniatur cum illis, cum quibus unanimiter DEUM offendere audebat. *Tùm* ab inductis à se peccatum malis exemplis, falsis doctrinis, iniquis persvasionibas, vel inhonestis sollicitationibus aut muneribus. *Tùm* ab oppressis, injuriamq; à se passis, juxta *Rom. 12.* Mihi vindictam (donate) ego retribuam. *3tiò.* Accusabitur unusquisq; hominum à propria conscientia, juxta *Dan. 7.* judicium sedit libriq; aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum. Per istos libros intelliguntur conscientiæ singulorum hominum, in quibus veluti in libris descripta ac recondita servantur gesta illorum bona & mala, in judicio DEI aperienda & manifestanda, juxta *Eccl: 11.* In fine hominis denudatio operum ejus; Et *Luc: 12.* Nihil opertum quod non reveletur *s.* in die illa, neq; absconditum, quod non sciatur. Per librum vitæ, intelligitur liber præceptorum DEI, ac item liber conscientiæ Christi: cum hoc ergo utroq; libro in illa die libri conscientiarum singulorum hominum conferen-

tur ad

tur ad recognoſcendum, an conſona, vel diſſona ſibi in ipſis contineantur. *Ratio* reſponſioni annuit, conſcientiam examinat concordant nè ipſius geſta cum præceptis DEI & conſilijs Chriſti? *Conſcientia* ut ſcit verum fatetur. *Vonluntas* exit in *Actus*. Feci faciamquè juſtitiam, (pœnitentiæ) non tradas me calumniantibus & accuſantibus me. DEUS in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute miſericordiæ judica me. Miſerere mei DEUS, quoniam &c: Adjutor meus es tu, nè derelinquas me, neq; deſpicias me DEUS Salvator meus. O JESU transforma me totum in te conforma me totum tibi.

CONSIDERATIO IV.

Ratio prpoonit. Pro quo unuſquiſq; hominum coram Chriſto Judice æquiſſimo accuſabitur, & conſequenter pro quo ab eodem condemnabitur & ſalvabitur? *Synt: reſp: imò.* Pro cogitationibus, verbis, & operibus legi Divinæ omninò contrarijs, ut *Sap. 3.* Impij ſecundùm quæ cogitaverunt correptionem habebunt. *Pſal: 3.* Vultus Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. *Actus* deteſtat. *ex Scal. 1 2dò.* Pro verbis otioſis, *ſ.* abſq; neceſſitate & utilitate ſpirituali aut corporali propria ſive aliena prolatis; & conſequenter pro cogitationibus ac operibus vanis. Ut dicitur, *Matth. 12.* Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij. *Actus.* Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non

ſi non meminero tui. Pone Domine cuſtodia n ori meo. JESUS autem tacebat. Averte oculos mentis meæ, nè videant (ſ. cogitent) vanitatem. *3tiò.* Pro peccatis occultis, tám à ſe, quàm ab aliquo alio ex occaſione ſua commiſſis. Unde S. Paulus *1. Cor: 14.* Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum; qui autem judicat me (ſciens omnia mea occulta) Dominus eſt. *Actus.* Oſtende Domine, quantas habeo iniquitates, ſcelera, & delicta. Revela mihi Domine viam meam, ut cognoſcam, quid deſit mihi. Ab ocultis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. *4tò.* Pro operibus ex ſe quidem bonis, ſed ex circumſtantia aliqua reprobris, ut *Pſal. 74.* Cùm accepero tempus, ego juſtias (bonorum ſ. operum) judicabo; quo motivo, quo fine, quibus mediis peractæ ſunt? Unde *S. Iſid.* Sæpè quæ apud humanum judicium bona apparent, apud examen diligẽtiſſimi & accuratiſſimi Judicis reproba deteguntur; ideoq; omnis Sanctus veretur nè fortè bonum quod agit, pro aliqua animi diſtorta intentione reprobum ſit. *Actus.* Omnes juſtitiæ Domine coram Te, tanquam pannus menſtruatæ Verebor, verebor Domine opera mea. Domine DEUS propter Te, & ſuper omnia, omnia facere volo. *5tò.* Pro neglectu bonorum operum, quæ de ſuis quiſq; talentis, ſeu donis acceptis facere poterat, ut eſt *Luc: 12.* Omni autem cui multùm datum eſt, multùm quæretur ab eo. Unde contra tales judicandos ſevera proferetur ſententia à judice Chriſto: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui para-

tus

tus est diabolo, & Angelis ejus Esurivi enim & sitivi (tùm corporaliter, tùm spiritualiter in meis mysticis membris) & non dedistis mihi manducare &c: *Actus.* Dilectionis proximi *ex Scal: 1. 6tò.* Pro bonis operibus, in gratia DEI peractis salvabitur omnis justus, juxta illam sententiam à Judice Christo proferendam: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c: *Ratio* convincitur, & examinat suam conscietiam, qualemnam expectat sententiam pro operibus suis. *Conscientia* fatetur, & prorumpit in Actus supra positos.

CONSIDERATIO V.

Ratio proponit. Quomodo nos ad judicium præparare debemus? *Synt: resp. imò.* Si recolentes peccata nostra judicaverimus nosmetipsos pro illis dignos esse omni humana despectione, ac divina castigatione, & ad eas subeundas humiliter resignati fuerimus secundùm piissimam Domini nostri dispositionem, ut est *1. Cor: 12.* Si nosmetipsos judicaremur, non utiq; judicaremur. *2dò.* Si neminem unquam temere judicaverimus; temere autem judicaremus quempiam, ubi ex incertis ac levibus indiciis vitam alicujus; mores dicta, facta, & intentiones tacitis apud nosmetipsos cogitationibus condemnaremus, contra illud *Matth: 7.* Nolite judicare (temere) ut non judicemini. *3tiò.* Si advertentes conscientiam nostram peccato aliquo maculatam protinùs eam judicio Sacramentali subiiceremus.

ceremus. Non enim judicabit Dominus, ut ait *S. Hier:* bis in idipſum. Unde ipſe Chriſtus Dominvs Judex ac Salvator noſter, ſic ait ſuis vicariis, *Matth: 18.* Quæcnnq; ſolveritis ſuper terram (in judicio Sacramentali) erunt ſoluta & in cœlo. *4tò.* Si aliorum judicia temeraria, & injurias nobis quaſcunq; factas patienter ad imitationem Chriſto toleraverimus, neq; cum faciente injuriam litigaverimus, aut contra eum quærimonias aut murmurationes fecerimus, ut eſt *Iac: 5.* Patientes eſtote, & confirmate corda veſtra, quoniam adventus Domini appropinquabit, nolite ingemiſcere in alterum, ut non Judicemini. *5tò.* Si cunctis noſtris inimicis, non ſolum quaſcunq; injurias nobis irrogatas libenter dimiſerimus, ſed etiam nominatim pro eis oraverimus, beneq; eis fecerimus, ac intimè dilexerimus, juxta *Mar: 11.* Dimittite, ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & Pater veſter qui eſt in cœlis dimittat vobis peccata veſtra; quod ſi non dimiſeritis, nec Pater veſter dimittet vobis. *6tò.* Si nunquàm ceſſaverimus placare Judicem noſtrum muneribus bonorum operum, tàm ſpiritualium quàm corporalium: quia addictis his bonis operibus ipſemet Judex promiſit ſe dicturum *Matthei 25.* Quod uni ex minimis meis fratribus feciſtis, mihi feciſtis. *7mò.* Et quidem principaliter Si ipſum Judicem fideliter ac ſtudioſè imitati fuerimus in ſanctitate omnibus diebus noſtris, tàm exteriori, quæ dicit abdicationem bonorum temporalium, & auſteritatem vitæ; quàm in interiori, quæ edomationem paſſionum, ſeu mortificati-

oncm

onem plenam vitiorum atq; virtutum ascetica-rum adeptionem eicit; tales enim imitatores non judicabuntur, sed ipsi alios judicabunt, uti Assesores & coadjutores Christi, juxta *Matth:* 19. Vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos, super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. *Ratio* veritate convincitur, conscientiam examinat, an sit eo modo parata ad judicium. *Conscientia* fatetur, renovat proposita, detestatur mala, per Actus *ex Cosid:* 3. *Pass.*

CONSIDERATIO VI.

RAtio proponit. Quam ob causam Judicium Universale DEI omninò necessarium sit? *Synteresis respondet. imò.* Necessarium est ad supplendum defectum in administratione justitiæ hujus sæculi judicum à DEO institutorum, qui rarò causas hominum ut oportet decernunt. *Tùm* quia exteriora tantùm causæ dijudicare possunt, secundùm allegata aliorum testimonia, quæ vix aliquando integra habentur; nam interiora à solo DEO Scrutatore absconditorum dijudicanda sunt. *Tùm* quia multi Judices scienda sui muneris passim ignorant, ut ait *S. Aug.* Quorum ignorantia est calamitas innocentium. Unde tales monentur *Psalm:* 2. Erudimini, qui judicatis terram. *Tùm* quia potentiores extimescunt, & tali timido dicitur: noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute (fortitudinis) irrumpere in iniquitates, nè fortè extimescas faciem potentis. *Tùm*, quia diligunt munera quibus dictum;

dictum, est *Isai:* 5. Væ qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo. *Tùm*, quia vel amore, vel odio ducuntur ad ferendam iniquam sententiam. Unde *S. Greg*: Judicare dignè de subditis nequeunt, qui in subditorum causis, vel gratiam, vel odium sequuntur. *2dò*. Necessarium est Judicium Universale, quia non omnes fideles sacramentaliter confitendo satis aperiunt interiora sui cordis coram Judice Christi Vicario, ut à peccatis absolvantur. Et quia non omnes habent efficax propositum omnia & singula peccata mortalia post modum serio vitandi; & non omnes, post acceptam peccatorum absolutionem in proposito stabiles manent. *3tiò* Est necessarium, ut ibi omnis homo accipiat sententiam retributionis juxta opera sua, tàm ratione animæ, quàm corporis, Nam in particulari judicio non datur sententia finalis de corpore, nisi de animæ. Et ut ibidem simul in conspectu totius mundi unusquisq; justorum exaltetur, qui se humiliabat, juxta *Matth:* 23. Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. *4tò*. Necessarium est propter manifestationem Christi in gloria sua, quam habet una cum DEO Patre & Sancto Spiritu: sicut enim dùm his viveret ab impiis fuit publicè despectus, & ad mortem turpissimam & dirissimam condemnatus, & nunc quamvis regnet in cœlo, & usq; in finem hujus mundi contemnitur & blasphematur; ita etiam ibi, publicè coram omnibus hominibus & Angelis apparebit gloriosus: ut ipse prædixit stando veluti reus mortis coram Principi-

bus Sacerdotum *Matth*: 26. Dico vobis: à modo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis DEI, & venientem in nubibus cœli. Et *Apoc*: 1. Ecce veniet in nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Unde *S. Aug*: Tunc manifeſtus veniet inter juſtos judicaturus juſtè, qui ab injuſtis judicatus eſt injuſtè. *Ratio* convicta examinat conſcientiam ſi ſibi placent Judicia DEI? *Conſcientia* fatetur. *Voluntas* facit *Actus*. Amo tuam juſtiam, ſapientiam &c: *ex Scal*: 5. Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliaſti me. Bonum mihi quia humiliaſti me, ut diſcam mandata tua, & merear à te exaltari. Bone, pulcherrime, dulcis, miſericors Domine, in illa die miſerere mei, & omnium animarum tam vivorum, quam mortuorum, quas pretioſo Sanguine redemiſti.

M O D U S

De Inferno meditationem aſceticè inſtituendi.

IMaginativa introductio ex S. Alcant: Imaginare tibi infernum, tanquàm chaos horribiliſſimum, lacum ſubterraneum, puteum profundiſſimum, & totum ignitum; aut tanquam civitatem magnam horribilem, totaliter tenebroſam, obſcuriſſimis & tenebroſiſſimis flammis ſuccenſam, continuò clamantibus, ululantibus, plangentibus univerſis præ inexplicabilibus doloribus, ſicque in omne æternum continuò plancturis, ululaturis &c.

CONSI-

Ratio proponit. Quis condemnabitur ad pænas inferni perpetuas? *Synteresis respondet.* Condemnabitur omnis homo reprobatus ab æterno propter suum finale peccatum à DEO prævisum, juxta *Apoc: 20.* Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Quanquam autem scire non valeamus, quis nam hominum in singulari consideratus, ab æterno sit reprobatus & prædestinatus: cum etiam non constet nobis de uniuscujusq; finali peccato & justitia; contingit enim sæpè, ut ubi de alicujus correctione desperamus, mox convertatur, & fiat optimus: & ubi de perseverantia cujusquam in probitate vitæ præsumimus, brevi deficiat, & fiat pessimus; ac proinde exploratum haberi nequit, qualis futurus sit, qui nunc bonus vel malus est. Verùm tamen in communi homines considerando, qui nam eorum finaliter in peccato morientur, & consequenter damnabuntur: possumus probabiliter cognoscere ex certis testimoniis, indiciis, ac signis de S. Spiritu in Sacra Script: & monumentis SS, Patrum expressis: quorum quidem signorum, alia proxima, alia remota ad nostram cautelam in præsenti adducenda veniunt. *imò.* Igitur signa proxima finalis peccati, consequenter æternæ reprobationis puta esse, infidelitatem, injustitiam, consvetudinem in aliquo peccato, recidivationem in crimen aliquod pristinum, & peccata contra Spiritum Sanctum. *Infidelitas* quidem est hujusmodi signum: quia omnes ferè in eadem perfidia moriuntur, in qua educati sunt, ac vivunt paucis exceptis. Est autem præsens

infidelitas alia absoluta, alia secundùm quid. Infidelitas obsoluta illorum est, qui non sunt baptizati, & non credunt ea, quæ credenda sunt de necessitate medij ad obtinendam vitam æternam. Uti sunt Turcæ, Judæi, Ariani, & alij omnes, qui non confitentur DEUM Unum ac Trinum, & secundæ Divinæ Personæ consubstantialitatẽ & incarnationem, juxta *Marc*: 16. Euntes in mundum universum prædicare Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Infidelitas secundum quid, propria est hæreticorum: qui ex pertinacia non credunt ea, quæ sunt de necessitate præcepti: uti sunt aliqua Sacramenta, invocatio Sanctorum, cultus imaginum, purgatorium animarum, primatus Ecclesiæ &c: Unde *Tim*: 3. Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens quod subversus est, qui talis est & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. Actus fidei, *ex Scal*: 1. 2*dò*, Injustitia est signum proximum finalis peccati, consequenter damnationis, ut *Sap*: 5. Injustitia est mortis (æternæ) condemnatio. At specialiter hic loquimur de injustitia, quæ opponitur justitiæ generali seu legali. Unde sicut præsens justitia est virtus, quà homo tribuit DEO, sibi, & proximo, quod unicuiq; debet; *sc*: DEO cultum latriæ & obedientiam *sibi* verò ex baptismo acceptam innocentiam; post lapsum autem aliquem infelicem in peccatum, pœnitentiam; proximo deniq; æquitatem & liberalitatem. Ita injustitia hujus loci vitium, est subtrahens

aut

aut negans ordinariè DEO, homini suo, & proximo, quod ipsis debet. *Actu*. Paratum cor. Omnia volo. *ex Scal: 4. 3tiò*. Consvetudo prava aliquod peccatum lethale perpetrandi. Ut est usitata detractio, ordinarium odium, est signum proximum damnationis; quia vitium in necessitatem naturæ convertit, ac nisi morte finiri solet. Ut *Isid*. Difficile est peccati consvetudinem vincere, pravus usus vix aboletur, assidua consvetudo vitium in naturam convertit, animus sceleribus adstrictus, vix ab eis divelli potest. Unde *Prov: 22*. Adolescens juxta viam (consvetam) ambulans, etiam cùm senuerit non recedet ab ea. *Ier: 5*. Si immutare potest Æthyops pellem suam, aut pardus varietates, ita & vos poteritis benè facere, cùm malè didiceritis. Actus detestat. *ex Scal: 1. 4tò*. Recidivatio in aliquod peccatum (præsertim verò contra votum castitatis) ante conversionem ad DEUM supererogatoriam usitatum, est tale signum: ut est *Hebr: 10*. Voluntariè peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccato hostia; terribilis autem expectatio quædam judicij & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. *2. Petr. 2*. Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione D.N.J.C. his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Et *S. Greg: in Ezech*: Sicut à fide qui recedit, Apostata est; ita qui ad perversum opus quod deseruit, rediit, ab Omnipotenti DEO apostata reputabitur, etiamsi fidem tenere videatur. Et *S. Bern*. Fiet filius gehennæ

multipliciter qui post indulgentiam delictorum in easdem denuo sordes inciderit. *Actus* spei *ex Scal:* 1. Imploratio auxilij Divini : statue super petram gressus meos, *ex Consid:* 3. *de pecc: punc:* 1. *stò.* Peccatum tandem quodlibet contra Spiritum S. est tale signum proximum, quo peccato non datur jam gravius & deterius, eo quod omne aliud peccatum tendit in ipsum, tanquam in suum terminum; ideoq; irremissibile dicitur juxta *Matth:* 10. Qui dixerit *s.* quiquomodocunq; peccaverit contra Spiritum S. non dimittetur ei, neq; in hoc neq; in futuro sæculo. De hoc peccato

Nota imò. Quod communiter peccatum omne est contra DEUM Unum ac Trinum; appropriatè tamen aliud est contra Patrem, aliud contra Filium, aliud contra Spiritum S. Contra Patrem, cui attribuitur potentia peccatur ex fragilitate : contra Filium cujus est sapientia, peccatur ex ignorantia : contra Spiritum S. qui dicitur Bonitas, peccatur ex malitia *sc.* ex certa scientia, plena voluntate, & integra libertate; quando voluntati adeo sapit malum, ut potiùs eligat peccare quàm asceticè cum sua molestia tentationi resistere; tale tamen peccatum non est hujus loci proprium, nisi ipsorum recidivantium. *Nota 2dò.* Quod aliquod peccatum lethale tripliciter potest dici irremissibile. *1mò. ex parte DEI*, quale est omnium absolutè condemnatorum. *2dò. ex parte hominis* irremissibile dicitur quodlibet peccatum, in quantùm peccans quantum est ex se, non habet potestatem resurgendi per pœnitentiam, donec cælitùs

ex pie-

ex pietate Divina excitetur & adjuvetur. *3tiò.* peccatum hujus loci proprium irremissibile est, *ex parte suimetipsius*, cui inest contrarietas quædam specialis, seu repugnantia gratiæ Spiritus S. per quam fit remissio omnis peccati. *Nota 3tiò.* Peccatum specialiter repugnas gratiæ Spiritus S. tripliciter potest se habere respectu alteriùs. *1mò.* respectu DEI, contra quem pertinaciter se habet ut misericordem & justum, & est desperatio vel præsumptio. Per *1mùm* non vult homo pænitentiam agere, diffidens contumaciter de misericordia DEI ob peccati gravitatem. Per *2dùm* autem peccatum, nimium præfidit homo contra infinitam DEI justitiam, quod non damnabitur, idq; ob solam DEI bonitatem sine sua pœnitentia. *2dò.* respectu *medij*, quo unicè venitur ad remissionē peccatorum (uti est pænitentia) pertinaciter se habens, est mentis obstinatio, & finalis impænitentia. Per *1mum.* Nullatenus vult resilire homo à peccatis commissis, & cavere à futuris. Per *2dum* verò tenaciter perseverat in proposito positivo non pænitendi *3tiò respectu Ecclesiæ DEI*, in qua solum est remissio peccatorum, quamq; duo, vel maximè stabiliunt, *s.* veritas fidei, & charitas fraterna, contra quarum *1mam* est peccatum, diciturq; impugnatio agnitæ veritatis, eò quod veritatem fidei Catholicæ agnitam impugnare & aversari non desistat. Contra *alteram* est, diciturq; invidentia fraternæ charitatis, eò quod nolit proximum habere gratiam DEI gratum facientem, atq; in charitate Christi unanimiter cum alijs proximis permanere.

Nota 4tò. Quod peccatum contra Spirium S. irremiſſibile ex parte ſui in hoc differt à peccato conſuetudinis & recidivationis: quia conſuetudinarij recidivantes, aliquando habent propoſitum pœnitendi, & nonnunquam conantur ſurgere per pœnitentiam, ut *S. Greg. Moral. 15.* Uſitata culpa obligat mentem, ut nequaquam ſurgere poſſit ad rectitudinem: conatur enim & labitur, quia ubi diu ſponte perſiſtit, ibi etiam cum noluerit coactè cadit. Peccantes autem contra Spiritum S. ab hujusmodi propoſito & conatu omninò alienati habentur. Uti patet in ſuperiori notato.

Signa Remota finalis peccati, & conſequenter damnationis æternæ ſunt: Principia pravæ politicæ, Habitus vitiornm acquiſitorum, & propoſitorum non proficiendi. Principia quidem pravæ politicæ ſunt hujuſmodi ſigna, quia in acquirendis, defendendis, & recuperandis bonis hujus temporis (uti ſunt bona honorabilia, utilia, ac delectabilia) habent implicitè paratum animum, ubi media licita ſibi deceſſent aut deficerent, utendi modis etiam illicitis. Vide luculentiorem hujuſmodi Principiorum explanationem *in Med. de Pecc: Conſid: 3.* *Notandum* tamen eſt, quod eadem Principia Pravæ politicæ, dum ita latitant in profundo animi, ut pœnitens non advertat ineſſe eis voluntatem tacitè aut ex ſuppoſitione paratam faciendi malum, eò uſq; ſigna ſunt reprobationis remota; verum proxima eſſent, ubi virus eorum deprehenſum, internâ mortificatione non aboleret.

Habitus pravi vitiorum acquiſitorum (ſuperbiæ

puta,

puta, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ, gulæ, iræ, & acediæ.) Sunt etiam ſignum hujuſmodi remotum, quia ſicut ex actibus peccatorum in anima rationali naſcuntur, ita deinde poſt veram ad DEUM converſionem, ſi interna mortificatione ut oportet non ſuperantur, mox ad ſimiles actus peccaminoſos eandem pellunt animam: prorſus autem ſic non poſſunt ſuperari, antequam Pritcipia pravæ politicæ fuerint ſatis cognita & abnegata, quia motus vitiorum ſequuntur judicium inferioris ratinis, ac falſum lumen hujuſmodi principiorum in eadem ratione inferiori locum tenentium. Unde *S. Bern.* eſt homo pacatus, qui bona pro bonis reddẽs quantum in ſe eſt nemini vult nocere. Eſt alius patiens, qui non reddens malum pro malo, etiam potens eſt ſuſtinere nocentem. Eſt quoq; pacificus, qui bona pro malis reddens, in promptu habet prodeſſe nocenti. *imùus* quidem parvulus eſt, & facilè ſcandalizatur: nec facilè qui hujuſmodi eſt in hoc ſæculo nequam, & pleno ſcandalis poterit obtinere ſalutem. *2dus* ut ſcriptum eſt, in patientia ſua poſſidebit animam ſuam. *3tius* quidem non modo ſuam poſſidebit, ſed & multorum animas lucrifaciet. Et *S. Chryſoſt: in Matth: c. 32. Hom. 3.* Sicut ex parte DEI, quamvis plures ſint ſpiritus; virtutum tamen ſeptem dicuntur: quia ex illis ſeptem omnes virtutum ſpecies procedunt: quos ſpiritus enumerat Iſaias, & Salomon ſignat dicens: ſapientia ædiſicavit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptem. Sic ex parte diaboli, quamvis multi ſpiritus vitiorum ſint, tamen ſeptem di-

cuntur:

cuntur: quoniam ex illis principalibus vitiis vitia universa, & ipsa peccata nascuntur. Et *S. Greg: in moral.* Prima vitia (innata sc. deceptæ menti) quasi sub quadam ratione se ingerunt. Sed quæ sequuntur (utpotè acquisita) dùm mentem ad omnem insaniam protrahunt, quasi bestiali clamore eam confundunt.

Propositum non proficiendi in studio vitæ spiritualis, sivè explicitum sive implicitum, est tandem signum remotum finalis peccati, & consequenter damnationis æternæ. Quia etsi religiosus non teneatur esse perfectus; tenetur nihilominus ex vi suæ professionis tendere ad perfectionem supererogationis, per exercitia mentalis orationis, & internæ mortificationis, atq; asceticæ virtutis: nam ut ait *S. Leo.* Qui non proficit deficit, (in observantia mandatorum DEI, ac suæ Regulæ essentialium) & qui non acquirit (quidpiam de virtutibus, ac de gratia DEI) non nihil perdit: de fervore puta devotionis atq; charitatis. Et *S. Bernard.* Minimè pro certò est bonus, qui melior esse non vult. *Idem* Aut ascendas necesse est, aut descendas; si attentas stare, ruas necesse est. *Ratio* veritate responsionis convincitur, quam reflectit ad conscientiam; cum eaq; examen instituit de homine suo. Utrum nam tota efficatia mentis suæ recedat ab hujusmodi signis nec nè? *Conscientia* ut sibi constat fatetur. *Volunas* elicit *Actus.* Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas, nè memineris Domine. Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me DEUS, &

US, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis Viam iniquitatis amove á me, & de lege tua miſerere mei. Viam veritatis elegi, judicia tua non ſum oblitus.

CONSIDERATIO II.

RAtio proponit. Quæ mala damnati in inferno patiuntur? *Synt: reſp:* Patiuntur triplicia mala triplicis pænæ Uti eſt pæna damni, pæna ſenſus, & pæna vermis, ſeu remorſus conſcientiæ. *imó.* Pæna quidem damni, ſignificat negationem æternam gratiæ DEI, & gloriæ cæleſtis, juxta *Pſ: 58.* Ibunt in progenies Patrum ſuorum, & uſq; in æternum non videbunt (gratiæ & gloriæ) lumen. De hujuſmodi malo *D. Chryſoſt:* ſic ait: excludi á bonis æternis, & alienum effici ab his, quæ parata ſunt Sanctis, tantum generat cruciatum, tantum dolorem, ut ſi nulla extrinſecus pæna torqueret hæc ſola ſufficeret. Unde vulgo dicitur Non cognoſcuntur bona, niſi amiſſa. *Idem.* Si mille gehennas mihi proponas, non tanùm reputo, ſicut ab illus glorioſæ ſocietatis jucunditate expelli, & exoſum fieri Creatori. *2dò.* Pæna ſenſus. ſignificat cruciatum omnium ſenſuum & membrorum, quibus hic DEUS offenditur *S. Bern:* Singulis exceſſibus & ſingulis membris, quæ arma fuerunt iniquitatis, ſua debetur pæna pro qualitate vel quantitate commiſſi; in quo autem membro Creator magis offenditur, peccator graviùs torquebitur. Porrò hæc pæna ſenſus, ad novem tormentorum generà multiplicabitur. *Primum.* Ignis ſempiternus intolerabi-

lerabilis ardoris, ut est *Isai*: 33. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante, & cum ardoribus sempiternis. *Matth*: 25. Ite maldeicti in ignem æternum. *2dum* est Frigus intensissimum. Unde Job. 24. Ad nimium calorem transient, ab aquis nivium; Hinc in Evangelio legitur, quod erit ibi fletus & stridor dentium; fletus ex liquefactione oculorum de calore; stridor verò dentium de frigore oritur. *3tium*. Fætor nimius sulphureus. *Apoc*: 14. Cruciabuntur igne & sulphure in conspectu Angelorum. *4tum*. Fames inexplebilis. *Psalmo* 58. Famem patiuntur ut canes. *5tum*. Sitis insatiabilis, ut patet in illo divite. *Luc*: 16. *Deut*. 32. Fel draconum vinum eorum, venenum aspidum insanabile. *6tum* est Morsus bestiarum crudelium, vel potiùs dæmonum, sub figuris bestiarum. *Iob*. 20. Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ. *7mum*. Intuitus dæmonũ horribilium ac deformium se irridentium & vexantium. *8vum*. Locus ipse inferni tenebrosus, profundus, subterraneus, inhumanus, omni horrore plenus, ut *Iob*. 10. Terra miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Et *S. Greg*: In inferno ignis non lucet ad consolationem, tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet; nam sequaces suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatenùs qui eorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amarunt, ipsorum quoq; interit' eos in augmentum suæ damnationis affligat. *9num* est carceris æterni acerbitas, ut *Matt*:

24. Li-

24. Ligatis manibus ac pedibus, proiicite eum in tenebras exteriores. *Isai* 24. Congregabuntur congregatione unius fascis, & claudentur uno carcere. *3tia*. Pæna vermis, significat perpetuam exprobrationem conscientiæ homini suo in pænis infernalibus existenti, quod aliquando tentatus ad peccandum, non restiterit iniquitati, juxta admonitionem inspirationis Divinæ, rectumq; dictamen suæmet rationis, nè devenisset in tantas pænas. Ut *Isai*: 66. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Gravitatem hujusmodi pænarum describens S. Aug. hâc utitur comparatione, dûm ait: sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri gaudio vitæ æternæ, quam Sancti accepturi sunt; ita nullus cruciatus pænarum temporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari *Ratio* veritate responsionis convincitur: quam reflectit ad conscientiam, cum qua examen constituit de homine suo, fugiatnè omnem culpam, quatenùs evitet quamlibet inferni pænam? *Conscientia* ut constat sibi fatetur. *Voluntas* inde pio affectu mota tales elicit *Actus*. Domine nè in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Nè reminiscaris Domine delicta nostra &c: Domine non secundùm peccata nostra facias nobis, neq; secundùm iniquitates nostras retribuas nobis. A porta inferi, erue Domine animas servorum tuorum. Precamur te Cœlestem Regem, ut nobis parcas, ut nobis indulgeas, ut nobis miserearis.

CON-

RAtio proponit. Pro quo hac triplici pæna in inferno damnati torquentur? *Synteresis respondet.* Pro triplici reatu, quem incurrunt mortale peccatum perpetrando. *1mus.* quidem reatus cui pæna damni debetur, dicit mentis alienationem à DEO & ab observantia ejus mandatorum; itemq; contemptum saltim imputativum amicitiæ charitatisquè DEI, necnon gratiæ illius & gloriæ cælestis, Justè igitur pæna damni in æternum à DEO affliguntur, qui priores DEUM in sua vita perpetuo, deseruerunt, juxta *Ier: 17.* Expectatio Isràël Domine, omnes qui te derelinquunt confundetur; recedentes à te in terra (non autem in cælo) scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. *2dus* reatus cui pæna sensus debetur, dicit mentis adhæsionem nimiam, per amorem DEO debitum bonis inferioribus, ut sunt honores, uoluptates & possessiones; quod fit, dùm quis ita inferiora diligit supra DEUM, & in eis contra præcepta Divina delectatur. Qui ergo hic sensualibus adhærent amore soli DEO debito, justè etiam ibi in æternum ex Divina ordinatione à sensibilibus affligentur. Ut est *Sap. 11.* Per quæ quis peccat per ea punitur. Porrò in speciali, pæna ignis erit damnatis in pænam pro voluptatibus; frigus pro acedia, neglectu Divinorum, & incuria spirituali; fætor pro immoderata odoratione; fames pro commessationibus excessivis, luxuriosis, & inanibus prodigalitatibus: sitis quoq; pariter pro ijsdem; morsus bestiarum pro detractionibus, rixis, invidijs, & oppressionibus; intuitus dæmonum, pro

amore

amore ſui, pro ſuperbia, & intuitibus laſcivis & vanis; tenebræ, pro abſconditis peccatis; carcer ſtrictiſſimus, pro injuſta dilatatione poſſeſſionum. 3tium reatus, cui pæna vermis debetur, dicit repugnātiam mentis inſtinctui Divino, avocanti hominem à peccando; atq; remurmurationi atq; propriæ coſcientiæ contra eandem mentem malo adhærentem: Quæ quidem repugnantia juſto DEI judicio punietur ſtimulo pænitudinis, nulla tamen erit ibi correctio voluntatis: à quibus enim ibi culpabitur iniquitas, ab illis nullatenùs poterit diligi vel deſiderari juſtitia. *Ratio* veritate reſponſionis convincitur, quam reflectit ad conſcientiam, inſtituens cum ea examen de homine ſuo. Utrum nam ſentiat ſe conſtrictum eſſe hujuſmodi reatibus? *Conſcientia* ut verum eſt fatetur. *Voluntas* elicit *Actus*. Domine DEUS deteſtor, abominor, & fugio in æternum omnem meam iniquitatem; propter te ſumme honorandum, amandum, & imitandum, ac ſuper omnia deteſtabilia, abominabilia, & fugibilia. A modo cuſtodiam legem tuam ſemper in ſæculum ſæculi. Adhæſi teſtimonijs tuis Domine, noli me confundere. Reliquos *vide in Medit: Paſſ: Conſid. 3.*

CONSIDERATIO IV.

Ratio proponit. A quolibet damnatorum qualiter hujuſmodi pænæ in inferno ſuſtinentur? *Synteréſis reſpondet. imò.* Suſtinentur nimis turbulenter ac furibundè, juxa *Pſam: 82.* Erubeſcant & conturbentur in ſæculum ſæculi, & confundantur & pereant.

pereant. Et *Psal*: 111. Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet. Et *Sap*: 5. Videntes (impij se in sua condemnatione esse depressos, & justos in gloria exaltatos) turbabuntur timore horribili. *2do*. Sustinentur odibiliter & invidenter, magno enim flagrant impij odio in DEUM, quod eos sic condemnaverit: atq; justis summopere tantam invident felicitatem: quos inde & ipsum DEUM continuò & perpetuò contemptibiliter, aversantur juxta *Ps*: 73. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. *3tio*. Sustinentur desperatè ac maledictoriè; devenientes enim reprobi in extremam desperationem de fine suorum cruciatuum, in multas proruunt maledictiones & blasphemias, juxta *Isai*. 8. Maledicent Regi suo, & DEO suo. Et *Apoc*: 16. Æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemaverunt nomen DEI. Et *Hugo*. Infernus latus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fætore intolerabili, plenus dolore innumerabili: ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. *4to*. Sustinentur pænæ inferni à quolibet damnatorum cum appetentia sui finis; summoperè enim reprobi appetunt mori, seù annihilari, ut sic infelices evadant cruciatus æternos, juxta *D. Hier*: O mors! quam dulcis esses, quibus tam amara fuisti: te solùm modo desiderant, qui te tam vehementer odio habebant. Et *D. Aug*. Quare in inferno mors quæritur? & non invenitur: quia quibus in hoc sæculo vita offerebatur, sed noluerunt
accipe-

accipere, in inferno quærent mortem, & non poterunt invenire. *Ratio* veritate responsionis convincitur, eamq; reflectit ad conscientiam, cum qua examen constituit de homine suo. Cogiternè seriò de emendatione vitæ, nè postmodum in tantam deveniat cum reprobis infelicitatem. *Conscientia* ut verum est fatetur. *Voluntas* tales elicit *Actus*. Nè perdas cum impijs DEUS animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam. De manu omnium, qui oderunt nos libera nos Domine. Nè tradas bestijs animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum nè obliviscaris in finem. Confige timore tuo carnes meas, à judicijs enim tuis timui. Nè projtias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me. DEUS in nomine tuo libera me ab æterna morte, & in virtute tua salvum me fac.

CONSIDERATIO V.

RAtio proponit. Quomodo unusquisq; hominum pænas inferni, quas jam promeruit peccatis suis, evitare potest? *Synt: resp: imò.* Vitare potest ac evitabit, qui dignam fecerit pœnitentiam, juxta *Ezech: 18.* Si impius fecerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet, & (morte æterna) non morietur. Et *Luc. 3.* Quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo dignos fructus pænitentiæ Quod idem sonat illud *Ioan. 8.* Vade & amplius noli peccare. Ille enim dignos fructus facit pænitentiæ,

tentiæ, qui in sua vera ad DEUM conversione omni studio fugit peccatum, ac mandatis DEI jugiter obtemperat, & piis operibus diligenter intendit. 2dò. Evitabit, qui vivens frequentabit infernum, per piam recogitationem eorum, quæ damnati pro suis peccatis ibi patiuntur, juxta persvasionem Davidicam *Psal. 54.* Descendant in infernum viventes, (nè puta descendant morientes.) Unde *D. Bonav. in verba illa Ezech. Reg. Isai. 38.* Ego dixi, in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferni. Sic ait: Optimè consulit pro dimidio dierum suorum, quod vadat homo ad infernum in dimidio vitæ suæ, dùm est juvenis & sanus, & hoc per diligentem considerationem; ut postea non descendat in fine vitæ per æternam damnationem. 3tiò. Evitabit, qui propriam non sequetur voluntatem, quæ sc. difformis est Divinæ volũtati, & consequenter voluntati superiorum, & cunctorum proborum: quæ non gloriam DEI quærit, nec bonum commune, sed privatum commodum ac placitum. Unde *D. Bernard.* Quid odit ac punit DEUS præter voluntatem propriam, cesset propria voluntas, & infernus non erit. 4tò. Evitabit, qui neminem in præsenti vita temerè judicabit & condemnabit: quiq; temeraria judicia, & condemnationes aliorum, & quascunq; injurias sibi factas, patienter sustinebit, dimittens cuilibet quamcunq; noxam in se commissam, juxta *Marc. 11.* Dimittite si quid habetis adversum aliquem, ut & Pater vester qui in cœlis est dimittat vobis peccata vestra. Et *Luc: 6.* Nolite judicare, & non judicabimini: nolite

nolite condemnare; & non condemnabimini: dimittite, & dimittemini, *std.* Evitabit mala futuri sæculi, vel alias pænas inferni, qui in vita præsenti fugiens mundanorum prospera, uti decipulas diaboli, eliget pati ad imitationem Christi hujus temporis mala seu adversa quod fecit Propheta *Psal. 83.* Elegi abjectus esse in domo DEI mei, magis quàm habitare (honoratus, ditatus, ac delicatus) in tabernaculis peccatorum, Unde *Luc: 16.* Fili recordare quia accepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. *Ratio* veritate responsionis convincitur: quam reflectit ad conscientiam, & cum ea examen instituit de homine suo, Curatnè his mediis evitare pænas inferni, quas peccatis suis promeruit. *Conscientia* ut scit verum fatetur. *Voluntas* elicit *Actus.* Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Miserere mei DEUS, miserere mei, quoniam malum coram te feci. Quis mihi tribuat ut diligam proximos meos propter te, in te, secundum te, stabiliter, prudenter, dulciter, fortiter, excedenter. Paratum cor meũ DEUS, paratum cor meum. Omnia volo, nihil volo in æternum.

CONSIDERATIO VI.

RAtio proponit. Quam ob causam pro peccato momentaneo punit DEUS hominem æterno inferni supplicio? *Synt: resp:* dupliciter, *imò.* Tum quia, sicut justo æterna præmia conferre decrevit DEUS, quâ summè bonus pro momentaneo o-

 pere

pere meritorio; ita etiam fas est, ut quà summè justus æterna supplicia statuat impio pro momentaneo actu peccaminoso cum eadem sit ratio oppositorum. Unde Sanctissimus Patriarcha noster, finitâ sua Regula sic ait ad Fratres: Magna promisimus, majora promissa sunt nobis; servemus hæc, suspiremus ad illa: voluptas brevis, pœna perpetua, modica passio, gloria infinita: multorum vocatio paucorum electio, omnium retributio. Et *S. Athan. in Symb: fidei.* Qui bona egerunt (in hac momentanea vita) ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum. Tùm quia sicut Judex terrestris, non punit malefactores pro latrociniis, quasi in momento perpetratis; nisi perpetuo supplicio ubi decollantur, vel in patibulo suspenduntur; ita jure potiori Judex Cælestis Christus Dominus, punire debet pro peccato momentaneo hominem supplicio æterno. Unde illud *Psal. 118.* Increpasti superbos, maledicti (in æternum) qui declinant à mandatis tuis. Et *Matth: 25.* Discedite à me maledicti in ignem æternum. Tùm quia sicut offensio oculorum cæcitatem operatur perpetuam, & potio veneni momentanea, mortem operatur perpetuam; ita actus peccaminosus momentaneus, operatur animæ cæcitatem ac mortem æternam, *id est* privationem visionis DEI gratiæq; illius vivificantis sempiternam. *2dò.* Nam non ita quidem eo respectu punit DEUS æterno supplicio hominem pro peccato; ut est momentaneum: quàm ut est in voluntate peccatricè æternum. Unde *S. Greg.* Iniqui voluissent sine fine vivere, ut

potu-

potuissent sine fine in iniquitatibus permanere. Ad districti ergo Judicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita, nunquam carere voluit peccato. Et *D. Bernard.* Ob hoc proculdubio inflexibilis & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum: quia quod breve fuit tempore, longum constat in pertinaci voluntate, ita ut si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret, imò semper vivere vellet, ut semper peccare posset. Et *D. Bonav.* Sicut homo in suo perpetuo non apposuit finem suo peccato, sic DEUS in suo perpetuo non desistit à puniendo. Et sicut voluntas post mortem malo adhæret in perpetuum sine susceptione pœnitentiæ, sic DEUS affliget sine sententiæ mutatione. *Item.* Non ita punitur æternaliter peccatum ut est momentaneum, quàm ut æternæ ac infinitæ Majestatis offensivum. Unde *D. Bonav.* Sicut homo contra infinitum peccavit, sic pænam habeat infinitam: & quia infinitam pænam non potest habere in intensione, saltim infinitam habeat in duratione. *Item.* Non ita punitur peccatum æterno supplicio, ut est momentaneum, quàm ut legis æternæ Divinæ violativum: quæ alias in æternum observanda est ex mandato DEI, juxta *Psal:* 18. Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis. Et *Psal:* 110. Redemptionem misit populo suo, (ea propter custodire illi) mandavit in æternum testamentum suum. Unde David, *Psalm.* 118. In æternum non obliviscar justificationes tuas. *Item* Custodiam legem tuam semper in sæculum sæculi.

Item deniq; non ita DEUS punit hominem æterno supplicio pro peccato, ut est momentaneum: quam ut infiniti erroris ac æternæ stultitiæ causativum. Unde D. *Bonav.* Cum homo peccat, errat in infinitum, quodammodo vis ejus rationalis, concupiscibilis, & irascibilis; quando finitum præponit infinito: illa quidem judicando, altera appetendo, & ultima adhærendo. *Ratio* veritate responsionis convincitur, quam reflectit ad conscientiam, examenq; cum ea instituit de homine suo, An sit contentus Judiciis DEI? *Voluntas* pio affectu mota, tales elicit *Actus*. Justus es Domine, & rectum judicium tuum, Amo tuam Justitiam, Sapientiam. *vide Scal: 5.*

MODUS

De Gloria Cœlesti meditationem Ascetice instituendi.

INtroductio imaginativa. Statue te veluti in nova quadam nunquam visa civitate, cujus Princeps & Artifex ipse Creator, cujus artificium super omnia opera ejus; cujus lucerna Agnus, cujus magnitudo immensa, muri perlucidissimi ex pretioso lapide, porta quælibet gemma; civium multitudo innumerabilis; pulchritudo inconceptibilis omnes perlucidi fulgentes plusquam sol & stellæ, varietas unius ab alio investigabilis, societas, pax concordia, charitas indissolubilis, lætitia perpetua inenarrabilis, cantici novi & continui, melodia suavitatis ineffabilis: ubi nullæ vicissitudines tem-

porum

porum dici aut noctis, ubi continui festi dies aguntur. Et quamdiu hæc? quamdiu æternum. Æternum quamdiu? quamdiu DEUS? DEUS autem sine fine.

CONSIDERATIO I.

Ratio proponit. Quis hominum in gloria cælesti in æternum salvabitur? *Synteresis respondet.* Salvabitur omnis homo prædestinatus ab æterno, propter finale opus meritorium à DEO prævisum, juxta *D. Ambros: in verba Apostoli ad Roman: 8.* Quos præscivit & prædestinavit. Non enim ante prædestinavit, quàm præscierat. Sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit. Et *Dan: 12.* Salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit in libro scriptus. Sed.

Nota. Quod hujus libri vitæ *D. Bonav.* duas dicit esse paginas *l. 1. in compend. Theol: verit. capite 8.* quarum altera est, in qua scribuntur nomina inchoatè prædestinatorum, ut potè ad gratiam justificantem in Ecclesia militante obtinendam de qua postmodùm) ob suam instabilitatem heu miseri delentur tanquàm in justitia DEI finaliter deficientes: de quibus est *Psal: 68.* Deleantur de libro viventium (per gratiam justificantem) & cum justis (amplius) non scribantur. Altera est, in qua scribuntur nomina completè prædestinatorum, tàm sc. ad gratiam in præsenti, quàm ad gloriam in futuro in Ecclesia triumphante consequendam; de qua nunquam delebuntur, cùm alias non in vacuum accipiant gratiam DEI: in qua continuò existentes

impetrant sibi à DEO devotis humilibusq; precibus donum finalis perseverantiæ in operibus virtuosis. Quamvis autem homo scire non possit modo ordinario, se esse completè prædestinatum, ac in altera pagina libri vitæ finaliter inveniendum, habet tamen in hac vita aliqua æternæ prædestinationis ac electionis suæ probabilia signa, quæ interim in hoc exilio verum solidumq; menti ejus gaudium affere possunt, juxta illud *Luc:* 10. Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlo.

ımum Ergo signum prædestinationis est vocatio DEI, juxta illud *Rom:* 8. Quos autem prædestinavit hos & vocavit. Vocatio DEI nihil aliud est, quàm divina invitatio hominis ad imitationem & cultum justitiæ, quæ ex fide est, seu ad studium Christianæ perfectionis, effecta videlicet per externam Sacri Verbi prædicationem, ac internam intellectus illustrationem, & voluntatis permotionem. Hujusmodi autem vocatio DEI duplex est, altera *sufficiens*, & altera *efficax*. Vocatio DEI sufficiens illa est, quæ caret effectu consensionis ac obeditionis humani liberi arbitrij, de qua illud est. *Prov.* 1. Quia vocavi & renuistis, extendi manum meam &c: Et *Matth:* 22, Multi enim vocati, pauci verò electi sunt. Vocatio efficax illa est, quæ habet effectum consensionis & obeditionis, de qua *Iob:* 14. Vocabis me, & ego respondebo tibi, *ut patè* consensione & obeditione mea. Hæc deinde vocatio efficax, alia est communis omnium justorum, quæ est congrua & opportuna divina invitatio, ac svavis quædam Spiritus Sancti pertractio

ad per-

ad perfectionem necessitatis: alia specialis, quæ est eadem divina invitatio ac pertractio quorundam justorum ad statum spiritualem, præsertim alicujus Religionis reformatæ, in qua viget studium perfectionis superrogativæ. Utraq; præsens vocatio est signum prædestinationis ad gloriam, sed secunda ad abundantiorem: nec requiritur, quod talis vocatio sit extraordinaria, id est miraculosa; sed sufficit, quod sit ordinaria, quæ fit per solam inspirationem illuminationem, ac motionem internam. Unde *Ioan*: *10*. Oves meæ vocem meam audiunt. Et *Cap*: *8*. Amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. Et *Luc*: *11*. Beati qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud. Et *S. Laurent*: *Iustin*: *de perfect.* Securè speret post hanc peregrinationem supernam intrare Hierusalem, quicunq; in justorum congregationem fuerit vocatus, Magnum quippe electionis indicium est, hujus fraternitatis habere consortium; & facilè ab illa excluditur, qui ab hac fuerit segregatus. Et *S. Bernar*: *serm*: *ad fratres de monte.* Bonum est nos hic esse, scilicet in Religione, quia hic homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, quiescit securius, irroratur frequentius, purgatur citius, moritur confidentius, remuneratur copiosius.

2dum Signum ac indicium prædestinationis est justificatio, juxta illud *Rom*: *8*. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit. Est autem justificatio duplex: *prima & secunda*. Prima justificatione justificatur aliquis

quando

quando ex divina vocatione, vel fidem in Christum propitiatorem ac Redemptorem cum baptismo, fidei sc. Sacramento recipiens, ex infideli & impio, fidelis ac pius efficitur; vel eandem fidem renovans, ac ejusdem fidei Sacramentum pænitentiæ suscipiens, ex peccatore ac inimico DEI, fit justus & amicus. De hac justificatione illud est *Rom*: 3. Arbitramur enim justificari hominem per fidem (*quæ nimirùm, spem, charitatem, compunctionem, devotionem ac Sanctum DEI timorem producit & gignit*) sine operibus (*ut potè cæremonialibus, veteris*) legis. *Vel.* Sine operibus legis. *Scilicet* in facto esse habitis: quia ad primam justificationem obtinendam, sufficiunt opera novæ legis in voto, tam videlicet explicito, quàm implicito. Et illud *Galat*: 2. Non justificatur homo ex operibus legis (*solis nimirùm naturæ viribus factis*) nisi per fidem (*ut potè vivam*) JESU Christi. *Secunda* justificatione justificatur aliquis, quando per actus ejusdem fidei, nec non spei, charitatis ac timoris DEI sæpè elicitos, & per frequentem usum fidei Sacramentorum, & per exercitia bonorum operum novæ legis jugiter in amicitia DEI proficit, juxta illud *Apoc*: 22. Qui justus est (*prima nimirùm justificatione*) justificetur adhuc (*secunda justificatione*) & Sanctus sanctificetur adhuc. Hanc autem justificationem secundam, puta esse hujus loci signum prædestinationis ad gloriam: quia prima justificatio, eò quod nondum in bonis operibus exercitata sit, adhuc debilis est, ac ideò non rarò facilè deficit; secunda verò eò quod continuo profectu, & ju-

gi abon

gi bona operatione magis ac magis roboretur, stabilis esse solet. Et de hac justificatione illud est *Ezech: 18.* Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet, & non morietur. Et *Psal: 106.* Beati qui custodiunt judicium (*recta conscientia*) & faciunt justitiam (bonorum operum) in omni tempore. Et *Luc: 15.* Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam (*ut potè tempestivam, continuam, & perpetuam*) agente; quàm super nonaginta novem justis) qui (*ex imprudentia, existimantes satù sibi habere primam justitiam ac pænitentiam; secunda*) non indigent pænitentiâ, *seu contritione; qua nimirum secundam parit justitiam, vel justificationem.* Est autem talis differentia inter justificationem & vocationem divinam: quia vocatio retrahit à malo, & offert gratiam; justificatio verò prima, eandem gratiam, ut potè gratum facientem confert, & secunda augmentat.

3tium Signum ac testimonium prædestinationis, est studiosa aversio mentis à lege iniquitatis, & ejusdem perpetua conversio ad observantiam legis Divinæ: *vel* est odium peccati perpetuum, & voluntas æterna in lege DEI, juxta illud *Psal: 1.* Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum (*id est qui non est secutus consilium peccandi*) & in via peccatorum non stetit (id est, in via iniquitatis sibi non complacuit, seu non perseveravit) & in cathedra pestilentiæ non sedit, *id est alios peccare*

non

non docuit, seu ad peccandum non induxit) sed in lege Domini voluntas ejus; & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et *Psal: 118.* Iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. Et *2. Tim: 2.* Firmum fundamentum DEI stat, habens signaculum hoc, Cognovit Dominus qui sunt ejus, & discedit ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini. Sicut enim arbor, quo se suorum propensione ramorum inclinat, sivè nimirùm ad aquilonem, sive ad meridiem, cùm succiditur, ibi provoluta jacet: ita etiam mens humana, si in partem legis mundanæ carnalis, ac diabolicæ in præsenti vita inclinatur, cùm arbor corporis illius securi mortis succiditur, ad aquilonem æternæ damnationis cadit: si verò in partem observantiæ legis divinæ se se extendit, in meridiem claritatis cælestis transportatur, quod ipsum S. David expectans dicebat: *Psal: 118.* Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.

4tum Signum est victoria mundi & sui per imitationem Christi, juxta illud *2. Tim: 2.* Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit, *id est* vicerit Et *Apoc: 3.* Qui vicerit dabo ei sedere in throno meo. Ille autem vincit mundum, qui semper illius prosperitates fugiendo reprobat, & adversiitates eligendo approbat, juxta illud *Galat. 6.* Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Est autem alicui mundus crucifixus, dum sc. ejus adversa non metuit: & mundo

aliquis

aliquis crucifigi dicitur, dùm ejus prospera contemnit. Unde *S. Aug. tract. de cont. mundi.* Si Christus pro te de cœlesti sede descendit, tu propter ipsum fuge terrena. Si dulcis est mundus, dulcior est Christus. Si amarus est mundus, omnia pro te sustinuit Christus. Ille quoq; vincit seipsum, qui semper captivat proprium judicium, & abnegat propriam voluntatem, & mortificat sensualitatem, juxta illud quod dicitur Gal: 5. qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.

5tum Signum est zelus Christi, seu zelus animarum spiritualis, juxta illud *Ier. 15.* Si separaveris pretiosum à vili (*hoc est, si ab errore infidelitatis ad veritatem fidei; vel à peccato, ad cultum virtutis proximum induxeris*) quasi os meum eris, Unde *S. Greg. lib. 1. hom. 12. in Ezech.* Nullum Omnipotenti DEO tale est Sacrificium, quale est zelus animarum. Et *S. Dion. lib. de cal. hier. cap. 3.* Omnium divinorum est divinissimum, DEO cóoperari in salute animarum. Et *S. Beda.* Quæ gratia sublimior & DEO gloriosior conversatio esse potest quàm illius, qui quotidiano exercitio alios ad Auctoris sui gratiam studet convertere; & crebra animarum acquisitione, gaudium Patris cœlestis semper augere. Et *S. Chrysost: in persona* DEI. Feci ego cœlum & terram, eadem facultate te dono, ut terram facias cœlum. Accendi ego luminaria. accende tu illis clariora; nam potes his, qui in errore sunt, lumen veritatis accendere. Hominem facere non vales, at justum gratumq; DEO

potes

potes: vide quàm te diligam, qui majora tibi faciendi tribuo potestatem. Est autem hujusmodi zelus, ut potè cùm vera fide & perfecta charitate conjunctus, non aliud quàm quævis vehemens ac fervens animi commotio, ob bonum malumvè proximi spiritualem eventum, successum profectum ac statum, Christi s. Sanguine pretioso redempti. Hoc zelo ac Spiritu Christi aguntur, qui ita solliciti sunt de spirituali salute & abundantiori salute proximorum, ut vel de illorum casibus seu defectibus tristentur, doleant & gemant, juxta illud *Psal*: *118.* Vidi prævaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. *Item.* Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia (redempti sanguine tuo) non custodierunt legem tuam. Vel de bonis operibus ac virtutibus lætentur & gaudeant, juxta illud *1. Cor. 1.* Charitas non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Hoc zelo, vel alias Spiritu Christi succensus fuit *D. Chrysost: dum hom: 1. de Lazar: de seipso diceret:* Ego animo meo persuasi, quoad spiravero, hoc implere ministerium, sive quis attendat, sive non attendat. Aquarum venæ, etiamsi nemo veniat ad aquatum manant tamen: & fontes quamvis nemo hauriat, scatebras emittunt. Hoc spiritu zeli S.P. Franciscus perflabatur, de quo *S. Bonav. cap: 8. vitæ ejus sic ait:* Cùm Francifcus animarum salutem visceroſa pietate appeteret, & fervida æmulatione zelaret, suavissimis dicebat se repleti odoribus, & quasi ungvento pretioso liniri. Cùm Sancto-
rum

rum Fratrum per orbem distantium, odoriferâ famâ multos audiret ad viam veritatis induci; ex talium auditu exultabat in Spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulans, qui verbo & opere ad Christi amorem inducerent peccatores. Hunc spiritum zeli, in omnibus Christi ministris accendi voluit. *S. Greg: cum sic diceret homil: 6. in Evang.* In quantum vobis profecisse pensatis, vobiscum alios trahite, in via Domini socios habere desiderate. Si ad DEUM tenditis, curate nè soli veniatis; In Apocalypsi dicitur: Qui audit, dicat veni, ut qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, foris etiam proximis vocem exhortationis reddat. Et fortè panem ut indigenti porrigat, non habet; sed magis est quod tribuere valeat, qui linguam habet. Plus est enim verbi pabulo victuram in æternum animam reficere, quám ventrem moriturae carnis terreno pane satiare.

6tum Signum est perseverantia finalis, juxta illud *Matth: 10.* Qui autem perseveraverit usq; in finem; hic salvus erit. Et *Apoc: 2.* Esto fidelis usquè ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Unde *D. Bonav: de perfect: vita ad sorores ait.* Postquam omnium virtuum adeptus est quis principium, nec tamen in conspectu DEI apparet gloriosus, nisi virtutum consummatrix adsit perseverantia: quia nullus omninò mortalis quantumcunq; perfectus, est laudandus in vita, nisi priùs hoc totum quod inchoavit bono fine ac felici perseverantia concludat. Et *S. Bernard: Epist: 129.* Absq; perseverantia,

nec

nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor con-
sequitur. Tolle perseverantiam, nec obsequium
mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec lau-
dem fortitudo; sola est cui æternitas redditur, vel
potius quæ æternitati hominem reddit. *Idem.* Per-
severantia est unica filia summi Regis, finis virtu-
tum, earumq; consummatio, totiusq; boni reposi-
torium & virtus, sine qua nemo videbit DEUM.

7mum Prædestinationis signum est interna devo-
tio, quæ significat promptitudinem voluntatis, seu
ipsam voluntatem promptam ad faciendum ea,
quæ pertinent ad divinum servitium. Vel signifi-
cat fervorem animi ac pium svavemq; & humilem
affectionem, tùm in oratione, tùm in qualibet alia
actione pro majori gloria DEI suscepta, conceptam
& sursum extensam. Hujus autem devotionis cau-
sa extrinseca est ipse DEUS; intriseca verò est
mentis nostræ contemplatio seu meditatio divino-
rum, per quàm dilectio sancta in nobis excitatur,
quæ nimirum hanc generat devotionem: quâ de-
inde nutritur dilectio (ut calor generat pinguedi-
nem, eaq; calor nutritur) odium peccati acuitur,
amor legis divinæ intenditur, virtus animi contra
mundi ac sui amorem roboratur, Christi zelus ac-
cenditur, & finalis perseverantia merito acquiritur

Ipsa quoq; devotio erga Beatissimam VIRGINEM
MARIAM, est etiam probabile admodum præ-
destinationis seu electionis signum ac indicium,
juxta consensum Sanctæ Matris Ecclesiæ, in per-
sona Deiparæ proferentis illud *Prov*: 8. Beatus ho-
mo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quo-
tidie,

tidie, & observat ad postes ostij mei: qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Et illud *Eccl: 24.* Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi? In Jacob inhabita, & in Isràël hæreditare, & in electis meis mitte radices. Hinc est quod *D. Aug. ser: 1. de Anunt: dicat ad Virginem gloriosam.* Quia tu es spes unica peccatorum per te speramus veniam delictorum, & in te Beatissima nostrorum est expectatio præmiorum. Et *S. Ansel: de excell: Virg: cap. 12.* Velocior est nonnunquàm salus invocato nomine MARIÆ, quàm invocato nomine JESU. non quod illa potentior sit: nam per illum ipsa potens est, sed quia Matrem vult filius sic honorare, & quia filius ejus, Dominus & Judex est. discernens merita singulorum: dùm ergo ipse invocatus suo nomine, non exaudit, justè facit; invocatus autem nomine Matris, & si merita invocantis non merentur, merita tamen Matris intercedunt. *Idem.* Sicut omnis ô Beatissima à te aversus, & à te despectus necesse est ut intereat; ita omnis ad te convesus, & à te respectus, impossibile est ut pereat. Et *D. Bonav: in spec: Virg:* Non solum in te peccant ô Domina, qui tibi injuriam irrogant; sed etiam qui te non rogant. *Et iterum.* Qui dignè coluerit illam, justificabitur; & qui neglexerit illam, morietur in peccatis suis. Sed *nota* in triplici differentia esse dovotos erga DEI Param. *Alios,* qui exiguum ac non satis gratum huic VIRGINI præstant obsequium, dum ei preces aliquas recitant, aut nonnulla jejunia offerunt, & mores

ejus non ſolum non imitantur, verùm etiam multi in peccatorum fæcibus corde obdurato voluntantur. Et hic eſt plurium error, qui levem VIRGINI quotidianum aliquod penſum exhibentes, ſtatim ſe ab omni reprobationis periculo ſecuros exiſtimant, & imprudenter favore illius ſalutem æternam omnimodè ſibi pollicentur, nullam interim curam aut ſolicitudinem adhibentes, vitia nimirùm horrendæ iniquitatis, quæ VIRGINI diſplicent extirpandi, & virtutes ſolidas (neceſſitatis ſaltim) moreſq; illius imitandi. *Alios* devotos eſſe puta erga DEIparam, qui cum in peccato mortali agunt, tunc maximè ad VIRGINEM recurrunt, ut eruantur; & placet illi eorum talis devotio, quia nimirum initiali cuidam converſioni conjuncta eſt: quamobrem etiam paratiſſima eſt ad perfectiorem converſionem eis auxilium impetrandum, & pænitentiæ ſpatium obtinendum. *Alios* tandem puta eſſe devotos, qui dum VIRGINEM DEIparam ſummoperè colunt, ac amorem ejus profitentur, omnimodè vias iniquitatum diſtortas deſerunt, ac obliqua vitiorum itinera derelinqunt & per ſemitam novæ converſationis ad eam tranſeunt, ut ejus fructibus, quos ipſa amatoribus ſuis ingenerare cupit, adimpleantur. Sunt autem hujuſmodi fructus non alij quàm quævis bona opera, virtutes ſanctæ, & ipſa finalis perſeverantia.

Conſcientia hinc illuminata reddit animæ teſtimonium, habere eam in ſe, vel non habere, hujuſmodi prædeſtinationis ſigna. *Voluntas* verò vel pro illis DEO humiliter gratias agit; vel ab eo illa ſibi dati obnixè precatur.

Nota quod poteſt aliquis in ſe unum aliquod habere ſignum prædeſtinationis remotum, ſimul & alterum reprobationis proximum: ut dùm facit opera miſericordiæ ac pietatis, peccata tamen mortalia non deſerit. Et è contra, poteſt quis unum habere aliquod ſignum prædeſtinationis proximum, ſimul & alterum reprobationis remotum. Ut qui eſt in gratia DEI, carnem tamen ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigere non ſtudet ſicut debet, quod ipſum eſt cauſa intrinſeca futuræ recidivationis.

CONSIDERATIO II.

RAtio *proponit*. Quæ præmia dabuntur electo in gloria cæleſti? *Synt: reſp.* Dabuntur tàm Eſſentialia, quàm Accidentalia. Præmia *eſſentialia* conſiſtunt in amotione malorum, & collatione bonorum. De amotione malorum illud eſt. *Apoc: 21.* Abſterget DEUS omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quia prima abierunt. De collatione verò bonorum illud eſt, *1. Cor: 20.* Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt illum. Sunt autem ejuſmodi bona in gloria cæleſti, cuilibet electo conferenda, præmiorum eſſentialium; alia quibus unuſquiſq; electus ſecundùm animam beatificabitur; alia quibus ſecundum corpus adornabitur. Anima quidem ſicut in ſua ſubſtantia, tribus eminet potentiis naturalibus: ita etiam tribus præmiis beatificabitur ſupernaturali-

 bus.

bus. Beatificabitur enim secundùm potentiam rationalem clara visione DEI; ac sapientiæ illius comprehensionis, & veritatum ejus revelatarum quas modo credit, plenâ perceptione apertaq; intuitione, juxta *1. Cor: 13.* Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et *Ioan: 3.* Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, Et *Hugo.* Videbimus tuæ Majestatis essentiam (in essentia sapientiam, cùm cæteris tuis perfectionibus) & unusquisq; tantò perspicatius, quo hic vixerit purius. Beatificabitur item secundùm potentiam concupiscibilem, plena cælesti satietate quam efficit, consummata Divinæ bonitatis fruitio, ac unanimis mutuaq; DEI & omnium Beatorum suavissima dilectio. Unde *Psal: 16.* Satiabor cùm apparuerit gloria tua. *S. Anselm:* Beati diligent DEUM plus quàm seipsos; & invicem tanquam seipsos, & DEUS illos, plus quàm illi seipsos. Beatificabitur deniq; secundùm potentiam irascibilem, secura tentione infinitæ felicitatis, quieta possessione æternæ sanitatis, ac perpetua participatione Majestatis, seu potentiæ Divinæ. Unde *2. Petr: 1.* Per quem (id est per Christum) maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hoc efficiamini Divinæ consortes naturæ. Et *S. Ansel:* Omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut DEUS suæ; nam sicut poterit DEUS, quod volet per seipsum, ita poterunt illi per eum, quod volent. Corpus quoq; sicut in hac vita de quadruplici vitio sibi innato vituperatur, ita in illa felicitate æterna de quadruplici virtute adornante se magnificabitur.

Dùm

Dùm imprimis ex opaco efficietur clarum, lucidum, ac fulgidum, juxta *Matt: 13.* Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris mei. Et *Philip: 3.* Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Non erit tamen corpus glorificatum propter diaphaneitatem transparens; nisi propter porositatem, quæ sibi inerit, & perspicacitatem oculorum beatorum; poterit enim oculus beati ita videre per poros alterius beati, ac si per corpus diaphanum. Dùm deinde ex gravi ac tardo efficietur velox & agile, juxta *D. August:* Protinùs ubi volet spiritus, ibi erit & corpus. Et *S. Anselm.* Velocitas nos tanta comitabitur, ut ipsis Angelis DEI æquè celeres simus; qui de cælo ad terras, & è converso, dicto citius dilabuntur. Dùm item ex grosso seu crasso efficitur subtile, non quidem ad instar ignis, aquæ, àëris: quæ ob suam divisibilitatem ac raritatem subtilia sunt; non etiam ad instar argenti, auri, & gemmæ: quæ in comparatione ad ferrum, argillam, petram, subtilia dicuntur; sed instar corporis Christi; qui post suam resurrectionem venit ad suos discipulos per januas clausas modo penetrativo. Dùm tandem ex passibili efficitur impassibile. Non ita quidem, ut habeat tantummodo posse non pati, & consequenter posse non mori, quod datum fuit primis Parentibus antequam peccassent; non ita etiam, ut solum habeat non pati, pænam scilicet sensus, quod dabitur pueris in peccato originali absq; aliquo actuali decedentibus, ad solam pænam damni condemnandis, ut placet multis Theologis:

ſed ita, ut habeat non poſſe pati, & conſquenter non poſſe mori, propter Divinæ naturæ perfectam participationem.

Præmia *accidentalia*, quæ in gloria cælesti nonniſi aliquibus ſpecialiter Sanctis dabuntur, vocari ſolent coronæ, aureolæ, ad differentiam præmiorum eſſentialium; quæ per coronam auream, & coronam vitæ intelliguntur, juxta *Apoc: 1.* Eſto fidelis uſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Horum autem præmiorum habetur figura *Exodi 25. & 27.* Ubi inter ornamenta Sanctuarij voluit DEUS apponi unam coronam auream, & ſupra illam, alteram coronam aureolam, ut daret ad intelligendum quod in ſanctuario cælesti, omnes ſancti coronabuntur coronà aureà: ac inſuper aliqui ſpecialiter Sancti coronabuntur coronà aureolà Sicut autem Aurea dicit commune omnibus Sanctis quoddam mentis gaudium veniens ex poſſeſſione præmiorum eſſentialium, quæ ipſis conferuntur in beatificatione, per communem participationem Divinæ Regiæq; Majeſtatis. Ita quoq; aureola dicit aliud quoddam ſpeciale gaudium, veniens ſpecialiter aliquibus Sanctis ex poſſeſſione præmiorum accidentalium, quæ ipſis conferuntur in beatificatione per ſpecialem participationem Regiæ Divinæq; Majeſtatis.

Ratio veritate reſponſionis quietatur, quàm reflectit ad conſcientiam, cùm qua de homine ſuo examen inſtituit, habeatnè majorem appetentiam hujuſmodi præmiorum cæleſtium, quam hujus temporis proſperitatum. *Conſcientia* ut verum

rum est fatetur. *Voluntas* in tales resolvitur *Actus*. Credo videre bona Domini in terra viventium. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcu-cula sæculorum laudabunt te. Beatus quem elegisti & assumpsisti inhabitabit in atrijs tuis. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Replebimur in bonis domûs tuæ; Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Domine tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Confitemini Domino cuncti terrigenæ ac omnes cælites, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

CONSIDERATIO III.

RAtio proponit. Pro quo tanta præmia homini justo in gloria cælesti dabuntur? *Synt: respondet*. *Prima* quidem pars essentialium præmiorum, quæ consistit in amotione malorum, dabitur cuilibet electo pro patientia, in perpessione pænalitatum atq; miseriarum vitæ præsentis juxta *Luc. 28.* In patientia vestra possidebitis animas vestras. Et *Hebr. 10.* Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem DEI facientes reportetis promissionem. *Secunda* pars quæ consistit in collatione bonorum, dabitur quoad animam cuilibet electo pro merito Fidei, Spei, & Charitatis. *Visio* quidem DEI ac Divinorum clara dabitur pro fide: quâ electus credit DEO, tanquam Supremæ Veritati in omnibus ad credendum revelatis, & ab ejus Ecclesia propositis, supra omnia credibilia. *Fruitio*, seu sacietas mentis divina bonitate dabitur justo pro charitate: quâ hic DEUM amat ut summum bonum supra

omnia amabilia. *Tertio*, seu possessio æternæ felicitatis, dabitur pro spe: quâ justus supra omnia expectabilia ac desiderabilia, confidenter expectat promissa sibi à DEO, ut summè fideli ac summè liberali. *Item* quoad corpus dabitur cuilibet electo ex redundantia animæ suæ claritas, Agilitas, subtilitas, & impassibilitas, pro merito prudentiæ, temperantiæ, justitiæ, & fortitudinis. Sicut enim anima justi in hac vita per dona Spiritus S. facta consors naturæ Divinæ (juxta *D. Petr. Epist. 2. cap. 1.*) protinus ingenerat corpori suo mores divinos: ita in gloria cœlesti ex consortio DEI ac participatione infinitarum ejus perfectionum derivabit suam beatitudinem in corpus fideliter sibi cöoperans in acquirendis virtutibus & exercendis piis operibus. *Claritas* ergo dabitur beato corpori pro prudentia: quâ justus hîc attendit rectitudini in agendis; cautè procedens in omnibus viis, bonorum operum, nè conscientia sua vitio alicujus defectus aut excessus criminosi obscuretur. *Agilitas* pro temperantia: qua promptus homo redditur, ad benè rectéq; agendum, juxta legis Divinæ præscriptum. *Subtilitas* pro justitia; quâ homo subtiliter ac diligenter examinat, quid cuiq; tribuendum sit secundùm DEUM. *Impassibilitas* pro fortitudine: quâ homo redditur quasi insensibilis; seu quasi adversa non sentiens, quæ ad imitationem Christi æquo sustinet animo.

Præmia accidentalia, uti sunt Aureolæ, palmæ, & fructus, dabuntur specialibus Sanctis pro specialibus meritis. *Aureola* quidem Doctoribus, Virginibus,

nibus, & Martyribus. *Doctoribus* quidem dabuntur pro doctrina sana, charitate DEI & proximi, atq; bonis exemplis adornata; quâ multos adjustitiam & fidem trahunt ac erudiunt, juxta *Matth*: 5. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. *Virginibus* vero pro virginali castitate DEO consecrata, & usq; ad mortem pro imitatione Christi fideliter ac intemeratè observata. *Martyribus* tandem pro perpessione cruciamentorum ac ipsius violentæ mortis ob Christi fidem atq; justitiam. *Palmæ* item dabuntur specialibus Sanctis pro gloriosa victoria de mundo, carnè diabolo, homineq, malo, diaboli substituto reportata. *Fructus* deniq; alias ineffabilis dabitur specialibus Sanctis pro exercitio internæ mortificationis ac studio Asceticæ virtutis; tricesimus quidem incipientibus diligenter hujusmodi exercitium ac studium. Sexagesimus autem proficientibus ferventer in eodem exercitio ac studio; Centesimus vero perfectis, qui quidem ultimus fructus idem est quod aureola: quæ debetur culibet virtuti perfectæ; uti docent Theologi. De hisce fructibus habetur parabola Christi *Matth*: 12: Unde & Ecclesia in festo S. Joannis Bapt: canit. Serta terdenis alios coronant, aucta crementis duplicata quosdam, trina te fructu cumulata centum nexibus ornant. *Ratio* veritate responsionis quietatur, quam reflectit ad conscientiam suam cùm qua examen instituit de homine suo. Utrumnam habeat in usu exercitia hujusmodi virtutū: quibus in gloria cæle-

sti tan-

sti tanta debentur præmia, nec ne? *Conscientia* ut verum est fatetur. *Voluntas* elicit *Actus*. Credo te esse DEUM meum. Spero in te. *vide Scal: 4.* Quis mihi tribuat ut diligam te magis ac magis propter te, in te, & secundum te, stabiliter, fortiter, prudenter, dulciter, & excedenter. Quis mihi tribuat, ut diligam proximos meos. &c.

CONSIDERATIO IV.

Ratio proponit. A quo originaliter tanta præmia homini in gloria cælesti tribuenda proveniunt? *Synteresis respondet.* A Christo Domino Reparatore nostro ejusquè meritis qui cùm esset ab æterno Unigenitus DEI Filius, in tempore filius hominis fieri dignatus est, ut nos homines miseros repararet, ac eatenus filios DEI adoptivos, regniq; sui cælestis cohæredes efficeret juxta *Rom: 8.* ipse enim Spiritus (*Sanctus*) testimonium reddit spiritui nostro (*Intimè diligenti DEUM*) quod sumus filij DEI. Si autem filij (*ergo*) & hæredes quidem DEI (*Patris*) cohæredes autem (*Filij ejus*) Christi. *Item.* qui cùm esset substantialiter ac naturaliter Sanctus, factus est pro nobis peccatum (ut habetur *2. Cor: 5.*) dùm quasi peccatis addictus, inter sceleratos crucifixus & mortuus est, ut nos verè peccatores efficeret consortes atq; particeps suæmet Sanctitatis, juxta *Levit: 11.* Ego sum Dominus DEUS vester: Sancti estote, quia ego Sanctus sum. Et *Luc: 11.* Ut serviamus illi in sanctitate & justitia omnibus diebus nostris. *Item* qui cùm esset in se de Patre suo cùm Spiritu S. in æternum benedictus,

factus est pronobis maledictum (ut habetur *Gal*: 3.) dùm pendens in ligno crucis, quasi maledictus, malediceretur ac blasphemaretur, ut nos filios Evæ maledictos suis repleret æternis benedictionibus. *Item* qui cùm esset naturâ suâ felicissimus, factus est pro nobis miserrimus, ut nos infelicissimos ac miserrimos faceret in gloria sua æterna beatissimos. *Ratio* veritatem responsionis comprobat, quàm reflectit ad conscientiam, cùm qua examen instituit de homine suo. Utrum gratus sit, quod tanta sibi Christus præmia promeruerit, nec nè? *Conscientia* ut verum est fatetur. *Voluntas* elicit *Actus*. Gratiarum actionis, laudis *Scal*. 4. Benedictio & claritas & Sapientia & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo DEO nostro in sæcula sæculorum. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Redemisti nos Domine DEUS in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos DEO nostro regnum. Salus DEO nostro in sæcula. Domine DEUS tibi gratias ago, te laudo, tibi offero, à te peto.

CONSIDERATIO V.

Ratio proponit. Quomodo debemus nos præparare ad vitam æternam in gloria cælesti quantociùs consequendam? *Synteresis respondet*. *imò*. quidem benè nos præparamus; dùm studiosè fugimus non solum omnem iniquitatem, ac ejus quamcunq; occasionem; nè DEUM vitæ æternæ præmio-

rum datorem offendamus; verùm etiam omnem speciem ipsiusmet iniquitatis; nè proximus per nos aliquod scandalum patiatur. Unde *Psal*: 31. Quis est homo, qui vult vitam (*æternam*) diligit dies (*gloriæ cælestis*) videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo (*murmurationis detractionis &c.*) & labia tua nè loquantur (*in malum proximi*) dolum. Diverte à malo, & fac bonum, inquire pacem (tuæ conscientiæ cùm DEO & homine) & persequere eam. Et 1. *Thes*: 5. Ab omni specie mala abstinete vos. Et *Tob*: 4. Noli timere fili mi; pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona (*terrestria ac cælestia*) habebimus, si timuerimus DEUM, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè. Et 1. *Petr*: 2. Charissimi obsecro vos tanquam advenas (ad fidem & Ecclesiam Christi) & peregrinos (ad gloriam cælestem) abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant adversus animam. 2dò. Benè nos præparamus dùm diligenter operamur bona, quæ nobis sancto DEI mandato tradita sunt juxta D. Athan: in Symbolo. Qui bona egerunt ibunt in vitam æternam; qui verò mala in ignem æternum. Sunt autem hujusmodi bona alia de præcepto, alia de consilio. De bonis, quæ sunt de præcepto illud est *Matth*: 12. Si vis ad vitam (gloriæ cælestis) ingredi, serva mandata. Quæ autem de consilio, illud est, quod sequitur: si vis perfectus esse (& consequenter abundantiorem gloriam consequi) vade & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me. Unde etiam est illud 2. *Petr*: 1.

Fratres

Fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum. *3tiò.* Benè nos præparamus ad vitam æternam in gloria cæleſti, quàm citiùs conſequendam, dùm adverſa hujuſmodi cælitus nobis donata grato libentiq; animo ad imitationem Chriſti toleramus, juxta *Pphilip: 1.* Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini. Et *1 Petr: 4.* Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes, ſi exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis DEI, & qui eſt ſpiritus ejus, ſuper vos requieſcet. Nemo veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, ſi autem ut Chriſtianus (lubens ſc. non còáctus) non erubeſcat: glorificet autem DEUM in iſto nomine Et *Matt: 5.* Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me, gaudere & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. *Ratio* veritatem reſponſionis approbat, quàm reflectit ad conſcientiam cùm qua de ſuo homine examen inſtituit. Utrum nàm tali modo præparet ſe ad conſequendam vitam æternam, nec nè? *Conſcientia* ut verum eſt fatetur. *Voluntas* elicit *Actus.* Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miſerere mei. Viam veritatis elegi, judicia tua non

ſum

sum oblitus. Adhæsi testimoniis tuis Domine, noli me confundere. Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. Amo tuam justitiam, potentiam, sapientiam, bonitatem, misericordiam.

CONSIDERATIO VI.

Ratio proponit. Quam ob causam DEUS tanta præmia homini conferre in gloria cælesti decrevit atq; promisit, cùm alias minora pro ipso sufficerent? *Synt: resp: imò.* Sufficerent quidem præmia minora pro aliquo homine animali qui non percipit ea quæ sunt spiritûs, nisi quæ sunt carnis ac mundi: sed minimè sufficerent pro homine spirituali, alias cælesti sapientia instructo, qui mundana appetibilia & amabilia omninò aversatur. Quod patet ex verbis D. Pauli *Philip*: 3. Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Et *Psal: 16.* Satiabor cum apparuerit gloria tua. Et D. *Aug*. Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. *2dò.* Ideò tanta præmia DEUS homini conferre statuit ac promisit: quia jure hæreditario ei debentur uti filio adoptivo: in quem regeneratus per fidem Spem, Charitatem, & observantiam mandatorum Patris sui cœlestis tandem submissa mente confidenter dicere potest. Abba Pater, ut cunq; feci quæ præcepisti, da prout pius ac fidelis quæ promisisti. *3tiò.* Quia decet Majestatem Divinam: quatenùs ad manifestandam Nominis sui gloriam infinitam, tanta præmia homini promittat, ac tandem benè meritò confe-

conferat. Decet etiam uti summam bonitatem: quam necesse est esse sui summè diffusivam. *4tò.* Quia omninò expedit, quatenùs Majestas Divina, sicut est principium hominis per creationem & recreationem; seu reparationem; ita sit ejus finis per glorificationem juxta *Apoc: 1.* Ego sum Alpha & Omega, principium (immediatum, & ultimus) finis dicit Dominus DEUS *5tò.* Quia etsi bona opera hominis ex parte sui, minimè digna sint tantis præmiis cælestibus; digna tamen sunt ex parte DEI; qui tantoperè acceptat ea ad præmiandum sic, ac si essent unigeniti fililij sui, Salvatoris nostri; eò quod ad suam fiant imitationem & majorem gloriam: ac item quod magìs ipsius DEI sint quàm hominis; propter auxilia efficacia opportunè ei cælitùs præstita, sinè quibus alias nihil boni facere posset, juxta *Ioan: 15.* Sinè me nihil potestis facere. *6tò.* Quia amor charitatis, quo homo diligit DEUM propter se, & super omnia, non recompensatur sufficienter, nisi ipsius amati summè boni fruitione. *7mò.* Quia bona opera quæ facit homo, & mala seu adversa, quæ patitur propter DEUM in charitate, & ex charitate, competenter non possunt remunerari, nisi per traditionem à DEO factam bonorum cælestium homini in perpetuam possessionem. *8vò.* Quia sicut homo in præsenti totum se tradit DEO in obsequium: ita DEUS in futuro totum se homini exhibere vult in stipendium, juxta *Gen: 15,* Ego merces tua magna nimis. *9nò.* Quia minùs est jamquè faciliùs DEO dare homini suam gloriam, quàm Filium suum

facere

facere in hoc mundo suscepisse ipsius miseriam. 10. Quia hoc requirit integritas ac perfectio dignitatis & honoris Christi Domini, reparatoris nostri, ut qui caput est nostrum Mysticum, nosq; membra ejus per fidem & charitatem effecti; una cum ipso ac per ipsum glorificemur in æternum. *Ratio* veritate responsionis convincitur, quàm reflectit ad conscientiam, cum qua examen instituit de homine suo. An habeat jam desiderium fervens hujusmodi præmia quantotiùs consequendi, nec ne? *Conscientia* ut verum est fatetur *Voluntas* elicit *Actus* Quando veniam & apparebo ante faciem tuam extensus in te amore semper mobili *vide Scal: 8.*



TRACTATVS II.

TESTAMENTVM ANIMÆ. SEU MODVS

Pacta æterna, cum DEO ineundi, formandi, ac sursum ducendi.

TEstamentum præsens asceticum, dicit ultimam hominis mūdo, ac suæ sensualitati mysticè mòrientis, voluntatem: quâ omninò vult stabilire in æternum & ad amussim exequi sancitum cum DE'O sanè specialissimum amoris amicitiæ contractum ex pluribus scalis cælestibus, earumq; gradibus di-

vinæ

vinæ amotionis coadunatum. Qui equidem gradus alias dicuntur actus anagogici, actus contemplationis, actiones unitivæ, suspiria, & adspirationes, orationes jaculatoriæ, actus DEI formes, ac deniq; pacta ascetica.

Nota imò quod Scalæ cæleſtes ex gradibus divini amoris effectæ, inde veniunt, quod mens in sui elevatione, gradatim se habere soleat actibus suis in DEUM, Scalis hujusmodi innixum, (*Gen*: *18.*) donec in summitate earum ab ipso excipiatur, tandemq; in ipsum deficiat per transformationem asceticam *Psalm*: *118.* Defecit (id est transformata est) in salutare tuum anima mea. Hoc modo S. Paulus defecerat in Christum salutare nostrum, cùm diceret ad *Galat*: *2.* Vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Christus.

Nota 2dò. Quod actus anagogici, & actus contemplationis hinc dicuntur: quia mens hujusmodi actus elicitos sursum agit (anagogia enim juxta *D. Bon*: idem est, ac sursum actio, & sursum ductio) atq; supra omnem rationis inquisitionem seu discursum, & supra omnem voluntatis proprietatem, intentionis obliquitatem & affectus tepiditatem seu remissionem elevat ad DEUM, videlicet simpliciter conspiciendum & ferventer amandum, laudandum, benedicendum.

Nota 3tiò. Quod actiones unitivæ inde sic dici solent: quia mens illis agitur, & agit ad unionem DEI. *Puta áutem* aliud esse Actionem unitivam, & aliud ipsam unionem. Actio enim unitiva notat unionem in fieri, & propriè dicitur unitio:

unio verò est terminus unitionis, seu ipsum vinculum uniens, ac unio in facto esse. *Vel item.* Unitio est illa actio, quâ mens contemplantis DEO conjungitur. Unio autem est ipse actus, per quem anima contemplatrix manet DEO conjuncta ac unita.

Nota 4tò. Quod suspiria & adspirationes hujus loci sunt quidam affectus amoris spiritum urentis, nam ubi memoria cælestis Amati intima spiritus amantis tangit; statim ille ignita suspiria quasi quosdam nuntios inflammati amoris, quo flagrat sursum agit, donec amati sui jucunda præsentia consoletur.

Nota 5tò. Quod orationes jaculatoriæ inde sic appellantur: quòd sicut jaculatoris telum vel sagitta cito volans, ac medium promptè transcurrens, mox vulnerat aliquem expositum sibi, aut scopo infigitur; ita hujusmodi orationes, quasi oris spiritûs inflammati fervidæ actiones in momento nubes ac cœlos penetrant, suiq; amoris intimi acuto telo sponsum cælestem vulnerãt (id est commovent, *Cant:* 4.) atq; cordi ejus infixæ manent; donec animam efficaciter audiat, ejusq; humilibus postulatis satisfaciat. De hisce Oratiunculis *S. Aug: ad Probam* sic ait: Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem orationes habere, sed eas brevissimas, tùm & raptim quodammodo jaculatas: nè illa vigilanter erecta, quæ oranti necessaria plurimum est, per productiores moras evanescat atq; hebetetur intentio.

Nota 6tò. Quod actus DEI formis inde sic denomi-

minatur, quia Divinæ voluntati, aut verò exemplari amori in mente Divina locum habenti omninò conformis est. *Idem etiam* dici potest actus DEIformis ad intellectum, spectans, quod conceptus divinalis, atq; ratio exemplaris: quia à DEO formatus ac menti humanæ subitò inspiratus haberi solet, juxta *Matth*: *10*. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris, qui loquitur in nobis.

Nota 7mò. Quod pacta asceti̇ca inde sic vocata sunt: quia sicut pactum politicum, quatenùs pro signo accipitur, multa dicit juxta duorum placitum atq; condictum, ab aliorum conceptu remota; ita sanè pacta spiritualia in signo brevis alicujus enunciationis propositæ multos ac mirificos conceptus continent, DEUM s. amandi, orandi, laudandi &c: juxta piæ devotæq; animæ inventionem, ac placitum ipsius DEI, qui etiam sub signo paucorum verborum S. Scripturæ non rarò sensus multiplices atq; admirabiles concludere dignatus est, ut eos abscondat sapientibus hujus mundi, parvulis verò suis mundana spernentibus revelatos faciat. Hujusmodi pactorum habuit usum, Sanctissimus Noster Patriarcha B. P. Franciscus, uti constat ex illa ejus Oratione multoties repetita; DEUS meus, & omnia. Similiter etiam devotissimus P. Barthol: à Saluth: ut patet in ejus testamento animæ, & in inventionibus Divini amoris: quos passim jam pleriq; imitantur diversi statûs Ascetæ, speciali equidem cælitûs inflammati

devotione. Quamvis autem Pacta verè sunt actus anagogici, contemplationis, unitivi, jaculatorij, ac DEI formes: non tamen omnes Actus Anagogici propriè dici possunt pacta, sed solum illi qui habent sensum occultum & sine interpretatione suorum terminorum ac intentionis ipsius paciscentis, non sunt intelligibiles. Ad quæ Pacta accessus potest esse talis. Tibi DEO Uni in substantia, & Trino in Personis Patri & Filio & Spiritui S. Creatori & Redemptori ac Sanctificatori, meo, ego Frater N. vilissimus ac miserrimus homuncio, hoc præsenti testamento animæ meæ, totum me lego ac offerro ad exequendum atq; implendum omni meliori modo sanctum tuum testamentum: quod nobis servis ac mancipiis tuis in æternum Sanguine JESU Christi D. N. confirmatum tradidisti, ut dicitur *Ps: 110.* Redemptionem misit populo suo (eâ causâ exequi) mãdavit in æternũ testamentum suum. Cujus alias compendium positum est *Deut: 10.* Et nunc Israel, quid Dominus DEUS petit à te, nisi ut timeas eum, & ambules in vijs (mandatorum) ejus, & diligas eum. Quodq; ipsum à JESU Christo D. N. comprobatum habetur. *Matth: 22. Marc: 12. Luc: 10.* In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ. In mandato *s.* diligendi DEUM ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota fortitudine, & ex omnibus viribus. Atq; in mandato diligendi proximum sicut seipsum. Ut autem ô DEUS meus hujusmodi æternum tuum testamentum commodiûs ac perfectiûs exequi valeam, hæc præsentis te-

tis testamenti animæ meæ pacta intimum amorem tui contestantia, secundum ingenii mei imbecillitatem utcunquè composita pro continuo usu meo, Te magis ac magis amandi, honorandi, laudandi &c: quæ alias quotiescunq; ex profundo cordis mei ad te direxero, obnixe quæso, quatenùs ea Majestas tua Divina in eodem sensu qui inferiùs explanabitur ad Majorem gloriam nominis tui paterno affectu suscipere dignetur: *Amen.*

S C A L A I.

Actuum Fidei, Spei, & Charitatis & Contritionis.

Actus fidei 1mus. Credo te esse DEUM meum. *2dus.* Credo tibi DEO meo. *3tius.* Credo in te DEUM meum.

Actus Spei. 1mus. Spero in te expectans à te veniam. *2dus.* Spero in te expectans à te gratiam. *3tius.* Spero in te expectans à te gloriam.

Actus Charitatis DEI. 1. Quis mihi tribuat, ut diligam te DEUM meum propter te, in te, & secundum te, stabiliter. 2. Quis mihi tribuat, ut diligam te DEUM meum propter te, in te, & secundùm te stabiliter, prudenter, dulciter, & fortiter. 3. Quis mihi tribuat, ut diligam te DEUM meum propter te, in te, & secundùm te stabiliter, prudenter, dulciter, fortiter, & excedenter.

Actus Charitatis proximi. 1. Quis mihi tribuat, ut diligam proximos meos propter te DEUM meum, in te, & secundum te stabiliter. 2. Quis mihi tri-

hi tribuat, ut diligam proximos meos propter te DEUM meum, in te, & secundùm te stabiliter prudenter, dulciter, & fortiter. 3. Quis mihi tribuat, ut diligam proximos meos propter te DEUM meum, in te, & secundùm te, stabiliter, prudenter, dulciter, fortiter, & excedenter.

Actus Contritionis. Domine DEUS detestor, abominor, & fugio omnia peccata mea in æternum, quibus te gravissimè offendi: detestor autem propter te summè honorandum, amandum, & imitandum, uti infinitè potentem, bonum, & sapientem. Et super omnia detestabilia, abominabilia, & fugibilia.

Pactum omnes hos actus complectens: Domine DEUS propter te, & super omnia.

Nota imò. Quod credere DEUM, id est, ac firmo assensu fidei, tenere DEUM esse Unum substantialiter, & Trinum personaliter, eumq; esse infinitè potentem, bonum, sapientem, justum clementem, ac misericordem. Eum quoq; esse totum in toto mundo, & totum in quolibet ejus loco, per potentiam, præsentiam, & essentiam: quem cæli cælorum non capiunt, cùm sit immensus, quos alias ipsemet capit, sicut & seipsum. Eum item esse, nostrum principium per creationem in esse naturæ, & per recreationem in esse gratiæ justificantis. Eum deniq; esse ultimùm finem nostrum in quo omnes nos viis mandatorum ejus finaliter ambulantes, æterna salus, requies, ac beatitudo infallibiliter expectat.

Credere autem DEO, idem est, ac firma fide tene-

tenere, cuncta omninò indubitate esse vera: quæ DEUS Sanctæ Ecclesiæ Matri nostræ benedictæ revelare dignatus est; tùm per Prophetas, tùm per Filium suum Unigenitum Dominum ac Salvatorem nostrum, tùm per ejus Apostolos atq; Doctores; tùm deniq; per sancitas de visu (Act: 15.) ac instinctu Spiritus Sancti in Concilijs Catholicis atq; Apostolicis determinationes.

Credere verò in DEUM, idem est, quod conceptum fidei quo DEUM atq; DEO credimus, mente per charitatem concitata sursum agere in ipsum DEUM, eiq; intimo affectu adhærere, ut veraci in revelando revelata, & ut fideli in adimplendo promissa: ijs nimirum hominibus, qui juxta præscriptum æterni sui testamenti cælitus nobis traditi, eadem fide edocti, fugiunt fugienda, operantur operanda, & sufferunt sufferenda.

Nota 2dò. Quod non possumus sperare in DEO ut oportet, veniam peccatorum nostrorum ab eo expectando, tùm ratione culpæ, tùm ratione pænæ; nisi spes nostra actu suo consurgat ex intuitu æternæ aversionis nostræ ab omni iniquitate, & innitatur infinitæ Christi satisfactioni, ac tandem culmine sui, conquiescat in immensa DEI misericordia. Non possumus item sperare gratiam DEI justificantem ut oportet, ejusq; augmentum cùm auxilijs cælestibus opportunis, ac dono finalis perseverantiæ; nisi spes nostra actu suo consurgat ex intuitu æternæ adhæsionis nostræ mandatis, Divinis, puræq; regulari observantiæ, & innitatur plenitudini meritorum Christi, de qua accipimus

omnes ac tandem culmine sui in immensa DEI bonitate, sui ipsius infinitè diffusiva, securè conquiescat. Non possumus deniq; gloriam vitæ æternæ à DEO nobis conferendam sperare ut oportet, nisi spes nostra actu suo consurgat ex intuitu nostræ victoriæ tentationum; & innitatur Christi imitationi per tolerantiam adversitatum hujus vitæ; ac tandem culmine sui conquiescat in DEI Salvatoris nostri promissionibus infallibilibus: qui ut nobis daret gloriam suam, dignatus est pati nostram miseriam. Unde *Iacob*: 1. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam &c.

Nota 3tiò. Quod DEUM diligere *propter se*, est eum diligere, uti suprema dilectione dignum ob suam infinitam bonitatem, quàm habet per essentiam. Diligere DEUM *in se*, est diligere illius perfectiones, illasq; ei intimè gratulari, quæ sibi naturaliter insunt, uti est infinita potentia, & bonitas, & sapientia, & justitia & misericordia. Diligere DEUM *secundum se*, est eum diligere juxta præscriptum suæ præceptionis. *Deut*: 6. *Matthe* 22. *Marc*: 12. *Luc*: 10. Ex toto videlicet corde, ex tota anima &c. Vel quod idem sonat, est eum diligere supra omnia diligibilia, & consequenter in gratiam ejus summo odio prosequi peccata, & in summo amore illius habere mandata, juxta *Psa*:96. Qui diligitis DEUM, odite malum; Et *Psal*: 118. Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. Diligere DEUM *stabiliter*, est in tentatione ad malum inductiva non deficere, sed proficere in amore DEI & in odio peccati, & in observantia legis Divinæ. Diligere DEUM

UM *prudenter*, est ita circumspectè operari bona ex amore DEI ad imitationem Christi, ut evitetur sub specie spiritualis boni aut melioris vitium latitans, caveaturq; deviatio per aliquem defectum aut excessum à rectitudine virtutis. Diligere DEUM *dulciter*, est eum diligere non solùm ut est summum bonum in se, verum etiam ut est summum bonum in nobis summè s. in nos diffusum per summa beneficia nobis præstita, & consequenter ex amore, gratitudinis, causaq; illius amicitiæ omnia mundi prospera, seu concupiscibilia ac delectabilia, velut spiritui amara, despicere & aversari. Diligere DEUM *fortiter* est ex fervore charitatis aggredi ardua ad promovendum DEI gloriam, (uti est zelosa fidei, virtutis asceticæ, regularis disciplinæ propagatio atq; tuitio) & consequenter eâ ausâ, quæcunq; obvia pro imitatione Christi libenter sufferre adversa. Diligere DEUM *excedenter*, est tanto æstu amoris flagrare erga DEUM, & ad ejus claram præsentiam affectuosissimâ, uti appetentiâ, ut mors per quæcunq; dira martyria habeatur in desiderio, & vita præsens in fastidio cùm patientia. Jam ergo qui diligit DEUM *stabiliter*, supra omnia, diligit, eum ex tota anima sua. Vel alias ex tota efficacia animæ suæ. Et qui diligit DEUM *prudenter*, diligit eum ex tota mente sua. Et qui diligit DEUM *dulciter*, diligit eum ex toto corde suo. Et qui diligit DEUM *fortiter*, diligit ex tota fortitudine sua. Et qui diligit DEUM *excedenter*, diligit eum ex omnibus viribus suis.

Nota 4tò. Quod diligere proximum *propter DEUM* est ip-

est ipsum diligere quod sit Imago DEI, quod diligat eum DEUS, quod DEUS præcipiat diligere eum. Diligere proximum *in DEO*: est illi velle ex motu charitatis participationem naturæ Divinæ, per gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Diligere proximum *secundum DEUM*: est nolle illi mala hujus temporis, & velle bona ex charitate, sicut sibi ipsi. Diligere proximum *stabiliter*: est in ejus dilectione persistere, quamvis ingratus sit dilectionis. Diligere proximum *prudenter*, est in ejus dilectione ad ordinem ac modum attendere; nè prius ei velimus bona transitoria, quàm spiritualia ac æterna: & in ejus dilectione charitativa caveamus ex una parte defectum, & ex altera excessum. Diligere proximum *dulciter*: est per charitatem bona & mala illius, ut propria sentire, juxta *Rom*: 12. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus, idipsum invicem sentientes. Diligere proximum *fortiter*, est virtute charitatis malitiam ejus vincere: juxta *Rom*: 12. Noli vinci à malo; sed vince in bono malum, atq; pro ipsius malevolentia, maledicentia, & maleficentia tàm coram DEO, quàm coram hominibus esse illi benevolum, benedicum, & beneficum, juxta illud Christi mandatum. *Matth*. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Diligere proximum *excedenter*: est affectu fraternæ charitatis libenter velle pro eo, ejusq; bonorum temporalium integritate, pati detrimentum bonorum suorum temporalium: pro integritate autem bonorum spiritualium;

alium; pati jacturam ipsius vitæ præsentis, ad Christi Domini nostri imitationem. Qui cùm adhuc inimici essemus. *Rom*: 5. pro nobis mortuus est, ejusq; sanguine sumus DEO reconciliati.

Nota 5tò. Quod in actu contritionis nihil occurrit ad explicandum, omnes enim termini ejus per fidem clarescunt, nisi quod ipse actus distinguendus sit, secundùm distinctionem contritionis, quæ alia est necessitatis de lege s. præcepti, cujus actum mens eliciendo detestatur, abominatur, & fugit peccata, supra omnia detestabilia, abominabilia, & fugibilia confusè apprehensa. Alia est supererogationis, de lege s. consilii, cujus mens eliciendo actum detestatur, abominatur, & fugit peccata, supra omnia detestabilia, abominabilia, & fugibilia distinctè apprehensa. *vide de pœnit: ut virtus est, in Medit: de pecc: confid*: 5. Sunt autem hominibus detestabilia secundùm commune eorum judicium, damna videlicet ægritudines, infamiæ, à dæmonibus obsessiones, mors ignominiosa, infernalis pœna sensûs. Sunt quoq; hominibus abominabilia, cuncta s. sensibus ingrata, uti est visio nauseam provocantium, auditio conviciorum, gustatio amarorum, odoratio fætidorum, sensio intactu vulnerum. Sunt deniq; hominibus fugibilia, cuncta sc. mortem subitò inferentia, uti est draco, leo, diluvium, incendium pestilentia.

Nota 6tò. Quod pactum: Domine DEUS propter te, & supra omnia; quotiescunq; ex intimo animæ sursum agitur, toties dicit in mente sua ad DEUM: Domine DEUS credo credenda, spero

speran-

sperandа, amo amanda, detestor detestanda, abominor abominanda, fugio fugienda, propter te summè veracem, summè fidelem, summè bonum, summè sapientem &c. Et supra omnia: mundanorum s. credibilia, sperabilia, amabilia, detestabilia, abominabilia, & fugibilia, in eo nempè sensu hujusmodi terminorum; prout modo superiùs explicati sunt.

S C A L A II.

Pactorum amoris incomparabilis, incontaminabilis, infatigabilis, inseparabilis, insuperabilis, & insatiabilis.

1mum. Quis mihi tribuat, ut diligam te amore incomparabili.

2dum. Quis mihi tribuat, ut diligam te amore incontaminabili.

3tium. Quis mihi tribuat, ut diligam te amore infatigabili.

4tum. Quis mihi tribuat, ut diligam te amore inseparabili.

5tum. Quis mihi tribuat, ut diligam te amore insuperabili.

6tum. Quis mihi tribuat, ut diligam te amore insatiabili.

Nota 1mò. Quod sicut mundanis hominibus, diligere bona temporalia amore incomparabili (uti sunt honores possessiones, voluptates) idem est; quod incomparabiliter magis ea diligere quàm DEUM, & consequenter in comparatione seu ap-

pretiatione eorum, minùs æstimare jacturam bonorum spiritualium ac æternorum, ipsiusq; legis Divinæ transgressionem, atq; DEI offensam. Ita è diverso animæ alicui devotæ, diligere DEUM amore incomparabili, idem est, quod diligere eum, & sancta ejus mandata ac bona spiritualia & æterna supra omnia, ut potè amabilia & appetibilia. Vel alias incomparabiliter magis quàm quæcunq; bona hujus mundi transitoria: & consequenter jacturam illorum nihil æstimare intuitu DEI, ejusq; divinorum. Hic amor est de lege præcepti, ac de necessitate salutis.

Nota 2dò, Quod animæ alicui devotæ, diligere DEVM amore incontaminabili, idem est, quod diligere DEVM amore depurato, ab amore sc. proprio per internam mortificationem, & ab amore bonorum temporalium per eorum abnegationem: quamvis enim talis amor ita sit moderatus, quod infra DEVM, ejusq; divina contineatur; tamen adhuc verum DEI amorem in nobis conceptum contaminat, remittit, atq; distrahit, juxta *D. Aug*: *Minùs* enim DEVM amat, qui cum DEO aliquid (ex bonis temporalibus) amat. Et *S. Greg*: Tantò quis ab amore DEI disjungitur, quantò inferius delectatur: & citius ad DEVM (practicâ & anagogicâ conversione) convertitur, qui non habet in hoc sæculo unde delectetur. Hic amor est virtutis supererogatoriæ, alias de lege consilij; proprius incipientium vitam spiritualem: qui per vota sua religiosa, à bonis hu-

jus mundi in superiori gradu licite sub DEO amandis & appetendis plenè alienati sunt.

Nota 3tiò. Quod sicut ille dicitur diligere bona terrena amore infatigabili: qui in conquirendis illis nullius ferè laboris molestiam sentit, nullumq; periculum animæ & corporis pertimescit, (heu gemens cum sua in felici sodalitate aliquando dicturus illud *Sap. 5.* Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis.) Ita illa anima devota diligere DEVM amore infatigabili probatur: quæ divino ejus amore succensa, quælibet onera sui status portando ad imitationem Christi sentit sibi esse levia, atq; cum auxilio cælitûs advocato quascunq; faciliter vincit tentationes, ac tandem labores in mortificandis vitijs, & acquirendis virtutibus asceticis, gratos & jucundos habet in eperimento, juxta *D. Aug:* Nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant, sicunt venantium, piscantium, aucupantium, & cæterorum talium: in eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor diligitur. Et *S. Bernard:* Labor meus vix est unius horæ, quod si plùs, non sentio præ amore.

Nota 4tò. Amorem DEI inseperabilem, esse proprium contemplativorum: qui tantæ virtutis est, ut continuis stimulis agitet mentem contemplatoris ad contemplandum dilectum, comprehendendum, & tenendum. Vnde *S. Bernard: in Cant: 3.* Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. Sic ait: Quis te non teneat Domine JESU continua svavi rememoratione, dul-

cis

cis contemplationis intuitione, & intimi amoris affectione: qui tenentem te spe fortificas, perfectione decoras, perseverantia conducis? ego autem non dimittam te, nisi benedixeris mihi, & nunquam dimittam te, quia non benedicis nisi tenentem te.

Nota 5tò. Quod sicut ille dicitur diligere bona transitoria amore insuperabili, qui ab eorum conquisitione (per fas ut ajunt & nefas) minimè avocari potest, tùm justorum admonitionibus, tùm divinis correptionibus, tùm timore judiciorum DEI, tùm horrore pænarum infernalium. Sic anima devota probatur diligere DEUM amore insuperabili, quæ nullis unquam persecutionibus tyrannicis, & prosperitatibus retrahi possit à publica coram toto mundo Christi confessione, atq; perfecta ejus imitatione, ac intima amatione. Hoc amore diligebant DEVM, qui modo in gloria cælesti decantant illud *Psal*: 45. Transivimus (non succumbentes) per ignem & aquam (adversitatum & prosperitatum) & eduxisti nos in refrigerium.

Nota 6tò. Quod sicut ille dicitur diligere bona terrena amore insatiabili, qui quo plus eis abundat, eo magis augeri illa sibi concupiscit, juxta illud quod vulgo dicitur: crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit, (hinc de reliquis similiter argumentari licet.) Ita anima devota probatur diligere DEVM amore insatiabili, quæ quo plùs inflammatur amore divino, eo majori ac majori nititur appetentia plùs eum diligendi, & proximos ad eundem amandum magis ac magis provocan

vocandi, atq; in ſtudiis vitæ activæ & contemplativæ amplius ac amplius proficiendi, ac tandem quæcunq; adverſa pro fide vel juſtitia ad majorem ejus gloriam, gaudenter iterumq; gaudenter ſufferendi, juxta *Act*: 5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, &c.

SCALA III.

Pactorum adorationis, gratiarum actionis, oblationis, laudis, & petionis.

1mum. Domine DEUS te adoro. *2dum*. Domine DEUS tibi gratias ago. *3tium*. Domine DEUS tibi offero. *4tum*. Domine DEUS te laudo. *5tum*. Domine DEUS à te peto.

Nota 1mò. Pactum 1mum adorationis; hunc habere ſenſum: Domine DEUS quotieſcunq; præſentem actum adorationis elicuero: toties te DEUM Unum in TRINITATE perſonarum, & Trinum in Vnitate ſubſtantiæ, prono animo corporeque cernuo adorabo ac venerabor, prout nunc adoro ac veneror, nec non confiteor Te eſſe Dominum meum Creatorem & Salvatorem ſummo ſemper honore ac reverentia dignum, cui etiam ſubmitto me humillimè tanquã ſupremæ authoritati ac infinitæ Majeſtati ad cuſtodiendam legem tuorum mandatorum in æternum. Ac tandem omnes adorationes à Chriſti humanitate, B. M. V. & à cunctis beatorum Spirituum Ordinibus, & ab Vniverſis Sanctis tùm triumphantibus, tùm militantibus Majeſtati tuæ redditas, & uſq; in æternum redden-

das

das, reddo humillimè & affectuosissimè una cum his omnibus recensitis.

Nota 2dò. Pactum gratiarum actionis hunc habere sensum: Domine DEUS, quotiescunq; actum gratiarum actionis elicuero, toties tibi DEO, supplici ac intimo affectu summas gratias agam, prout & ago, pro universis beneficijs collatis & conferendis tam *sc.* communibus & specialibus, quàm innocentiæ & benevolentiæ, (de quibus in recollect: mentio & in medit: benefic: DEI consid: 2.) toties item gratias ago pro beneficijs cunctis Fratribus hujus Conventûs. Provinciæ atq; Ordinis; ac in universum omnibus cujuscunq; statûs justis & injustis, fidelibus & infidelibus collatis & conferendis. Toties deniq; gratias ago, pro cunctis beneficijs omnibus beatorum Spirituum Ordinibus, atq; omnibus Sanctis in cœlo triumphantibus, ac B. VIRGINI M. & Sacrosanctæ Humanitati à Verbo Tuo Divino assumptæ collatis, & in tota æternitate conferendis.

Nota 3tiò. Pacti oblationis esse sensum: Quotiescunq; hunc actum elicuero Domine DEUS, toties intimo affectu offeram, & nunc offero tibi Christo Domino meo, simulq; DEO Patri, & Spiritui Sancto pro universis beneficijs mihi collatis, & ex divina promissione tua conferendis, omnium justorum (qui sunt, fuerunt, & erunt) ac etiam mei ipsius Sacrosancta Missarum Sacrificia, orationes mentales & vocales, jejunia, actus externarum & internarum mortificationum, eleëmosynas piorum operum tàm corporalium quàm spiritua-

lium: cuncta studia & exercitia spiritualis vitæ: martyria, & quæcunq; adversa pro fide aut justitia tolerata, & actus indifferentes in tui Nominis gloriam majorem referibiles. Toties quoq; tibî offero in æternum, merita tuæ Sanctissimæ Humanitatis Beatissimæ V. MARIÆ Matris tuæ, nec non merita omnium Electorum tuorum, ac univer sæ cælestis curiæ.

Nota 4tò. Pacti 4ti sensum esse: Domine DEUS hunc actum laudis quotiescunq; elicuero, toties te DEUM meum, & Filium tuum I.C. in æternũ affectuosissimè laudabo, prout & nunc laudo laudibus omnium cælestium beatorum Spirituum, atq; cunctorum triumphantis & militantis Ecclesiæ justorum, ex ejus perfectionibus tùm Divinis, uti sunt Omnipotentia infinita bonitas & misericordia, summè summa sapientia & justitia &c. tùm humanis; uti sunt profunda humilitas atq; obeditia, suprema paupertas atq; castitas, stupenda patientia &c.

Nota 5tò. Sensum Pacti petitionis esse hunc Domine DEUS quotiescunq; hunc actum elicuero, toties Te DEUM suppliciter orabo, & nunc oro *imò.* quidem, ut cuncta mea peccata digneris mihi dimittere, atq; jugiter me facias illa habere in odio perpetuo, legem autem Sanctorum mandatorum tuorum in æterna dilectione & observatione. *2dò.* Ut feras mihi semper opportunè auxilium efficax contra tentationes carnis, mundi, diaboli & hominis improbi, ad malum verbo & exemplo inducentis; nec non etiam auxilieris mihi

in-

in ſubjugandis ſpiritui paſſionibus, in mortificando ac moderando proprio amore, in abnegandâ propria voluntate cum proprio judicio. 3tiò. Ut augeas mihi fidem, ſpem, & charitatem, donesq; mihi gratiam ad proficiendum in obedientia, paupertate, caſtitate, humilitate, patientia, cæteriſq; virtutibus aſceticis. 4tò. Ut concedas mihi ſpiritum devotionis, donum orationis, & gratiam ſanctæ operationis ad continuandum ſtudium vitæ activæ & contemplativæ. 5tò. Ut conferas mihi gratiam amandi meam vocationem, atq; meos Fratres & Superiores intimè ſemper diligendi & honorandi. 6tò. Ut donum finalis perſeverentiæ in cunctis operibus juſtitiæ inchoatis, vitamq; æternam mihi largiaris. 7mò. Ut hæc omnia recenſita, ſingulis fraternitate aut profeſſione & charitate mihi conjunctis præſtare digneris. Toties item DEUM ſuppliciter oro. 1mò. Ut omnes peccatores & quoſcunq; infideles â via iniquitatis ad Te convertas, & viâ juſtitiæ deinceps incedere facias. 2dò. Ut omnem populum chriſtianum defendas ſemper ab oppreſſione impiorum, & ſalves ab inſidiis dæmoniorum, juxta Tui Nominis magnitudinem. 3tiò. Ut omnes infideles, Hæreticos, Schiſmaticos, Turcas, & quoſcunq; Eccleſiæ tuæ inimicos deprimas, cōfundas, & humilies, ne prævaleant contra tuos Orthodoxos. 4tò. Ut facias inter Principes Chriſtianos concordiam & pacem, pro communi bono totius Chriſtianitatis. 5tò. Ut Eccleſiam tuam S. protegas, defendas, exaltes, dilates ad propagandam Nominis tui majorem gloriam.

riam. *6tò* Ut tuum in terris vicarium, Summum alias Pontificem cum suis Cardinalibus & Episcopis ac omnibus Spiritualibus cujuscunq; Statûs & Ordinis in tua paterna directione & protectione habere digneris. *7mò* Ut Benefactoribus nostris cuncta pro nomine Tuo beneficia nobis præstita, tàm in præsenti, quàm in futuro sæculo copiosè retribuas, & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concedas. Amen.

SCALA IV.

Pactorum Resignationis indifferentiæ, Conformitatis, Vnionis, & Transformationis.

1mum. Omnia volo, nihil volo, in toto corde meo in æternum.

2dum. Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum.

3tium. O JESU, conforma me totum tibi.

4tum. O JESU, uni me tecum inseparabiliter

5tum. O JESU, transforma me totum in te.

Nota 1mò. Quod duo sunt vestigia Christi, quibus eum insequi possumus. Mala sc. pati, & mala non operari. Bona agere, & bona non expectare. Unde sensus est, quod quotiescunq; hoc pactum elicuero, toties animo resignatissimo omnia mala & adversa hujus futuriq; sæculi vellem, prout & nunc volo ad majorem DEI gloriam pati, (DEO sc. idipsum volente) & in æternum nihil mali facere volo, quod lege tua Divinâ prohibitum esse cognosco. Toties item pro imitatione Christi, ac

ædificatione proximi: omnia bona cum cælesti auxilio agere volo tam præcepti quàm consilij, ac inde nihil boni seu præmii temporalis & æterni expectare volo, præter continuum gratiæ DEI augmentum & ipsum amorem ejus.

Nota 2dò. Pacti 2di sensum esse hunc: Quotiescunq; hoc pactum elicuero, toties propter majorem & majorem conciliandam gratiam DEI, indifferentem ac paratum me exhibebo, & nunc exhibeo Divino beneplacito; ad ferendam animo parato atq; resignato & grato quamcunq; ordinationem cælitùs mihi obvenientem; ita ut æquè parato sim animo vivere ac mori, pati quãcunq; infirmitatem ad Christi imitationem; ac potiri sanitate propter proximi instructionem ac ædificationem, ferre patienter adversa atq; persecutiones propter mea peccata: ac prospeta humiliter acceptare in gloriam DEI referenda; subire infamiam absq; data causa; ac potiri bona fama propter opera virtuosa, pati despectionem, contumeliam, & dishonorationem, propter meum multiplicem defectum; ac hominum consequi gratiam, laudem, & honorationem ob illorum spirituale emolumentum: libenter obedire & subesse severo superiori, ac discreto & humano, libenter habitare cum aliquibus mihi contrariis, ac cum gratis, specialiq; amicitia conjunctis. &c.

Nota 3tiò. Pacti 3tij sensum esse hunc: Quotiescunq; hoc pactum elicuero, toties summoperè desiderabo prout & desidero Christo Domino Salvatori meo conformis fieri, & in fugiendis hujus

mundi prosperitatibus, & in sufferendis quibuscunquè adversitatibus.

Nota 4tò. Pacti 4ti sensum esse hunc: Quotiescunq; hoc pactum elicuero, toties affectuosissimè cupiam, & nunc cupio, unum fieri cum Christo per charitatem amoris unitivi, ad instar ipsius Christi; qui etiam atq; etiam desiderat eandem animam unum fieri cum semeipso, juxta *Ioan:* 15. Manete in me, & ego in vobis. Unde & 1. *Ioann:* 4. DEUS charitas est, & qui manet (cum fratribus seu proximis suis) in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo. Jam ergo anima unum fit cum Christo, ubi manet in ipso, & ipse in ea, quod fieri potest duobus modis. *1mò.* modo manet Christus in anima sanctificativè, dùm eam continuò magis ac magis velut templum suum gratiâ, cæterisq; donis cælestibus consecrat, ac sanctificat, juxta 1. *Cor:* 3. Templum DEI Sanctum est, quod estis vos. Anima verò manet in Christo integrativè; dùm ei adhærendo integrat corpus ejus mysticum, cujus ipse est caput, juxta 1 *Cor:* 6. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? *2dò* modo manet Christus in anima formativè: dùm & ipse in ea natus formatur seu accrescit ac maturescit (juxta *Galat:* 4. Donec formetur Christus in vobis) ad formandas ipsi perfectas, ac Sanctas cogitationes, locutiones, & actiones, juxta formam perfectarum ac Sanctarum suarum cogitationum, locutionum, & actionum: ut tandem dicat illud *Galat:* 2. Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus. Anima vero manet in Christo ter-

minativè, dùm ipſamet ſuas cogitationes, locutiones & actiones per Chriſtum formatas; in eundem Chriſtum dirigit ac terminat, tanquàm in finem ultimum: magis ipſi attendens, quàm ſuomet corpori, juxta illud: Anima magis eſt ibi ubi amat, quàm ubi animat, quod confirmatur *Matth*: 6. Ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum.

Nota 5tò. Pacti 5ti ſenſum eſſe hunc: Quotieſcunq; hoc pactum elicuero, toties affectuoſiſſimè cupiam, & nunc cupio ſecundùm meum eſſe actuale tranſmutari in eſſe Chriſti, & jam non mea, ſed Chriſti vita vivere; ita ut idem ſit cum Chriſto meum velle & nolle, idem ſentire & diſſentire, idem experiri & pati, eundem deniq; affectum habere, & in illo proficere, ac maximè in affectu contemptus mei, & dilectionis inimicorum.

S C A L A V.

Pactorum amoris Divinæ juſtitiæ, potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, & Miſericordiæ.

1mum. Amo tuam juſtitiam. *2dum.* Amo tuam potentiam. *3tium.* Amo tuam ſapientiam. *4tum.* Amo tuam bonitatem. *5tum.* Amo tuam miſericordiam.

Nota 1mo. Senſum primi Pacti eſſe hunc: Domine DEUS, quotieſcunq; hunc actum amoris Tuæ juſtitiæ elicuero, toties multum mihi complacebo, prout & complaceo in Tua Divina juſtitia per quàm caſtigor paternè & charitativè pro meis, peccatis in præſenti vita varijs infirmitatibus, ad-

versitatibus & persecutionibus, ut ampliùs in futuro sæculo rigorosè non puniar.

Nota 2do. Sensum 2di Pacti esse hunc: Quotiescunq; hoc pactum elicuero, toties multum mihi complacebo, uti & complaceo in potentia DEI, per quàm non solùm cuncta benè & perfectè condidit; non solùm Filium suum Salvatorem nostrum omnia tormenta mortis vincere fecit: sed & ego per ejus auxilia cælitùs advocata potens efficior ad vincendas quaslibet tentationes, & ad sufferendas propter imitationem Christi quascunq; adversitates & persecutiones.

Nota 3tiò. Sensum 3tij Pacti esse hunc: Quotiescunq; elicuero hoc pactum, toties mihi complacebo, prout & complaceo in Sapientia DEI: per quam sicut Christus scivit reprobare malum, & eligere bonum; ita anima per ipsam edocta, scit eligere, & cùm gaudio sufferre cuncta hujus mundi adversa: tanquàm proximas occasiones exercendarum virtutum, & reprobare prospera velut semina omnium peccatorum, ad Christi Domini Salvatoris nostri imitationem.

Nota 4tò. Sensum 4ti Pacti esse hunc: Quotiescunq; elicuero hoc pactum, toties mihi affectuosissimè complacebo, uti & complaceo in tua bonitate: quâ semper antecedenter te habes ad conversionem & utilitatem inimicorum tuorum. Unde ob imitationem tui ego quoq; peccator maximus toties intendo ac volo omnes meos adversarios prævenire mea benignitate & amore cordis videlicet, oris, & operis.

Nona

Nota 5tò. Sensum 5ti Pacti esse hunc: Domine DEVS quotiescunquè hoc pactum elicuero, toties multùm complacebo mihi, & nunc complaceo in miserationibus tuis, secundùm quas dissimulas ac dimittis peccata hominum propter pænitentiam. *Item* complacebo in misericordia Christi Filij tui Domini mei, quâ motus pro nobis mortem subeundo, sanguinem suum pretiosum cum ferventi ac efficaci oratione pro suis crucifixoribus ac inimicis Tibi offerre dignatus est. Unde quoq; ego indignus famulus tuus ad imitationem tuam ac Redemptoris mei omnia mala quibus me afficiunt mei adversarij Tibi pro satisfactione peccatorum eorum offero in perpetuum. Toties *item*, quantum ex me est cedens juri meo, omnibus do licentiam mihi maledicendi, detrahendi, & quavis injuria me afficiendi quandocunq; & quotiescunq; illis placuerit; qua de re, tàm coram te DEO meo, quàm coram hominibus nullam unquam rationem mihi reddere tenebuntur.

SCALA VI.

Pactorum amoris cælesti svavitate spiritum reficientis, saturantis, inebriantis, securum facientis, quietum reddentis.

1mum. Quando suavitate amoris tui reficiar?
2dum. Quàndo suavitate amoris tui saturabor?
3tium. Quando svavitate amoris tui inebriabor?
4tum. Quando svavitate amoris tui inebriatus securus efficiar?

5tum.

3tum. Quando ſuavitate amoris tui inebriatus ſecure quieſcam?

Nota imò. Quod ſicut amor bonorum temporalium habet ſibi annexam ſuavitatem ſeu delectationem ſenſualem, per quam dilatatur & amplificatur, Ita amor DEI ac divinorum neceſſe eſt ut habeat ſuavitatem ſpiritualem, per quam promoveatur ac perficiatur. Hæc autem ſuavitas alia eſt *Communis*, quæ eſt quædam hilaritas mentis, nata ex quieta carnis cum ſpiritu, & ſpiritus cum DEO concordia, & naturalium animæ potentiarum donis gratuitis decoratione Vel idem eſt, quod gaudium Spiritus Sancti ex bona ad DEUM confidentia, & bonæ conſcientiæ teſtimonio proveniens: quod alias reddit hominem omnibus benevolum, ac paratum ad omnia agenda & ſufferenda pro DEO, & promptum ad cuncta quæ ſunt DEI promovenda. De hac ſuavitate eſt illud *Pſal:* 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quàm abſcondiſti timentibus te. Et 2. *Cor:* 1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Et *S. Aug*: Tu qui veram requiem quæ poſt hanc vitam Chriſtianis promittitur quæris, etiam inter amariſſimas vitæ hujus moleſtias ſuavem guſtabis, ſi ejus qui eam promiſit præcepta dilexeris: cito enim ſenties dulciores eſſe fructus juſtitiæ, quàm iniquitatis; & verius atq; jucundius gaudebis de bona conſcientia inter moleſtias, quàm de mala inter delicias. Alia eſt *ſpecialis*, quæ idem eſt, ac gaudium quoddam ex actuali conſolatione ſpiritus Divini proveniens; quo anima vitæ internæ addi-

cta gaudet in DEO de illius bonitate, ac cæteris perfectionibus. Hæc verò consolatio cælestis ideò animæ rationali non rarò divinitùs conceditur; ut inde lassata rebellionibus sensualitatis, & contradictionibus rationis inferioris, & oppugnationibus variarum tentationùm, ac fatigata laboribus exercitiorum spiritualium, & sufferentiis adversitatum, refectionem & corroborationem spiritualem habeat: ac postea promptior & devotior evadat puriùs vivendo, & in DEI amore ac pietate magis proficiendo. De hac suavitate est illud *Psal*: *44*. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te DEUS, DEUS tuus oleo lætitiæ (specialis) præ consortibus tuis. Et *Psal*: *99*. Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus. Et *Sap*: *12*. O quam suavis est Domine Spiritus tuus in omnibus! Inde collige sensum præsentis Pacti esse hunc: Domine DEUS, quotiescunq; actum amoris reficientis elicuero, præsertim lassatus internis & externis tentationibus, atq; fatigatus laboribus exercitiorum spiritualium, nec non constitutus in desolatione tua Divina, toties affectuosissimè cupiam, & nunc cupio cælesti suavitate refici, vel alias consolari, exhilarariq; ut inde reassumam vires ad ferventiùs resistendum malis, insistendum bonis, & sufferendum adversitates ad majorem Tui gloriam & imitationem. Ad hanc refectionem invitat suos sectatores Christus *Matth*: *11*. Venite ad me omnes (elevatis mentibus) qui laboratis (in mortificandis passionibus, & acquirendis virtutibus)

& onc.

& onerati estis (adversitatibus, tentationibus, & persecutionibus) & ego reficiam vos.

Nota 2dò. Sensum Pacti 2di esse hunc: Quotiescunq; hoc pactum eliguero, toties affectuosissimè cupiam, & nunc cupio sic suavitate amoris tui saturari (quod habeo in promissione *Matth:* 5. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur) ut in comparatione donorum tuorum spiritualium ac cælestium cuncta solatia mundana contemnam, fastidiam, & ut stercora reputem: juxta *Prov:* 27. Anima saturata (intima svaviq; DEI ac Divinorum amatione) calcabit (id est contemnet terrenæ cupiditatis) favum.

Nota 3tiò. Quod ebrietas propriè sumpta, alia est *plena*, quæ significat excessum in potando causâ Voluptatis, usquè ad violentam privationem usus rationis, de qua est 1. *Cor:* 6. Neq; ebriosi regnum DEI possidebunt. Alia *semiplena*, quæ significat excessum in potando, nonnisi ad exhilaritatem animi. Hac ebrietate ebrij fuerunt fratres Joseph. qui *Gen.* 43. biberunt, & inebriati sunt cum eo. Ebrietas impropriè sumpta vel alias Metaphorica; significat vehementem commotionem passionum; mentis videlicet perturbationem, aut etiam ipsam excæcationem: Hac ebrietate dicitur fuisse ebria mulier illa Babilonica (*Apoc:* 17.) de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum JESU & omnes qui habitant terram de vino prostitutionis ejus. Ebrietas *spiritualis*, quæ etiam sub metaphorica continetur, est bona & sancta, ad quam invitamur à sponso cælesti *Cant:* 4. Comedite amici & bibite,

&

& inebriamini charissimi. Et *Ioan*: 7. Si quis sitit, veniat ad me, & (usquè ad ebrietatem) bibat. Quo autem potu spiritualiter inebriari debeamus, docemur à S. Paulo *Ephes*: 5 Nolite inebriari vino, in quo est luxoria; sed implemini Spiritu S. Hoc itaq; potu cælesti in die Pentecostes impleti Apostoli, multis alias musto madere videbantur. Unde canit de illis Ecclesia; linguis loquuntur omnium, turbæ pavent gentilium, musto madere deputant, quos Spiritus repleverat. Nàm sicut forti aliquo potu inebriati, dicunt & agunt multa contra modum in sobrietate usitatum. Ita qui aliquando vino suavitatis cælestis per Spiritum S. satis abundè implentur, multa pro majori gloria DEI, & imitatione Christi operantur, loquuntur, & patiuntur, cum fervore inusitato; quod apparet in discipulis Domini, de quibus *Actor*: 5, Ibant Apostoli gaudentes à conspectu &c. Et in S. Paulo, qui dicebat, *Galat*: 6. Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri JESU Christi per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Hinc collige 3tij Pacti sensum hunc esse: Domine DEUS, quotiescunq; hoc pactum elicuero, toties affectuosissimè cupiam, prout & nunc cupio suavitate cælesti divinitùs tantoperè impleri; ut inde præ amore imitationis Christi, non modo nullas timeam imminentes pænas, adversitates, persecutiones, contumelias, dolores, & infirmitates; verùm etiam cum gaudio illas expectem; ac in ipsis constitutus summoperè glorier.

Nota 4tò. Pacti 4ti hunc esse sensum quoties-

cunq;

cunq; hoc pactum elicuero, toties ardentissimè cupiam, prout & nunc cupio abundantiâ cælestis suavitatis, ac ipsius Spiritûs Sancti instinctu securus effici, de mutua Christi Domini eaq; consummata & stabili, atq; perpetua dilectione & amicitia indissolubili, juxta sponsionem factam *Prov:* 8. Ego diligentes me diligo, & juxta S. Paulum *Rom:* 8. Ipse enim Spiritus S. testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij DEI.

Nota 5tò. Pacti 5ti hunc esse sensum: Quotiescunq; hoc pactum elicuero, toties ardentissimè cupiam, & nunc cupio plenè, securè ac perpetuò quiescere in mutuo eoq; consummato, ac unitivo Tui amore; ita ut cum plena perfectaq; confidentia, possim illud dicere cum S. Paulo: *Rom:* 8. Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio. an angustia, an fames, &c.

SCALA VII.

Pactorum amoris vulnerantis ligantis, languorem efficientis, mortem inferentis.

1mum, Quando amore amoris tui inflammabor?
2dum. Quando amore amoris tui vulnerabor?
3tium. Quando amore amoris tui ligabor,
4tum. Quando amore amoris tui languescam?
5tum. Quando amore amoris tui moriar?

Nota 1mò. Quod amor violentus tunc vulnerare dicitur amantes, quando illos commovet ac impellit ad amandum ipsa sua nonnisi amata. Hoc telo amoris ac devotionis sponsæ vulneratum se sponsus fatetur dicens *Cant:* 4. Vulnerasti cor me-

um.

um ſoror mea ſponſa, *id eſt* ô anima devota ſic amore tuo concitaſti, permoviſti, induxiſti; ac inflammaſti ſpiritum meum, ut omninò te reamare cogar, ac unum te mecum in hoc meo amore efficere neceſſe habeam. Eodem amoris telo ſponſa ſe vulneratam eſſe confitetur, dicens *Cant: 2. juxta 70. interpretes.* Vulnerata charitate ego ſum, *id eſt* cor meum totum ſic ad amorem tui exceſſivum dilecte mi, in contemplatione *ſc.* tuarum perfectionum, in me ſentio eſſe permotum, irritatum, & inflammatum, ac præ magno tui deſiderio apertum & dilatatum, quaſi verè ac propriè realiterq; tanta violentia vulneratum, ac minutatim inciſum ſit. *Item.* Quod ſicut homo mundanus aliquando læſus à ſuo adverſario ſivè in bonis fortunæ, ſivè in bonis corporis, ſivè in bonis famæ. in tantum telo iracundiæ ac odij vulneratur ac permovetur contra ſe lædentem, ut durante illius vulneris dolore, nihil aliud niſi malum de ſuo inimico audit, cogitat & loquitur. *Et è contra*: Sicut idem homo carnalis ac mundanus, telo amoris amati ſui vulneratus ſeu concitatus, nihil aliud niſi bonum de amato ſuo audit cogitat, & loquitur, cum illoq; præſente delectabiliter converſatur. Ita anima accepto vulnere cæleſtis amoris, perpetuo agitur odio contra peccatum, & nulla ampliùs auditione, cogitatione, & collocutione recreatur & conſolatur, niſi illa fuerit, de ſui dilecti gloria, potentia, ſapientia, bonitate, pulchritudine & ſimilibus, ad cujus præſentiam ſemper ſuſpirat; ſemper anhelat, ſemper rapi deſiderat; eſt enim hoc vulnus tàm in-

timum,

timum, ut illud anima dissimulare non possit. *Item* sicut recenter vulneratus in corpore, clamoribus atq; suspiriis àërem replet, alia incommoda minimè sentiens. Ita amore in anima vulneratus, adeò ab amore consanguineorum & amicorum, ac omnium rerum temporalium avertitur, ut eorum incommodis & adversitatibus, quas antea proprias reputabat, præ vehementia amoris divini, quasi ad se non pertinerent, minimè immutetur. *Inde* collige sensum istius 2di Pacti esse hunc: Quotiescunq; hoc pactum elicuero, toties affectuosissimè cupiam, & nunc cupio, sic telo amoris tui vulnerari seu vehementer concitari, ut exinde prout alienatus & abstractus ab inferioribus, nihil aliud cogitem, audiam, atq; loquar, nisi de perfectionibus tuis Divinis & humanis; ad cujus præsentiam jucundissimam unionemq; eminentiorem ac evidentiorem adspirare non desistam.

Nota 2dò. Quod amor cælestis intimus habet suos funiculos, suaq; vincula: quibus amantem ligare & vincire potest, ac planè in perpetuum obsequium mancipare, juxta *Ose: 11.* In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis. Hujusmodi autem funiculi atq; vincula sunt dona DEI, ab anima amante alta mente perpensata dona videlicet naturalia, gratuita, & gloriæ cælestis æterna: quibus amans ita ligatur, ut in perfectiorem amorem amati sui cælestis procedat, quàm dùm esset vulnerata. Plùs enim est ligari, quàm vulnerari, ut ait *Richard: de grad: violen: charit:* *Hinc* collige sensum 3tij Pacti esse hunc. Quotiescunq; hoc pa-

ctum

ctum elicuero, toties affectuosissimè cupiam, prout nunc cupio sic vinculo charitatis cælestis constringi; ut omninò totus sim amati, & nullus mihi. Totus videlicet amati, quo ad fugiendum fugienda, insequendum insequenda, agendum agenda, sufferendum sufferenda, propter Tui imitationem ac majorem gloriam. Nullus autem mihi quo ad propriûm amorem, propriam voluntatem, propriam judicium.

Nota 3tiò. Quod spiritualis languor, non aliud est apud Ascetas, quàm infirmatio ac debilitatio motuum sensualitatis, ex nimia intensione & elevatione proveniens divini amoris, quo mens in DEUM extenditur. Unde glossa dicit (super illud *Gen:* 32. Angelus Domini tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit,) Crescente virtute mentis, decrescit fortitudo corporis. *Item* quod amor languorem asceticum in anima efficiens ille dicitur, qui sic animam DEO inhærere facit, ut ad cuncta visibilia ac transitoria quodammodo insensibilis ac inidonea reddatur. Unde *Glossa loco citato.* Quantò ad amorem sponsi se accendit mens, tantò ab amore temporalium languescit. Et supra illud *Cant:* 5. Adjuro vos filiæ Jerusalem &c. sic ait: Quia præ amoris magnitudine omnia temporalia sunt mihi in fastidio. *Item.* Amor languidum faciens, ille dicitur: quo sic anima in DEUM excedit, ut præsentem vitam continuò habeat aspernabilem, & mortem omninò desiderabilem. Unde iterum *Glossa supra verba Cant:* 5. Quia amore langveo, *sic ait:* Quia præ amoris magnitudine

mors mihi est in desiderio, etiam per dira tormenta; & vita in fastidio, cum patientia. *Item.* Languor animæ, seu amor languidam faciens animam, idem est Mysticis, quod amoris æstus internam quandam generans impatientiam, quæ rationi morem gerere & obsequi non vult, donec re amata potiatur. *Vel* idem est, quod fervor desiderii & avida, inhians, semperq; famelica appetentia unionis passivæ cum DEO, ad quam se sentit anima divinitus vulnere mystico commotam ac invitatam esse, illam tamen consequi non potest, non tàm ex propria quàm ex DEI causa. Unde collige sensum Pacti 4ti esse hunc. Quotiescunq; hoc pactum elicuero, toties affectuosissimè cupiam & nunc cupio in talem gradum amoris cælestis promoveri, qui ustione sua faciat me sensualitatis vitiosos motus minimè sentire: & prospera quæ mundanis multùm sapiunt, faciat mihi (velut infirmo cibaria) insipida & amara valde; adversa verò, quæ mundani summè aversantur, faciat mihi omnimodè sapida atq; jucunda.

Nota 4tò. Quod præter mortem in communibus acceptionibus, scilicet *Naturalem*, quæ est separatio animæ à corpore. *Moralem Philosophicam*, quæ est mortificatio passionum, & contemptus corporearum illecebrarum amore honestatis. *Civilem*, quæ est resignatio dignitatis, vel depositio ab ea *Culpa mortalis*: quæ privat hominem gratiâ DEI. Et *Gehenna*, id est damnationis æternæ: detur. *Mors spiritualis*, quam optat quisquè suæ salutis amator, dicēs illud in profundo corde suo sepissimè.

Num:

Num: 23. Moriatur anima mea morte justorum. Hæc autem mors, vel est communis, vel specialis. *Communis* illa est, quâ moriuntur omnes justi peccatis suis, propter DEI præceptionem. De hac morte illud est *Eph*: 2. Et vos convivificavit cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris. *Specialis* mors spiritualium alia est *Ascetica* alia *Mystica*: Ascetica morte moriuntur, qui libera voluntate hujus mundi possessionibus, voluptatibus & honoribus abrenuntiantes, continuò mortificationi externæ & internæ, ac imitationi Christi insistunt, juxta illud *Galat*: 5. Qui sunt Christi (imitatores veri) carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Hac morte mortuus fuerat S. Paulus cùm diceret: *Galat*: 6. Mihi mundus crucifixus (id est mortuus) est, & ego (mortuus sum) mundo, Mystica mors quadrupliciter accidit, *vel nimirum* quando cursus vitæ hujus ac munus expletur modo extraordinario: quod fit, cum anima non præ multitudine naturalis infirmitatis ac doloris, sed præ magnitudine ac intensione Divini amoris à corpore separatur. Et talis fuit mors Beatissimæ V. MARIÆ Matris DEI, & aliquorum Sanctorum,. *Vel etiam*, quando anima omninò separatur ab omnibus, non solùm quæ peccati aliquam ei præstant occasionem, verùm & quæ obicem ponunt ipsius supremæ perfectionis obtinendæ, aut quocunq; modo inpediunt eam nè DEO intimè conjungatur. *Vt sunt* irretenbilia & absoluta Mysticorum, & ipsa connaturalis animæ ac ordinaria activitas. *Vel quoquè* quando anima ingreditur altissi-

tissimam contemplationem, ubi perfectissimè inhærens DEO per unitivum amorem, ipsam incurrit exstasim. *Vel tandem*, quando anima ab jucunda DEI præsentia per spiritualem desolationem separatur. De hac morte *Ioannes Taul: in Instit: cap: 4.* Sic ait. Est alia quædam mors spiritualis, quæ est formæ nescia, illa afflictio, quæ neq; viam, neq; fundum, neq; modum habet. *Nota item*, quod amor defectum afferens, seu defectio spiritualium aliud est asceticis, & aliud Mysticis. *Ascetica defectio animæ* significat effectum quemdam amoris Divini, qui eo usq; crescit, ut abstrahat mentem ab imaginibus vanis & inutilibus mundanorum, & eam deficere faciat ac transformet in imagines divinorum. Et sic præsens defectio, idem est, quod transformatio activa, ac unio sobria. Unde est illud *Psal: 118.* Defecit (id est transformata est) in salutare tuum anima mea. *Mystica defectio*, significat effectum quemdam amoris Divini, qui eousq; crescit, ut mentem alienet à propria ejus actuitate ac operatione, transformando eam in activitatem quasi divinam, quæ ipsi ad mirabiliter agendum in exstasi aliquando cælitùs infunditur. Ubi anima ad instar aëris incorporati radio solari, quadam admirabili illustratur claritate super cælesti: & ad instar ferri exardentis quodam fervet igne amoris DEI ineffabilis: & ad instar pomi saccaro conditi, inexplicabilem quandam imbibit sempiternalem dulcedinem. Et sic defectio mystica, idem est quod transformatio ac unio passiva seu exstatica. Unde est illud

Psalm:

Psalm: 83. Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Super quod *D. Greg: l. 8. Moral: c. 19.* Sic ait: Concupiſcunt, ſed non deficiunt, qui jam quidem cæleſtia appetunt, ſed adhuc tamen à terrenorum delectationibus minimè laſſantur. Concupiſcit verò & in atria DEI deficit, qui cùm æterna deſiderat, in amore temporalium non perdurat. *Nota tandem*, quod libertas ſpiritus, alia eſt communis, alia ſpecialis. *Communis* libertas illa eſt, quâ omnis juſtus liber eſt à vinculis peccatorum. Et hæc eſt, de qua Apoſtolus ait *2. Cor: 5.* Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. *Specialis.* libertas ſpiritus illa eſt, quâ vir ſpiritualis liber eſt ab omnibus quæ ejus contemplationem impedire poſſunt. Et hæc libertas, vel *Aſcetica* vel *Myſtica* eſt. Aſceticam libertatem habet ſpiritus, quem in contemplatione ordinaria non impedit culpa mordens (*id eſt*, inanis timor ac vana ſuſpicio culpæ) cura pungens, ſenſus egens, & phantaſmata irruentia: Myſtica verò libertate ſpiritus gaudet, cùm liber eſt ab irretentibilibus & abſolutis, contemplationi extraordinariæ inſiſtens. *Hinc* collige ſenſum Pacti 5ti eſſe hunc: Quotieſcunq; hoc pactum elicuero, toties affectuoſiſſimè deſiderabo, prout & nunc deſidero, ſic amore amoris tui ſauciari, transfigi, penetrari & inflammari; ut omni motuum ſenſualitatis meæ exuſta & emortua inordinatione, totus in te deficiens, perpetua ſpiritus mei gaudeam libertate. Amen.



SCALA VIII:

Pactorum amoris semper mobilis, infinibilis, semper calidi, semper acuti, & super fervidi.

1mum. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore semper mobili.

2dum. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore infinibili.

3tium. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore semper calido.

4tum. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore semper acuto.

5tum. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore semper fervido.

Nota 1mò. Quod sicut ignis inventa materia, in quam agat; mox in eam tendit, absq; ulla suæ motionis seu actionis intermissione: ita mentes beatæ, dum divinas intuentur perfectiones, inveniunt quandam materiam, in quam omni sua affectione amorisq; actione absq; ulla intermissione ac interruptione semper moveantur ac tendant. *Inde* collige sensum 1mi Pacti esse hunc. Domine DEUS quotiescunq; actum amoris semper mobilis elicuero: toties affectuosissimè cupiam, & nunc cupio dissolvi & esse Tecum, ac semper in Te ferri intentione ac mobilitate amoris ardentissima, irremissibili, & in aliud amabile ac desiderabile indeclinabili.

Nota 2dò. Quod sicut ignis non habet termi-

num

num in agendo, dùm modo aptam inveniat materiam in quam agat, ſed ſemper accreſcit, ac inceſſabili motione ſua, in eammet tendit : ita mentes beatæ, contemplantes DEUM, ac ejus infinitas perfectiones, non habent terminum in amando DEUM, in quem ſemper perpetua motione ac inceſſabili actione ſui amoris tendunt. *Hinc* collige ſenſum Pacti 2di eſſe hunc quotieſcunquè hoc pactum elicuero, toties affectuoſiſſimè cupiam, & nunc cupio diſſolvi & eſſe tecum, ac ſemper in Te ferri intentione amoris interminabilis ſeu inceſſabilis.

Note 3tiò. Quod ſicut ignis, quo magìs agit in materiam aptam, eo etiam magis incaleſcit & magìs ſuum calorem in omnes partes materiæ diffundit, quia ab eadem materia nutrimentum & augmentum ſui caloris accipit : ita mentes beatæ, quo magìs amore ſuo agunt ſeu tendunt in DEUM; eo etiam magìs amore ejus incaleſcunt, & conſequenter magis & ferventiùs eum diligunt, à quo nutrimentum ac incrementum ſui amoris conſequuntur, & ineffabili gaudio adimplentur. *Inde* collige ſenſum 3tij Pacti eſſe hunc. Quotieſcunq; hoc pactum elicuero, toties affectuoſiſſimè cupiam, & cupio diſſolvi, & eſſe tecum, quatenùs in te ſemper ferar intentione calidi Tui amoris; ut à te ardentiori calore incaleſcam ad te ardentiùs diligendum.

Nota 4tò. Quod ſicut ignis violenter alicubi occluſus, mox in momento impetu ſuo ſuperat penetratq; omnia obſtacula & intermedia, ut ibi ſit,

ubi est ejus centrum, seu terminus, atque scopus: ita mentes beatæ in DEUM suo amore extensæ; subitò suæ affectionis impetu (acutum enim amoris, dicit illius vehementiam ac impetum ardentem) penetrant virtutem, profunditatem ac totalitatem amati sui cælestis, quantum est ipsis possibile, ut ibi sint ubi est eorum amatum, *id est* cum ipso amato, & in ipso amato. *Hinc* collige sensum Pacti 4ti esse hunc. Quotiescunq; hoc pactum elicuero, toties affectuosissimè cupiam, & nunc cupio dissolvi, quatenùs impetuosè ferar amore meo in te DEUM meum, cum quo semper sim, & in quo æternè jubilando maneam.

Nota 5tò. Quod sicut ignis, dùm in flammam se erigit, ac se extra, & supra se jactat, superservere dicitur: fervere verò, dùm se in se colligit: ita mentes beatæ, dùm se in DEUM intentione suæ contemplationis & amationis erigunt, superfevere dicuntur, fervere autem, dùm jam non in se, sed in creaturis DEUM contemplantur & amant. *Hinc* collige sensum 5ti Pacti esse hunc: Quotiescunq; hoc pactum elicuero, toties affectuosissimè cupiam, prout & nunc cupio dissolvi, & esse tecum, in cujus clara contemplatione & fruitiva amatione ferveam, & superferveam in æternum. Amen.



SCA-

SCALA IX.

Diversorum Pactorum.

PACTVM I.

Acclamationis & Reclamationis SANCTISSIMÆ TRINITATI.

Vivat SSS. TRINITAS Unus DEUS.
℟. Vivat Vivat.

Nota. Sensum hujus Pacti esse talem. Domine DEUS quotiescunq; elicuero hanc acclamationem Vivat Sanctissima TRINITAS, Unus DEUS, toties in persona omnium fidelium ac justorum Ecclesiæ militantis, & in persona omnium animarum in purgatorio existentium, affectuosissimè invitabo, prout & nunc invito omnes Beatos Spiritus cælestes, ac item omnes Sanctos & Sanctas DEI, ad jucundè reclamandum, in contestationem gaudij magni illius, quo semper elevantur exultantes atq; jubilantes de magnitudine & immensitate bonorum ac perfectionum Tuarum Trine & Unus DEUS. Vivat vivat. Volo tibi DEO Uni ac Trino vitam, quam habes in te, per se æternam, felicem, beatam, & gloriosam, atq; tota efficacia cordis mei, volo te esse Omnipotentem (prout ex natura Tua revera es) sapientem, justum, clementem, misericordem, divitem, æternum immutabilem &c. *Omnipotentem* enim, ut adoreris, honoreris, & timearis ab omni creatura, quæ est in cælo, & in terra, & in inferno, juxta *Philip:*

Philip: 2. In Nomine JESU omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. *Sapientem*, ut tibi omnes obediant, teque imitentur. *Iustum*, ut lauderis & glorificeris, & unicuiq; secundùm opera ejus retribuas: quamvis justo supra meritum, & impio citra condignum. *Clementem*, ut omnibus verè ac sincerè pænitentibus semper facillimè sis propitius. *Misericordem*, ut omnes afflictos, tentatos, & tribulatos ad te confugientes illicò protegas, defendas, & consoleris. *Divitem*, ut omnes nomen tuum invocantes & confitentes hic donis gratuitis, illic gloriosis ditare valeas. *Æternum & immutabilem*, ut absq; ulla perturbatione, quietè ac pacificè regnum tuum sempiternum feliciter gubernes.

PACTVM II.

Acclamationis & Reclamationis Domino Nostro IESV Christo.

Vivat Rex Noster JESUS Christus

℟ Vivat, vivat.

Nota. Sensum illius fermè eundem esse, qui est Pacti immediatè præcedentis, ideò duximus non repetendum.

PACTVM III. & est Generale:

In quo omnia Pacta præcedentia omnium Scalarũ comprobantur, & confirmãtur.

O DEUS meus & omnia.

Nota. Quod præsens pactum anima devota eliciendo,

ciendo, ſic illud intelligit. *O DEVS meus, in te mea fide, ſpe, charitate, & confidentia tendo. Et omnia pacta* hujus æterni mei Teſtamenti intimo affectu ſubſcribo, approbo, repeto atq; confirmo, & in te refero ac termino ſine termino. Amen.

PACTVM IV.

Cum Beatiſsima Virgine MARIA.

Vivat Sanctiſſima V. MARIA R. Vivat, vivat.

SEnſus Pacti eſt, Sanctiſſima VIRGO MARIA. Quoties Te, tuumquè Sanctiſſimum Nomen MARIA legero, protulero cogitavero; quoties Tuam imaginem aſpexero: quoties de Te, vel ad Te pertinens, de Tuiſq; laudibus aliquid audiero protulero &c: quoties Te ſalutari audiero, vel ſalutavero; quoties in Officio Tuo parvo, Corona &c: verſus, verba, literas, ſyllabas &c: protulero vel audiero: toties toto me, totâ Te DEUM benedico pro omnibus Tibi collatis donis & gratiis, de illiſq; gaudeo, gratulor: omnia obſequia, cultum & amorem Tibi exhibitum & exhibendum, imo & poſſibilem à quibuſvis tuis cultoribus tàm Angelis quàm hominibus aſſumo, mihiq; approprio, & collecta in unum hæc obſequia quoad omnes eorum gradus, ſpecies & numerum in unaquaq; litera includo. Obſequia & cultum & amorem Chriſti Domini Filij Tui, & totius Sanctiſſimæ TRINITATIS, æternam electionem ad tantam gratiam & gloriam Tibi repræſento, gratulor & offero.

Amo appretio Te Pretioſiſſimam DEI Matrem,

trem, super omnia post DEUM & JESUM Filium Tuum, ex toto corde meo, moriq; pro Te, & Tuo honore desidero; amore omnium creaturarum, omnium electorum hominum & Angelorum; in amore Filij Tui D. N. JESU Christi, ipsiusquè Sanctissimæ TRINITATIS. Benedico, laudo, magnifico, saluto Te toto me, omnibus omnium creaturarum, omnium electorum, dilectissimi Filij tui, totiusq; SS. TRINITATIS benedictionibus, laudibus, magnificationibus, salutationibus &c: pro me & omnibus creaturis tàm rationalibus, quàm irrationalibus, præsertim infidelibus, hæreticis, blasphemis, damnatis, hominibus & dæmonibus. Credo quidquid Ecclesia S. Catholica de Te credit, dequè Filij Tui D. N. J. C. Sacrosancta Humanitate & Divinitate alijsq; Mysterijs; & pro hac & in hac fide vivere & mori volo & protestor. Adoro te Matrem DEI cultu Hyperduliæ omnium creaturarum, omnium electorum hominum & Angelorum, omni possibili affectu & reverentia. Offero NN. Peto NN. Spero per tuam intercessionem, veniam, gratiam, & gloriam. Doleo de amarissimis doloribus Tuis, omnium creaturarum, omnium electorum, ipsiusq; Tui Virginalis Cordis, & dilecti Filij Tui doloribus: huncq; actum & protestationem, pactumq; includo in omni motu, operatione passione, omnibus atomis meis pulsu cordis & respiratione, & elicio semel pro semper, & pro tota æternitate. A.

Pretiossima DEI Hominis Parens VIRGO MARIA, in conspectu Sanctissimæ TRINITATIS, & dilectissimi

ſimi Filij tui D.N. J.C. totiuſq; Curiæ cæleſtis: Trado me Tibi in perpetuum mancipium, tanquam abſolutæ Dominæ meæ; trado me Tibi in filium tanquam dilectiſſimæ Matri; trado me Tibi in hæreditatem, tanquam pleni juris Dominæ meæ; trado me Tibi in Sponſum, tanquam deſideratiſſimæ, ſpecioſiſſimæ, & amabiliſſimæ Sponſæ. Tu ſis mihi Domina, Tu Mater, Tu hæreditas, Tu hæres, Tu Sponſa: & fac me Tibi dignum Te, dignum amore Tui, dignum amore Tuo æterno in æternum. Amen.

PACTVM V.

Cum DEO, pro animabus purgatorij.

Requieſcant in pace.

SEnſus hujus Pacti eſt. Omnipotens DEUS. Ego N. quotieſcunq; hæc verba dixero, toties offerre volo, prout & nunc offero Divinæ Majeſtati Tuæ ad animarum purgatorij ſubſidium: & requiem ipſis à Te obtinendam omnes actiones & paſſiones meas, quatenùs ſatisfactoriæ ſunt totius vitæ meæ: offero etiam Tibi ad idem animarum ſubſidium totum id, quodcunq; à quocunquè Tibi offertur, offereturvè pro me vivo, vel etiam mortuo, quantùm ad quoq; ſatisfactorium aut eſt, aut erit: jam nunc volens id animabus purgatorij prodeſſe, juxta Sanctiſsimæ voluntatis tuæ beneplacitum, & ſecundùm majorem Tuæ Majeſtatis gloriam: Uniendo hæc omnia, hancq; oblationem meam, meritis D. N. J. C. & pretioſiſsimæ DEI Matris V. MARIÆ omniumq; electorum. Amen.

TRA-

TRACTATVS III.

De Præsentia DEI conservanda & renovanda.

QUemadmodum hominibus omnium malorum spiritualium principalis est causa, ipsius DEI ignava oblivio, juxta *Psal: 9.* Non est DEUS in conspectu ejus (*id est, quia non habet homo in mente sua jucundam DEI præsentiam, ideo*) inquinatæ sunt viæ (*intentionum ac operationum*) illius, in omni tempore. Ita omnium bonorum origo est, præsentiæ divinæ grata apprehensio, voluntariaq; jugis tentio. Unde quilibet huic assuetus disciplinæ, dicere potest illud, quod de ipsa sapientia dictum est. *Sap: 6.* Venerunt mihi omnia bona (*ut potè timoris, imitationis, & dilectionis DEI*) pariter cum illa.

Hinc est, quod sicut actu peccantes, quantum possunt omninò à præsentia conspectuq; DEI sese alienare contendunt; ut faciliùs propriis indulgere possint cupiditatibus, ac liberiùs & securiùs suis insistere queant delicijs, sine sensu remorsûs propriæ conscientiæ, animam cruciantis, ac sine experientia impulsûs timoris DEI repellentis voluptatem peccati; quâ ratione *quidam* illorum; DEUM non esse persvadebat, cùm scelus quoddam perpetrare vellet, ut patet *Psal: 13.* Dixit insipiens in corde suo, non est DEUS. *Alter* autem DEUM peccata sua non videre aut non intelligere sibi imaginabatur, ut est *Psalm: 98.* Non videbit Dominus, nec intelliget DEUS Jacob. *Tertius* deniquè

DEUM

DEUM esse obliviosum falso existimabat, ut habetur *Eccl*: 23. Quis me videt? tenebræ circumdant me, & nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. *Ita quoq;* justi homines, ut stabiliter declinent mala, & in bonis jugiter proficiant, huic disciplinæ seu exercitio tentionis divinæ præsentiæ continuò assistunt. *Sic* fecit Susanna, matrona illa honestissima, ut peccatum declinaret, cùm tentatâ ab iniquis confugeret ad divinam præsentiam ac diceret, sicuti habetur *Dan*: 13. Angustiæ sunt mihi undiq; si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed meliùs est mihi absq; opere incidere in manus hominum, quàm peccare in conspectu Domini. *Sic* David, cùm teneret jucundam DEI præsentiam, non fuit suis vitiis ac passionibus in malum commotus, omnesq; fugit laqueos diaboli, uti ipse testatur dicens, *Psal*: 15. Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam (*id est quam obcausam*) à dextris est mihi nè commovear. Et *Psal*: 24. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Sic facientes facile in via imitationis Christi proficiunt, & ipsam spiritualis vitæ perfectionem consequuntur, juxta illud *Prov*: 3. In omnibus viis tuis cogita DEUM, & ipse diriget gressus tuos. Et *Gen*: 15. Ambula coram me, & esto perfectus, *id est* præsentiam meam tenendo, sensim facilè pervenies ad pefectionem. His igitur de causis Propheta nos admonet, ut præsentiam DEI quæramus, dicens: *Psal*: 114. Quæ-

rite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus semper. Faciem autem Domini quærere idem est, quod conari ac studere jucundam DEI præsentiam in memoria, intellectu, & voluntate semper conservare, tenere, ac jugiter renovare.

Conservamus autem in mente nostra præsentiam Divinam, quando DEUM, alias in præsenti latentem, fide credimus ac intuemur ubiq; semper nobis adesse præsentissimum, per inspectionem nimirum, potentiam & essentiam, juxta illud *Act:* 17. Non longe est (DEUS) ab unoquoq; nostrum: in ipso enim (*quasi quodammodo pisces in aqua natantes, & aves in aëre volantes*) vivimus, movemur, & sumus. Hujusmodi erat fides illius qui dicebat *Psal:* 138. Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextra tua.

Renovamus verò in nobis præsentiam divinam, quando non solum actibus fidei, spei, & Charitatis in DEUM tendimus, verùm etiam quando cunctas nostras actiones asceticas in eum referimus, his nimirum seu similibus S. Scripturæ verbis devotè in eum directis. Ut cùm pro matutino media nocte excitamur, protinus signo S. Crucis muniti dicimus, ac devotè ruminamus verba illa *Matth:* 25. Media autem nocte clamor factus est, Ecce Sponsus venit, exite obviam ei, & quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. Novissimè verò veniunt & reliquæ

Virgines, dicentes: Domine, Domine aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos, vigilate itaq; quia nescitis diem neq; horam. *Et illud ad Eph: 5.* Surge qui dormis, & illuminabit te Christus, qui nimirum promisit coronam vigilantibus & orantibus.

In introitu Chori. *Psalm: 5.* Domine in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad Templum S. tuum in timore tuo.

Quando flexis genibus terram osculatur in Choro. Adoramus te Sanctissime Domine JESU, hic, & ad omnes Ecclesias quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Quando datur signum ab Hebdomadario post factam præparationem pro inchoatione Divini Officij *Psal: 137.* In conspectu Angelorum psallam tibi, & confitebor nomini tuo. Postea illud suspirium seu Pactum. O DEUS meus laudo te.

Quando distrahimur sub tempus Divini Officij, *Psal: 110.* Psallam & intellam. *Vel Psal: 46.* Psallite DEO nostro psallite, psallite sapienter. *Vel 1. Cor: 14.* Psallam spiritu, psallam & mente.

Quando te præparas ad disciplinam faciendam. *Psal: 31.* Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. Et *Ps: 37.* Quoniam ego in flagella paratus sum cum Christo JESU meo, & dolor ejus in conspectu meo semper est.

Post disciplinam. *Tob: 3.* Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neq;

vindictam sumas de peccatis nostris. Et *Psalm: 24.* Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte universa delicta mea.

Quando te componis ad dormiendum, dic: *Psal: 4.* In pace in idipsum dormiam & requiescam. Et *Psal: 30.* In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine DEUS veritatis.

Dormiens illusus ac tentatus, moxq; expergefactus. *Psalm: 118.* Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodivi legem tuam.

Mane surgens. *Colos: 1.* Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera DEI sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *Et suspirium Generale.* O DEUS meus, & omnia.

Cùm disponis habitum circa te, & induis mantellum, dicito. Exuat me Dominus veterem hominem cum actibus malis, & induat me novum hominem, qui secundùm DEUM creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.

Cûm lavas manus. *Psalm: 50.* Ampliùs lava me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Cùm verò faciem lavas. *Isai: 1.* Lavamini & mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.

Cùm tandem pedes. *Ioann: 13.* Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, vos etiam alter alterius lavare debetis pedes.

Quando intras Sacristiam, præcipuè ad serviendum

dum Sacro. *Gen: 26.* Verè locus iste Sanctus est in quo nimirùm Sacerdos præparatur ad divina celebranda.

Qando intras Ecclesiam. *Ibid.* Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus DEI, & porta cœli.

Quando vocaris ad serviendum Missæ, vel ad Ecclesiam. *Psal: 118.* Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Quando gradum dormitorij ascendis. *Ioann: 20.* Ascendo ad Patrem meum, & DEUM meum.

Quando descendis. *Luc: 19.* Zahæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.

Quando intras Cellam. *Psal: 117.* Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confiteborDomino. Et *Ps: 131.* Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.

Quando librum ad ad legendum aperis. *Ps: 118.* Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. *Vel Psal: 84.* Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS. *Vel Sap: 5.* Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam. *Vel Psal: 118.* Intellectum da mihi, & vivam.

Finita lectione. *Psal: 118.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. *Vel Ioann: 13.* Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.

Cùm vocaris è Cella ad superiorem. *Act: 9.* Domine quid me vis facere.

Quando tibi opus aliquod spirituale assignatur. *Gal: 6.* Dùm tempus habemus, operemur bonum.

Quando tibi aliquod manuale exercitium injungitur. *Psal:* 123. Adjutorium nostrum in domine Domini, qui fecit cœlum & terram. Et *Psalm:* 62. In nomine tuo levabo manus meas. *Vel* 1. *Reg:* 15. Melior est obedientia quàm victimæ. Et *Luc:* 2. Erat subditus illis.

Quandò exis extra claustrum pro socio *Matth:* 2. Domine sequar te, quocunq; eris.

Quandò verò cum officio. *Psal:* 24. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. *Et* 118. Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. *Vel.* Dirige Domine DEUS meus in conspectu tuo viam meam.

Cùm redis. *Ioann:* 6. Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula JESU unum, MARIÆ unum, Curiæ cœlesti unum.

Quando vides pauperem vel miserum, dic: O DEUS cur non ego? *Vel* 1. *Reg:* 2. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat.

Quando elèèmosynam quæris. *Matth:* 6. Quærite primum regnum DEI, & justitiam ejus, & hæc omnia adijcientur vobis. *Et in Regula.* Et non debeant verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.

Cùm pulsatur ad Mensam. *Luc:* 14. Beatus qui manducabit panem in regno DEI. *Apoc:* 19. Beati qui ad nuptias Agni vocati sunt. *Et* 2. *Thes.* 3.

Quandò tibi porrigitur portio. *Ioann:* 4. Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris, qui in cælis est. *Vel Psal:* 118. Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam,

Quandò bibis. *Pſ: 36.* Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ, potabis eos. *Vel Pſ: 16.* Satiabor cùm apparuerit gloria tua.

Si eſuris. *Matth: 5.* Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

Si ſitis. *Ioann: 7.* Si quis ſitit veniat ad me & bibat.

Si tentaris plùs juſta neceſſitate comedere ac bibere. *dic: Pſal: 77.* Adhuc eſcæ erant eorum in ore ipſorum, & ira Domini aſcendit ſuper eos. *Vel Luc: 6.* Erat quidam dives, qui quotidiè ſplendidè epulabatur, & cùm mortuus eſſet, ſepultus eſt in inferno. *Et Luc: 17.* Temporibus Nòë edebant & bibebant, & venit diluvium, & perdidit eos.

Si tibi non ſapit cibus & potus. *Pſal: 62.* Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.

Si videris alium avidè, & non mortificatè comedere. *Rom: 14.* Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat: manducantem non judicet, DEUS enim illum aſſumpſit.

Quandò increparis meritò ab aliquo. *Pſal: 118.* Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. *Vel.* Si non eſſem malefactor, hæc mihi non dicerentur.

Quandò verba injurioſa accipis. *Iſa: 50.* Faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me, Dominus auxiliator meus, & ideò non ſum confuſus.

Quando te aliqui injuſtè perſequuntur. Dic *cum S. Stephano.* Domine JESU, nè ſtatuas illis hoc peccatum.

Quandò pateris aliquid contrarij. *Luc:* 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Vel.* Si oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam, suam, quid me? *Act:* 5. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati.

Quandò aliquo modo tentaris. *Iacob:* 1. Beatus Vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam Vitæ. *Vel.* Exurgat DEUS, cadat armatus, & conteratur inimicus.

Dùm vanâ gloriâ pulsaris. *Gal:* 6. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Et Ps:* 44. Omnis gloria filiæ Regis ab intus.

Cùm laudaris. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Vel.* Mihi confusio, & tibi DEO meo in æternum gloria.

contra tentationem superbiæ. *Luc:* 14. Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

Contrà affectum avaritiæ. *Act:* 20. Beatius est dare magis, quàm accipere.

Contrà stimulum luxuriæ. Voluptas brevis pæna perpetua. *Vel.* Momentaneum quod delectat, ætærnum quod cruciat. *Vel.* Non possum esse continens, nisi tu Deus dederis.

Contrà spiritum invidiæ. 1. *Ioann:* 3. Qui non diligit proximum, manet in morte.

Contra motum iræ. *Matt:* 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Contra acediam, negligentiam, ac pigritiam, *Prov:*

Prov: 13. Vult & non vult piger: anima autem operantium impingvatur. *Et Ier*: 48. Maledictus qui opus Dei facit negligenter. *Et Matth*: 11. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et 7. Omnis arbor quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur.

Contrà Spiritum murmurationis, detractionis, & susurrationis. *Psal*. 120. Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingva dolosa. *Eccl*: 28. Susurro, & bilingvis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes. *Prov*: 13. Qui detrahit alicui ipse se in futurum obligat.

Si tentaris de DEO aliquâ diffidentiâ. *Psal*: 30. In te Domine speravi non confundar in æternum. *Psalm*: 22. Mihi autem adhærere DEO bonum est, ponere in Domino DEO spem meam.

Si in conscientia turbaris ob aliquam objectionem diabolicam. *Ps*: 24. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Si tentaris videre curiosa. *Psal*: 118. Averte oculos meos ne videant vanitatem: *Et Iob*. Pepigi fœdus cum oculis meis.

Si tentaris audire nova & curiosa. 2. *Tim*: 4. A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.

Si incidisti in aliquem defectum. *Psal*: 50. Tibi soli peccavi. *Vel*. Peccavi Domino.

Quandò tentaris iudicio temerario. *Rom*: 14. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit: stabit autem, potens est, DEUS statuere illum.

Ante Orationem. *Joan*: 16. Si qu d petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Et *Marc*: 11. Quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & eveniet Vobis.

Accedens ad Confessarium. *Luc*: 7. Et ecce mulier quæ erat in Civitate peccatrix, ut cognovit quod JESUS accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum ungventi, & stans retrò secus pedes Domini lachrymis cæpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus & ungvento ungvebat.

Quandò audis vel legis aliquem peccasse *dic*: ô Domine, nisi tuâ gratiâ me adjuvares, ego plura mala perpetrassem, sis benedictus, qui me adjuvas.

Quandò audis aliquem bené fecisse, vel legis aliqua opera heroica Sanctorum *dic*. ô Domine in his omnibus valdè mihi complaceo, & per gratiam tuam cupio illa experiri.

Si amore inclinaris in rem temporalem. *dic*. Domine DEUS propter tui amorem hac re privari eligo.

Si odio habes alicujus defectus. *dic*. Magis odi ac detestor peccata mea coram te DEO meo quæ mihi nocent; quàm aliena, quæ me non coinquinant.

Tempore recreationis. *dic illud Philip*: 4. Gaudere in Domino semper, iterùm dico gaudere, modestia vestra nota sit hominibus.

Si affectus desideriorum tuorum deorsum tendunt, *dic. illud Psal*: 41. Quemadmodum desiderat

cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS.

In fine cujuslibet boni operis dic: illud Luc: 17. Servus sum inutilis. *Item.* Vivat Rex noster JESUS ℟. Vivat, Vivat.

TRACTATUS IV:

Recollectionem matutinam & vespertinam instituendi.

RECollectio mentis tres habet partes, utpote *præparationem, reconciliationem, & conclusionem.* Præpatio tribus constat particulis: quarum. *Imam* constituit Adoratio tùm Sanctissimæ TRINITATIS Deificæ, tùm Christi Domini Salvatoris nostri, tùm Venerabilissimi SACRAMENTI: quæ his actibus fieri potest. Vivat Sanctissima TRINITAS Unus DEUS. Vivat, Vivat. Adoramus te Sanctissime Domine JESU Christe, hic & ad omnes Ecclesias, quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum. Laudetur Sanctissimum SACRAMENTUM, &c. *2dam.* præparationis particulam constituit gratiarum actio pro beneficijs tàm communibus quàm specialibus, à DEO nobis venientibus. Beneficia communia sunt creatio & conservatio nostri in esse naturæ humanæ, imagine ac similitudine DEI insignitum ac decoratum: nec non Redemptio & Vocatio ad esse gratiæ Sanctificantis, continuis actibus in statu nostro religioso fovendum. Spe-

cialia verò sunt: *Tùm* ipsa gratia justificans ac sanctificans, gratos DEO magis ac magis nos faciens augmine sui continuo. *Tùm* inspirationes divinæ efficaces, ut potè illuminannte sintellectum & propellentes voluntatem ad omne illud insequendum, quod est DEO gratum, & ad aversadum quod est DEO exosum. *Tùm* auxilia opportuna ad resistendum tentationibus, ad coercendum passiones motusq; earum vitiosos internâ mortificatione, & ad acquirendum Virtutes jugi exercitio &c: Cujus quidem gratiarum actionis actus, talis essepotest: Gratias tibi ago Domine DEUS pro Universis beneficijs tuis, tam communibus, quàm specialibus, mihi indigno collatis, qui vivis & regnas Unus in TRINITATE, & TRINUS in Unitate in sæcula sæculorum.

3tiam Præparationis particulam constituit imploratio cælestis illuminationis, ad cognoscendas propriæ conscientiæ maculas. cujus actus talis esse potest: Illumina oculos meos, nè unquam obdormiam in morte, nè quandò dicat inimicus meus prævalui adversus eum.

Reconciliatio tribus constat particulis: quarum *1mã* constituit *Examen* conscientiæ de negligentiis videlicèt concupiscentijs & nequitiis. *De negligentiis* quidem cõmissis. Tùm in absolvendo Divino Officio, ac peragenda mentali Oratione, in renovanda præsentia Divina, in servando silentio. *Tùm* in reiiciendis cogitationib⁹ vanis, mundanis, & impossibilib⁹, in cavendis verbis, inutilibus, falsis, injuriosis; in explendis negotiis sibi demandatis. *Tùm* in resistendo quibuscunquè tentationibus, in mortificando

propri-

proprias passiones, nec non propriam voluntatem, & proprium judicium, in attendendo Virtutibus asceticis, ac librorum spiritualium lectionibus. *Addi* examen speciale, de actibus propositæ Virtutis & mortificationis, dequo vide Tractat: de Virtut. Ut sic.

De *Concupiscentiis* item. *Imò* namq; de motibus concupiscentiæ voluptatis. Si nimirum concupierit cibaria & poculenta sapida & exquisita, indumenta nova atq; mollia & decora, oblectamenta venerea: quæ in primis motibus ab *Ascetis* studiosissimè fugiuntur. *2dò*. de concupiscentia curiositatis. Si quippè appetierit scire hominum occulta, ac non revelanda, ipsiusq; DEI non inquirenda, videre, pulchra, & rara, audire nova mentem extrovertentia, habere insveta, superflua, pretiosa: *3tiò*. de concupiscentia vanitatis, si hominibus affectaverit vanè placere; ab eisq; laudari honorari; necnon per astum potiùs promoveri ad studia, Ordinesq; atq; Officia Religionis, quàm per studium Virtutis.

De *nequitiis* tandem. Ac imprimis de nequitia iracundiæ; Si alicui affectu iratus fuerit, aut signo ac verbo, indignationem monstraverit, aut opere aliquo injuriam fecerit. *2dò* de nequitia invidiæ. Si de alicujus prosperitate contristatus fuerit, aut in malo alieno sibi complacuerit, aut suum adjutorium indigenti non adhibuerit. Demùm de nequitia acediæ. Si de malis olim sibi illatis doluerit, & de præsentibus adversis turbulentus fuerit, & futura possibilia incommoda nimis timuerit, non

respice-

respiciens ad auxilia DEI, ejusq; voluntatem, aut defectus aliorum nimis exaggeraverit, proprios verò impetuosè defenderit, aut statum suæ vocationis ob contingentes in eo quandoq; non nullas imperfectiones fastidire cœperit, &c.

2dam. Reconciliationis particulam constituit Contritio cordis, Seu dolor animæ de peccatis commissis, vel item detestatio peccatorum tam præsentis quàm in universum præteritæ conscientiæ. Cordis quidem contritio, velut etiam præsupposita durities hoc loco non propiè sed metaphoricè intelligi debet. Unde sicut cor durum illud est, quod non recipit influentiam Divinæ inspirationis, uti habituatum in malo, habetq; stabilitatem sic permanendi in peccato ob annexam ei delectationem sibimet gratam, ac tandem rebelle invenitur DEO per inobedientiam ipsius mandatis exhibitam; ita cor contritum illud est, quod inspiratione divina illuminatum & emollitum desinit peccare, & ipsum peccatum cum sua infami voluptate aversatur affectuosissimè, uti quadàm gratâ cœlitùs amaritudine imbutum, ac tandem legi Divinæ, à modo intendit firmiter adhærere, viisq; justitiæ perpetuò incedere. Hujusmodi autem contriti cordis seu ipsius contritionis talis actus formari potest. Domine DEUS, detestor, abominor, & fugio in æternum omnia peccata mea, quibus divinam Majestatem tuam gravissimè offendi, propter te summè honorandum, amandum, & imitandum; Uti infinitè potentem, bonum & Sapientem, & supra omnia detestabilia, amabilia, & fugibilia.

Nota

Nota Imò. quod dolor in Contritione duplex est *Vnus* dicitur animi seu voluntatis; qui non est aliud, nisi peccati detestatio: & iste dolor est de necessitate & essentia contritionis. Alius est dolor sensualitatis, seu sensitivus ac sensibilis, qui apparet exterius, *ut poté* in signo in lachrymis in suspiriis, & iste non est de necessitate & essentia contritionis, sed solum de perfectione: quia talis dolor non est in potestate nostri liberi arbitrii. *Item.* Dolor detestationis seu ipsa detestatio peccati; idem est ac nolle peccasse, potiusq; velle subiisse quodcunq; malum, quàm DEUM supra omnia amandum offendisse. *Item* quod dolor detestationis debet esse maximus, (juxta illud *Ioel:* 2. Convertimini ad me in toto corde vestro) non quidem intensivè, *id est*, magno conatu & fervore elicitus: sed appretiativè, *hoc est*, debet quis magis detestari peccatum quam aliquod malum, cum peccatum sit malorum omnium maximum: puta tamen Contritionem eo esse meliorem, quo est magis intensa, fervida, & sensibilis.

Nota *2dò.* quod Contritio aliquando defectuosa seu falsa septem modis fieri potest: *1mò.* modo. Cùm quis detestatur peccata supra omnia detestabilia propter offensam DEI; sed non plena voluntate: quia alias non detestaretur ea, imoq; in eis permanere vellet, si pænæ infernales finem aliquando haberent. *2dò.* Cùm quis detestatur peccatum supra omnia detestabilia propter offensam DEI; sed sinè efficaci ac serio proposito ampliùs non peccandi. *3tiò.* Cùm quis detestatur pecca-

ta co-

ta eodem modo, sed aut fidem integram, aut spem veniæ firmam non habet. 4tò. Cùm quis detestatur peccata uti supra, cum proposito ampliùs non peccandi; sed proximam seu probabilem (quando potest) non refugit peccati mortalis occasionem. 5tò. Cùm quis detestatur peccatum sicut superius; sed odium in corde suo contra proximum fovet. 6tò. Cùm quis detestatur peccata secundum superiorem modum, sed bona alterius injustè retinet, vel parti læsæ non satisfacit, cùm possit. 7mò. Cùm quis graviora tantum peccata detestatur; in alijs autem mortalibus; quæ communiora sunt, ac minora esse putantur voluntatem habet: vel cùm omnia mortalia fugit, præter unicum.

Propositum, quod tertiam particulam reconciliationis constitur. 1mò. debet semper formari ac renovari, tam singula quàm omnia peccata mortalia, supra quævis mala propter solius DEI amorem fugiendi, & ipsas eorum proximas seu probabiles occasiones cavendi; hoc autem propositum debet esse firmum ac forte, non infirmum ac debile; efficax seu intensum, non tepidum seu remissum; stabile & cordiale, non vertibile & verbale; absolutum, non conditionatum; serium, non fictum; resolutum, non timidum, ac tandem æternum quale illud est. Psal: 118. Custodiam legem tuam semper (idem enim est propositum amplius mortaliter non peccandi, quod & præcepta legis Divinæ custodiendi: nam qui custodit legem DEI, hic jam non peccat) in sæculum, & in

& in sæculum sæculi. *Item*. In æternum non obliviscar justificationes tuas; quia in ipsis vivificasti me. *Item*. Juravi & statui, custodire judicia justitiæ tuæ. *2dò*. Idem propositum debet semper formari ac renovari, singula peccata venialia fugiendi quamvis non omnia; quia alias præsumptiosum esset hujusmodi propositum; non enim pro hoc statu corruptæ naturæ potest quis vitare omnia venialia: nam fugiendo unum, incidit sæpè in aliud, quod considerans S. Joannes sic ait *Epist: 1. cap: 1.* Si dixerimus quoniam peccatum non habemns, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et S. Paulus *Rom: 7.* Non quod volo bonum, hoc ago: Sed quod odi malum, illud facio. Unde S. Bonav. *Comp: Theol: Verit: lib: 6. cap: 34.* In contritione de venialibus non exigitur propositum non peccandi venialiter, sicut in contritione de mortalibus exigitur: sed sufficit quod displiceat alicui peccatum præteritum, & infirmitas qua ad peccatum veniale inclinatur: quamvis ab eo omninò immunis esse non possit: ita tamen, quod voluntas non maneat fixa in aliquo veniali, quia illud sic retentum, non dimittetur in contritione generali nec speciali. Et hæc est ratio, quia peccata mortalia sunt in potestate nostra ut vitentur, non solùm singula, sed etiam omnia: Venialia verò etsi singula vitari possunt, non tamen omnia, quod ex infirmitate naturæ contingit. hæc ille.

3tiò. Idem propositum debet semper formari ac renovari, propriam scilicet voluntatem, singulare judicium, ac sui amorem abnegandi, & in virtutibus proficiendi, per sufferentiam adversitatum, &

fugam

fugam prosperitatum hujus temporis; præsertim verò, cum uno aliquo vitio maioris intensionis strenuè pugnandi, actibus nimirum ei oppositæ Virtutis, ac externæ internæq; mortificationis.

Conclusio deniq; tribus constat particulis. *Imam* constituunt septẽ petitiones sursum ducendæ, quæ habentur *in Pact: petit: Scal: 3. 2dam.* constituunt septem oblationes DEO faciendæ pro obtinendis petitis, quæ ibidem habentur *in Pact. Oblat. 3tiam* constituit commendatio sui in Patrocinium B. M. V. Angeli Custodis, Sanctorum Patronorum ac totius Curiæ cælestis.

MODVS
Octidianam Recollectionem peragendi.
Athore P. Daniele Brykner.

RECollectio est diligens conscientiæ disquisitio, de omnibus statûs sui officijs, attendendo, ut si quid à recta vocationis orbita sit recessum spirituali reficiatur restauratione.

Officium ejus est triplex. *Imum.* Bona à se elicita DEO offerre, gratias agendo. *2dum.* Mala commissa deplorare, veniam petendo. *3tium.* Vitæ correctionem proponere, gratiam implorando.

Finis ejus triplex. *imus.* Offensi DEI, reconciliatio, veniam accquiredo per contritionem, in via *Purgativa. 2dus.* Boni apprehensio, gratiam promerendo, per sanctæ doctrinæ acceptionem, in via *illuminativa 3tius.* Animæ intima cum DEO conjunctio, gloriam implorando, per votorum renovationem, in via unitiva.

Tota Recollectio octiduano commodè potest absolvi spatio, ita ut cuilibet diei certa spiritualis determinetur occupatio. Porrò, ut efficaciter tractetur sequentes servandæ sunt regulæ. *Ima.* Toto Recollectionis tempore Divinum Officium Meditatio, Missa, aliæq; consvetæ spirituales occupationes quà fieri potest tractandæ sunt cum actuali attentione, diligenti intentione, affectuosa spiritûs devotione *2dó.* Ad tollendos obices quibus elevatio spiritûs impediretur, & mentis tranquillitas turbaretur, toto recollectionis tempore nulla tractanda sunt negotia, quæ introversum extrovertere possent spiritum, ideò strictum servandum silentium, cum nemine nisi necessitate cogente (excepto Patre spirituali) conversandum.

3tiò. Cujuslibet diei hæc erit occupatio, 1. absolutâ in Choro Prima & Tertia. 2. Sacrum audiendum, vel celebrandum. 3. finito recessu, & gratiis actis. 4. instituenda recollectio, quæ incidit eo die v.g. *1ma* die de beneficijs, *2da* die, de Occupationibus &c: 5. legatur aliquid in materia spirituali. 6. Ad Chorum pro Sexta & Nona eatur. 7. sumendum prandium. 8. hoc finito, gratijs actis parum quiescendum ad primam horam. 9. à *1ma* hora ad *2dam* oretur pro eo, pro quo determinatum est eo die. v. g. *1ma* die pro exaltatione S. Ecclesiæ. *2da.* pro propagatione S. Religionis &c. 10. Vesperæ dicendæ. 11. à *3tia* hora ad *4tam* legatur materia spiritualis, præcipue de qua futura est meditatio. 12. Complectorium, & Meditatio absolvenda. 13. Cæna sumenda. 14.

disciplina facienda (si hyemali tempore fit Recollectio, quia in æstate post examen vespertinum sive Recollectionem disciplina potest fieri) tandem preces fundendæ. 15. Examen conscientiæ, seu quotidiana Recellectio instituenda. 16. Hac finitâ eliciantur Pacta determinata pro illa die, v. g. *1ma* die. Pacta Scalæ *1mæ*. *2da* die Pacta *2dæ*. &c: 17. DEO gratiæ pro transacto die persolvantur. *4to*. Ut securiùs obtineatur Indulgentia plenaria à Paulo V. Recollectionem hanc facientibus (concessa die 21. Maij, An: 1606. Pontificatûs sui anno *1mò*. Eadem confirmata ab Alexandro VII. A. 1659, die 8. Junij pro Fratribus Minoribus) Confessio vel generalis, vel annua, vel ordinaria omnium peccatorum ad finem Recollectionis est facienda. *5to* Finitâ hac Recollectione, caveatur nimia extroversio, nè per eam statim spiritus inflammatus refrigescat. *6to*. In tota Recollectione examinanda conscientia de omnibus quæ concernunt statum Religiosum, attendendo, ut si quid deviatum est à via imitationis Christi, per hanc recollectionem rectificetur; & ideo Vota Religiosâ Virtutesq; Vitæ Christi conformes, ut humilitas, patientia, &c: examinandæ, curando ut agniti prædictarum virtutum defectus, corrigantur. *7mo* Octiduanæ Recollectionis talis potest esse Methodus. *1mò*. Conscientia examinet se ex defectibus commissis in *via purgativa*. *2dò*. Approbat doctrinam Christi & Ascetarum in *via illuminativa*. *3tiò* actibus anagogicis Unitur DEO in via unitiva. *Adverte*. Si vis efficacem fructum

ex hac

ex hac Recollectione reportare, duo tibi curanda sunt. 1mum. Asceticam Theologiam Patris Dobroſielſcij, quo ad Meditationes, Virtutes, Pacta &c. ſcias, ſingula exactè intelligendo. 2dum. Cujuſlibet diei Recollectionem attentè legas, quodlibet punctum enervando, & ad tuam vitam cum inflammato affectu applicando. Hujus autem Recollectionis praxis talis adhibenda porrigitur.

D I E S I.

Recollectio beneficiorum à DEO acceptorum.

PUrgatio. Conſcientia ſe examinat. 1. Creavit te DEUS Pater, animam tibi ad ſui ſimilitudinem donando, & in ea imaginem SSS. Trinitatis exprimendo: Ut eum intellectu apprehenderes, memoriâ retineres: Volūtates amares. Verùm diſcutè, quoties hæc imago in anima tua facta ſit adultera, dùm ſenſualibus magis quàm ſpiritualibus indulgebas oblectamentis. Perpende, quoties per peccatum, bruto deterior factus, diaboli imaginem aſſumpſiſti. Fecit te naſci ex parentibus Catholicis, & tu impietate tua, quoties gentilem exeſſiſti; veſtem candidam in baptiſmo aſſumptam, quam per innocentiam vitæ impollutam ad mortem conſervare promiſiſti, fæda peccatorum labe conſpurcaſti, 2dò. Redemit te pretioſo ſanguine ab æternæ damnationis captivitate Unigenitus Dei Filius; & tu quoties per peccatum infernale factus es mancipium, 3tiò. Ditavit te inæſtimabili gra-

tiarum thesauro Spiritus Sanctus, & tu quam miserabilitèr (vanitatibus illectus) tanta charismata contempsisti. *4tò* Protegit & conservat te Sanctissima TRINITAS Unus DEUS, & tu quàm ingratus extitisti. *5tò* Perpende excellentiam status tui, ad quem Vocatus es quia est Seraphicus, quia supererogatione in votis eminens, scilicet; Obedientia illimitata, Paupertate altissima, Castitate intemerata: quia est Apostolicus, quia Reformatus. Examina te, te ipsa, an nomine tenùs Religiosum agis. *6tò.* Inquire. 1. Si in collegio Apostolicorum Virorum Judam non egisti. Scilicet murmurando, mentiendo, ad terrena cor apponendo. 2. Si Virtutes asceticas diligenter coluisti. 3. si de statu displicentiam non habuisti. 4. Si bono exemplo Confratribus fuisti, aut aliquem verbo, vel opere (maximè sæcularem) non scandalizasti. 5. Si in omnibus voluntati DEI te conformasti. 6. Si defectus agnitos, illicò cum detestatione abjecisti; prospera gratanter acceptasti, adversa patienter tolerasti. 7. Si injurias illatas, sine vindicta (imitando Christum) gaudenter sustinuisti. *7mò.* Attende primam tuam intentionem, recogita primum in vita religiosa fervorem: vide ad quid venisti, & invenies quâm longè deflexeris, quàm tepidus extiteris. Vide quæ DEUS pro te fecerit: Salutaria dixit docendo; magna fecit, bona conferendo; ineffabilia pertulit patiendo; dedit sua in creatione, dedit se totum in Redemptione: Et tu quid ei denegas perpende. Hæc beneficia si contemnis, vide quantum dolorem super dolorem Christo addis!

Illumi-

Illuminatio Anima sic examinata, dicit. O Domine quid est homo, quia magnificas eum, aut cur apponis erga eum cor sc. Filium tuum? 1. Sum nè ego dignus, quod me ad imaginem tuam creaveris? pretioso sanguine tuo redemeris? ad S. Religionem Seraphicam vocaveris? inter amicos & confratres tuos annumeraveris? singularibus gratiis ornaveris? dono persev erentiæ confirmaveris? O si hæc talenta maximo latroni dedisses, quàm longè ille tibi promptius servisset, ardentiori amore, accuratiori gratitudine compensasset. 2. Colligis piissimè DEUS à me & ex me nihil aliud quàm mala pro bonis; pessima pro optimis; ingratitudinem pro beneficijs; contemptum pro honore; odium pro amore; convitium pro laude. 3. DEUS Pater misericordiarum agnosco infinitum tuum erga me amorem, qui me tantis criminibus reum, non punivisti, tanta ingratitudine exosum, paternâ providentiâ non deseruisti: tot peccatis inimicum factum ultra vires tentari, & in periculum consensûs intrudi (speciali gratiâ me juvando) non permisisti. 4. O DEUS, creasti omnia propter me, me autem propter te, ut amem, laudem &c: te, & ego tam ingratus extiti, ut etiam irrationales creaturæ, inservitio tui me confundant. 5. Fateor dulcissime JESU, meritis acerbissimæ Passionis Tuæ, hunc statum à DEO Patre mihi impetrasse, donis supernaturalibus ad hanc perfectissimam Religionem me habilem reddidisse. 6. Scio te maximos dolores sustinuisse, ut me à laqueis mundi, carnis, & diaboli liberatum, tam securo de salute animæ meæ statu donares

Vnio. 1. Quid retribuam Tibi Sanctissima TRINITAS Unus DEUS, pro omnibus quæ tribuisti mihi. 2. Æternas Tibi referro gratias, pro omnibus & singulis vitæ meæ, horæ elapsæ, imò & elapsuræ beneficijs. 3. O summum bonum, totum me Tibi pro lytro offero. 4. Confundor Tuis tantis beneficijs. 5. Intimè doleo, quod aliquando hæc contemnendo dolorem super dolorem Tibi addiderim. 6. quod te medullitus non amaverim. 7. jam ignitæ charitatis ardore amare Te volo. 8. Cupio Tibi, quod me cupere vis. 9. Remove à me Domine, quidquid displicet tibi in me. 10. Vis majora & perfectiora à me Domine, jube quod vis, & da quod jubes. 11. O Anima insignita DEI Imagine, redempta Christi Sanguine, desponsata fide, dotata spiritu; ornata Virtutibus, deputata cum Angelis, dilige illum à quo tantum dilecta es, servias illi, à quo tot beneficijs cumulata es.

Ora pro Exaltatione S. R. Ecclesiæ. Pacta 1. Scalæ. Meditatio de beneficijs, elice actus fidei.

DIES II.

Recollectio Occupationum status sui.

PVrgatio Conscientia se examinat, quo ad utramq; vitam. *Imò.* quo ad vitam activam. Vide si opera tua non fuerint. 1. Vana. *s.* propter humanum respectum amoris, commendationis, &c. 2. otiosa, sc. tempus inaniter consumentia. 3. incauta, *s.* scandalum vel occasionem judicij temerarij causantia. 4. Inordinata, *s.* non debito modo tem.

do tempore, loco &c: facta. 5. Inobedientia, sc. contra mandatum superiorum. 6. Temeraria, sc. sine consilio & directione, vel ordinatione Superum. 7. Præsumptuosa, sc. propter fastum vel laudem facta. 8. Indiscreta; sc. contra rationem, vel cum alterius gravamine facta, 9. Acediosa, sc. cum tædio & segniter ac tepidè peracta, 10. Superflua, sc. neq; ad DEI honorem, neq; ad proximi utilitatem vel ædificationem, neq; ad tuum commodum ordinata. *2dò*: quo ad vitam contemplativam. Perpende 1. quàm negligenter te ad confessionem parasti examen transactorum per transenam instituisti. 2. quàm remissè pro agnitis defectibus in confessione doluisti. 3. quàm debile propositum vitandi agnita peccata habuisti: 4. quàm oscitanter occasiones anteactorum vitasti, imò multoties eas procurasti.

Agnosce 1. quàm negligens fuit tua ad Missæ tremendum Sacrificium, vel Sacram Communionem præparatio, 2. quàm frigida in spiritu ejus celebratio, vel susceptio. 3. quàm languida pro illa gratiarum actio. 4. quàm festina ad confabulationes & alia profana tractanda extroversio. Recollige 1. cum quantis distractionibus & imperfectionibus incruentum Missæ Sacrificium, Divinum Officium, Orationem mentalem, vocalem, Recollectiones, aliaq; pia exercitia absolvisti, 2. quàm graviter DEUM in prædictis, in debita intentione notabilis partis omissione, festina recitatione, ordinis inversione, officij commutatione, culpabili interruptione, soporosa recitatione, per

risum,

risum, jocum, colloquia, sensus immortificatos distractione, temporis retardatione, alijsq; imperfectionibus offendisti.

Illuminatio. Anima sic instructa ait: 1. Agnosco dulcissime JESU, effusione pretiosissimi Sanguinis tui, meritis acerbissimæ tûæ Passionis, sacramentis gratiam promeruisse, & ego quàm leviter eam æstimavi. 2. Fateor amantissime JESU, Te indefessa intensione, intentione, & attentione in horto pro salute animæ meæ, usq; ad effusionem sanguinei sudoris pro me orasse, & ego quàm oscitantem, quàm desidiosum me gessi. 3. Scio Redemptor mi, quòd cùm studioso conatu opus redemptionis meæ sis operatus, pro me captus, ligatus, colaphisatus, conculcatus, denudatus, flagellatus, coronatus, consputus, irrisus, postpositus, Crucis patibulo inter latrones ingloriosissimè affixus, felle & aceto potatus, & alijs opprobrijs saturatus. O dolores! o labores! o amores! & ego quàm negligenter propriam salùtem curavi, quàm ingratè tuos labores acceptavi: ô acediam! ô ingratitudinem! 4. Ah doleo quod plurimos gradus veniæ, gratiæ, gloriæ acquirendæ, multas occasiones meritorum reportandorum spontè amiserim. 5. Quantam perfectionem habuissem, si tam salutares occasiones non omisissem. 6. Nunc sed serò perpendo divinos impulsus & instinctus ad perfectionem me impellentes, à me repudiatos. 7 erubesco tam abominabilem ingratitudinem.

Unio. 1. Domine quid me vis facere; ecce audit servus tuus. 2. doce me facere voluntatem tuam.

tuam. 3. Uni me tecum inseparabilter vinculo ardentis orationis. 4. Instilla animæ spiritum devotionis ut te condignè laudem. 5. Juravi & statui proficere. 1. In crebra innovatione intentionis, & præsentiæ tuæ. 2, In assidua crescentis amorosi fervoris exercitatione. 3. In actuali devotionis attentione. 4. In svavi tecum per Spiritum devotioonis concatenatione.6. Refice dulcissime JESU famelicam animam meam dulci Spiritualis devotinis alimoniâ. 7. Ecce Domine DEUS si quid defraudavi reddo, si quid debeo (sc. DEO proximo, mihi) restituo, si quid malum commisi, retracto; si quid bonum omisi, suppleo; si quid corrupi emendo; si quid maculavi (sc. malo exemplo) emundo, Dulcissime JESU in balneo Sanguinis Tui, in balneo doloris & amoris mei. 8. O Pater amantissime, da mihi ut fructus dignos pænitentiæ faciam, & delicta mea debita castigatione puniam 9. In balneo Sanguinis Tui, sudoris, lacrymarum Tuarum mi JESU, lavo, baptizo & immergo me totum, & omnia mea, ut cum omnibus purificer, quia immundus; calefiam, quia frigidus; conforter, quia infirmus; dotificer, quia egenus; dignificer, quia vilis; saner, quia moribundus; vivificer, quia mortuus sum. 10. Dulcissime JESU, responde mihi quantas habeo iniquitates, quid adhuc mihi deest, quàm longè sim à te? quid debeam Tibi? quo Tu dignus es? quid retribuam Tibi pro omnibus quæ tribuisti mihi; hæc dum quæro à te mi JESU, responde mihi & confer necessaria, ut placeam Tibi in æternum. 11. Utere

me in tempore, & æternitate: operare in me quod potes, quod scis, quod à me requiris. Præsta ut ad Te pleno desiderio semper aspirem, & in Te dulcissime JESU placidè respirem.

Oratio pro Propagatione S. Religionis. Pacta 2. Scalæ. Meditatio de Peccatis, elice Actus ex spe.

DIES III.

Recollectio 1mi Voti. *scilicet* Obedientiæ.

PVrgatio. Conscientia se examinat. 1mò. Attende quod licet per votum Obedientiæ dæmoni renuntiasti, tamen segniter suggestioni ejus ad libertatem proprij judicij & voluntatis allicientis, adversaris. 2dò. Examina te: quantum defecisti in Obedientia, erga DEUM ejusq; Vicarium 3. DEO inobediens fuisti. 1. desidiosè præcepta ejus & Regulæ adimplendo. 2. inspirationibus contraveniendo, vel eas repudiando, vel segniter acceptando. 3. consilia contemnendo. 4. influentias cælestes quibus DEUS ad cor tuum pulsabat, in meditationibus, & in alijs pijs occupationibus oscitanter admittendo. II. *Vicario* 1. toties liberum arbitrium voluntati præcipientis non subijciendo. 2. ejus jussa contemnendo. 3. ea ex timore pænæ vel confusionis acceptando. 4. cum remurmuratione sensualitatis adimplendo. 5 propriæ sententiæ contra mentem superioris adhærendo. 6. attende, quod non quia præceptum fuit, sed quia placuit libentissimè feceris. 7. vide quam promptus ad ea quæ applau-

applaudebant tuæ voluntati, quam tardus ad illa quæ repugnabant, fueris.

Illuminatio. Anima instructa ait : *1mò.* Scio Domine DEUS omnes creaturas etiam irrationales Tibi Creatori suo sine contradictione ad nutum obedire & ego ratione à Te dotatus, mancipium Tuum, toties mandatis Tuis, contraveniendo tam temerarius extiti. *2dò.* Agnosco DEUS impium ac periculosum esse inimico capitali obedire, ejus persvasiones (contempto tuo consilio) sequi, quod ego (proh dolor) aliquoties feci. *3tiò.* Scio per obedientiam, animam meam ligamine conformitatis cum Tua Voluntate strictissimè, uniri, quem tam salutarem nexum ah! quam multoties disrupi *4tò.* Confundor dulcissime JESU, dum Te non solum æterno Patri acerbissimæ Passionis calicem potandum porrigenti, sed impijs judicibus, sævis tortoribus, usq; ad mortem crucis obedientissimum video; quibus ut vestes exueres, purpuram indueres, alligatus ad columnam tot vulnera reciperes, spineam coronam acceptares, Crucem humeris bajulares, ad clavos manus pedesq; porrigeres, & aliâ impia imperantibus, promptè obtemperasti: & ego impius peccator, non solum in consilijs sed in præceptis Tuis ad salutem animæ meæ proficuis, quam refractarius fui. *5tò.* Fateor Superiorem esse Tuum Vicarium; ita ut qui eum spernit, Te ipsum spernat, quem ego toties contempsi, ejus mandata nihili duxi. *6tò.* Quid magni, si ego pulvis & nihil propter DEUM me homini subdo; quando JESUS, verus DEUS Omnipotens Rex regum, & Domi-

nis

nus dominantium abjecto homini propter me humillimè se subdidit.

Vnio. 1. Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum. 2. Omnia volo, nihil volo in toto corde meo in æternum. 3. Fac dignissime DEUS, ut sim mancipium & jumentum dignitatis tuæ. 4. Fac ut ego totus, quantus quantus sum cum omnibus potentijs & actionibus semper deserviam exaltandæ dignitati Tuæ. 5. Fac ut unica mea sit cogitatio & cura omni meliori modo magnificare gloriam tuam & Tibi servire. 6. Desidero meipsum Tibi in spontaneam oblationem offerre, & Tuus perpetuò permanere, omnem voluntatem meam in Tuam transfundo. 7. Fiat Domine fiat voluntas Tua; in me & de me, fiat in tempore & æternitate. 8. Domine nihil sum, nihil possum sine Te; operare in me quod vis, quod scis, quod à me requiris. 9. Rege affectus, corrige actus, dirige gressus 10. Utere me Domine in tempore & æternitate. 11. Fac me Domine JESU Superioribus obedientem sine contradictione, ut illis pro amore Tuo non solum in præceptis, sed in consilijs obtemperem 12. Domine JESU, semel pro semper statuo Superioris etiam austerrimi (modo mala non præcipientis) nutum impleturum, arduis mandatis satisfacturum, nil de me ordinaturum. avidius ignobiliora officia subiturum. 13. Æterna sapientia suggere mihi quid me vis facere de Te, de me, à meis quibus me servire jussisti. 14, Obedire volo ex toto corde omni creaturæ præpositæ mihi à Te propter Te, secundum Te.

Oratio

Oratio pro Christianitate, & pace inter Principes Christianos. Pacta Scalæ 3tiæ. Meditatio de miserijs. Actus Charitatis DEI & proximi.

DIES IV.

Recollectio 2di Voti, scilicet Paupertatis.

PVrgatio. Conscientia se examinat. 1. Recogita quomodo mundo ejusq; Vanitatibus renuntiasti. 2. si aliquem affectum ad res temporales, sc. ad honores, voluptates, libertates &c. non habuisti. 3. si paupertatem Evangelicam gaudenter propter imitationem Christi, omnem rerum penuriam lætanter acceptando verè amas, 4. si nulla chara, cara, rara, superflua appetis. 5. si solis simpliciter necessarijs ad vitam sustentandam sine animi repugnantia contentus manes, imò & his indignum te esse agnoscis. 6. si in defectu necessariorum nullam sensualitatis remurmurationem acceptas, imo de hoc defectu gaudes, volens esse in paupertate conformis Christo. 7. si necessaria non avidè nec scandalosè acquiris. 8. acquisita sinè amore tenes. 9. si de amissione eorum non turbaris. 10. si de amissis non doles. 11. si fiduciam in DEI providentia de suppeditatione necessariorum collocas. 12. si nihil proprietati tuæ adscribis. 13. Nil coram Superiore celas. 14. Nil sine licentia Superioris procuras, nil accipis, nil retines. 15. Nil apud Sæculares deponis, nil disponis secundum suam voluntatem, nil donas sine scitu Superioris. 16. si rem

si rem usui, communitatis, aut particularis fratris destinatam accipis, proprio usui accõmodas, vel eam alteri sinè licentia donas. 17. si Conventum vel Cellam tibi approprias; multo magis si ibidem contra voluntatem Superioris manes.

Illuminatio. Anima illuminata dicit. 1. Scio Magister mi, quod dùm dives esses, & nullius egeres, pauper & exul in mundo propter me fieri non erubuisti: & ego miser & nudus divitias ne appetam. 2. sufficit mihi dulcissime JESU ad consolationem in mea egestate, si Tuæ paupertatis magnitudinem intentus aspexero. 3. Confundor Salvator mi, dum Te Regem regum, Dominum dominantium, in nativitate nudum, in vita pauperrimum, ad Crucem spoliatum, in Cruce sitientem, uno haustu aquæ carentem intueor: & me sufficientibus non contentum, superflua appetiisse commemoro. 4. Ah vereor gravissimam, sed justissimam punitionem Tuam, dum in schola austeritatis, & paupertatis, paternæ tuæ providentiæ, in sustentatione mei sufficienti ingratus, hanc commoditatem aliquando appetij, quam in mundo vix habuissem. 5. Fateor imperfectionem meam, ob quam erubesco dùm voto altissimæ paupertatis obstrictus, verus non extiterim Tui imitator. 6. Nudus es JESU, & nudum Te esse factum propter me toti mundo ostentas; & mihi miserrimo grave videbitur carere superfluis. O si addiscerem etiam carere necessarijs: quanto paucioribus egeo, tanto minus terrenus sum, resolvam me aliquando, ut nudus propter Te JESU mi esse incipiam.

Vnio

Vnio. 1. JESU jam moriar mundo, vivam Tibi. 2. Gaudeo quod Te pauperrimum sequar. 3. jam me nihil à paupertate Tua abstrahet. 4. Fac me pauperem sine defectione. 5. cupio à mundanis dissolvi, & esse cum Christo. 6. Omnia quæ mundus immundus habet & æstimat; arbitror ut stercora propter Te amantissime JESU, ut Te lucrifaciam. 7. Renovo inflammato desiderio paupertatis meæ votum, nullam rem mihi prorsus adscribendo. 8. Nil volo nisi Te dulcissime JESU, Tu thesaurus meus, deliciæ meæ, divitiæ meæ, possessio mea, sis totus meus, & ego tuus. 9. DEUS meus, & omnia. 10. Vilescant mihi Domine omnia transitoria, & chara mihi sint omnia Tua, propter Te, & Tu DEUS meus plusquam omnia. 11. Quam sordet mihi terra, dùm cœlum intueor: 12. O JESU, ô MARIA, amores mei dilectissimi, totus sim vester, nullus meus.

Oratio pro extirpatione Hæreticorum, Paganorum conversione &c: Pacta Scalæ 4tæ Meditatio de Morte. Actus ex Humilitate.

DIES V.

Recollectio *tertij voti scilicet* Castitatis.

PUrgatio. Conscientia se examinat. Perpende. 1. qualiter hosti animæ tuæ & concupiscentijs ejus insurgentibus restitisti. 2. Quam segniter in commotione sensuum, Spiritum ad DEUM elevasti. 3. Vide si mentem immundis cogitationibus

non.

non occupasti. 4. si eas negligenter rejecisti. 5. si assensum eis præbuisti. 6. si commotionibus sensualitatis, conversatione incauta, vel colloquio inhonesto, vel cibi potusq; excessu, vel visus aliorumq; sensuum incircumspecta curiositate, aliovè motivo occasionem dedisti, si verba minus honesta cum scandalo aliorum protulisti 8. si lectioni materiæ luxoriosæ extra necessitatem, vel cum periculo Spiritualis ruinæ operam dedisti. 9. Perpende, quomodo jejunia vigilias, aliaq; mortificandæ carnis remedia acceptasti. 10. vide qualis fuit vitæ tuæ puritas. 11. qualis reprimendæ sensualitatis promptitudo. 12. qualis in verbis decentia, cum mundanis in conversatione, & de mundanis cautela. 13. qualis in negotijs agendis circumspectio. 14. qualis sensuum mortificatio. 15. si aliqua corporis proprij non fuit conniventia. 16. in suppeditatione cibi vel potûs quam remissa vel nulla appetitûs refrenatio.

Illuminatio. Anima instructa Christum alloquitur. 1. Scio castissime JESU, te castarum mentium intimum esse amatorem. 2. Castitatem esse honorem corporis nostri, quo ab impuritate educitur bestiarum, & in similitudinem evehitur Angelorum. 3. Agnosco dulcis JESU incastos Tibi gravissima intulisse flagella, ut eorum spurcitias pretiosissimi Sanguinis balneo ablueres. 4. JESU dolorose plus sex millibus plagarum steterunt in Corpore Tuo, & lubet vel eo pretio voluptatem mercari. 5. quot plagæ, totq; linguæ; quot guttæ, tot verba; quot vulnera, tot ora, quibus dulcissime JE-

me JESU animam meam rogas, ut ab hac cogitatione voluptate concupiſcentia illecebris, &c. abſtineam: an hanc æquam DEI mei petitionem repudiabo? 6. JESUS meus doloribus preſſus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? abſit Domine abſit; non decet ſub ſpinoſo capite membrum eſſe delicatum. 7. Jam agnoſco, quia dùm ſenſualitati in cibo, potu, ſomno jocis, alijſq; commoditatibus indulgeo, flammam hoſti meo, quâ me exurat ſuppedito. 8. Addiſcam tandem à Te JESU tractare carnem meam, verbere fame, ſiti, fatigatione: frigore, duritie alijſq; incommoditatibus, ut ſic eam ſecundum mundum odiens, ſecundum Te amem. 9. O quam citò tranſit carnalis delectatio, quàm longa inſtabit crûciatio!

Vnio. 1. Malo mori quam fædari. 2. O caſtitas! o cordis puritas! amo, deſidero, voveo te 3. Tu Domine cor mundum, corpus caſtum, mentem puram crea & conſerva in me. 4. Deteſtor omnem carnis & mentis fæditatem coram Te propter Te. 5. Fac me caſtum ſine corruptione. 6. O mentem amentem, quæ aliquando fædis coinquinata es cogitationibus. 7. Exhorreſco peccata carnalia, ut æterna evadam incendia, 8. Redemptor mi extingve in me humorem libidinis, ut maneat in me virtus caſtitatis. 9. Sponſe Cæleſtis tibi ſoli animam meam deſpondeo, nullum præter Te amatorem admitto; Tibi ſoli ſervo fidem, Tibi me tota devotione committo, ut carnis ſpurcitias immaculato calle tranſeam. 10. O quam durè tractanda eſt mea caro rebellis, ſiquidem Chriſtus tam immaniter ſu-

ter suam innocentissimam affligi passus est. 11. O quis det in simplicitate & sinceritate, ac puritate cordis Te diligere, Te potiri. Tibi jungi.

Oratio pro Parentibus, Consanguineis, Benefactoribus Amicis, inimicis. Pacta 5*ta* Scalæ. Meditatio de Judicio. Actus Patientiæ.

DIES VI.

Recollectio Humilitatis.

PVrgatio. Conscientia se examinat. 1. Perpende quantum in humilitate defecisti. 1. teipsum magnifaciendo 2. superbos conceptus circa appetentiam bonorum, officiorum &c. admittendo. 3. DEI dona tibi gratiosè impertita, industriæ propriæ adscribendo. 4. ab alijs laudari desiderando. 5. verba vanam gloriam spirantia cum audientium scandalo proferendo. 6. propriam laudem cum injuria alterius, vel cum rei falsitate promovendo. 7. pro laudis defensione cum alijs contendendo. 8. de alijs malè cogitando. 9. alios contemnendo, bona facta extenuando 10. alterius prosperitatem cum invidia, adversitatem cum gaudio acceptando.

II. Cogita, circa vanam gloriam. 1. qualis fuit in tuis bonis operibus intentio. 2. qualis in laude complacentia. 3. qualis displicentia in vituperio. 4. qualis contemptus alienæ famæ, operis, talentorum &c. 5. qualis reverentia Superiorum. 6. qualis æstimatio fratrum.

Illuminatio. Anima sic instructa ait 1: Obstupe-

ſco Rex cæli & terræ, profundiſſimam tuam humilitatem, dum Te toties irriſum, ſpineá coronâ contemptuoſe redimitum, latroni Barabæ poſtpoſitum, in medio latronum in patibulo crucifixum, alioſq; contemptus probroſos perpeſſum video, ad confundendam ſuperbiam meam. 2. Scio in quanto odio habeas ſuperbos, eorum conatibus reſiſtendo, humilibus gratiam largiendo. 3. Video Te repudiaſſe illa omnia quæ mundus admiratur, & in amore habet. 4. Elegiſti pro divitijs extremam paupertatem, pro honoribus contemptum, pro delitijs pænas; irriſionem pro favoribus. 5. Exinaniſti temetipſum DEUS Majeſtatis, ut humiliari diſceret pulvis & nihil. 6. Domine JESU ad cujus Nomen genu flectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, inter plagarios, patibularios, ſceleratos; reputaris; & ego omnis Vanitatis Vanitas magnus inter homines ambiam reputari. 7. Intolerandæ ſuperbiæ eſt ut ubi ſuprema Majeſtas, humiliatur, ibi vermiculus infletur & intumeſcat. 8. O Domine JESU miraculis coruſcans, Nomen Tuum ſileri ab his quos ſanabas, jubebas, Crucifixus, titulum Tibi adſcribi & Nomen Regis addi ad confuſionem Tuam volebas: ah! quam ego ſum contrarius, dùm aliquid mali probroſi, ſubij vel commiſi, ſileo & latere cupio; bonum aliquod etiam exiguum faciens, neminem neſcire volo. 9. JESU pendes cum latronibus, me pudet agere cum vilibus. 10. Viciſti Domine JESU viciſti meam ſuperbiam, profundiſſima humilitate tuâ. 11. Jam nihilum meum contemplor, facili-

tatem cadendi cognoſco, omnium creaturarum miſerrimum, viliſſimum, inutiliſſimum, ingratiſſimum, ſtultiſſimum, peccatorem graviſſimum eſſe me experior. 12. Itaq; infra omnes homines, imò infra omnes creaturas, in profundum vilitatis meæ propriam cognitionem deijcio.

Vnio. 1. Domine DEUS adoro, glorifico, & ſuperexalto Te latreutico cultu ſoli Tibi debito totò me. 2. Subdo me Tibi æternaliter ad omnia toto me. 3. Vilifico me coram Te, & coram omni creatura propter Te totò me. 4. Diffido mihi per omnia & ſoli Tibi confido, omnia Tibi attribuo bona, & reſtituo; mihi meum nihil reſervo. 5. In profundum nihileitatis, meæ me demitto. 6. Humilio me ſub potenti manu Tua, & ſub manu omnis creaturæ, propter Te.

Oratio pro obſtinatis, in peccatis. Pacta 6tæ. Scalæ. Meditatio de inferno. Actus Obedientiæ.

DIES VII.

Recollectio Patientiæ.

PVrgatio. Conſcientia ſe examinat. Conſidera quam impatiens fuiſti corde, Ore, Signo, Opere. *Corde* Perpende. 1. ſi aliquam iram, affectum vindictæ, imprecationem infortunij, lætitiam ex proximi damno in corde contra proximum foviſti. 2. Si zeloſe minimum contemptum ulciſci, voluiſti. 3. Si rancorem ſtatim ex corde non rejeciſti. *Signo.* Si minaci vultu, toruo oculo, ſtridore dentuim. rugoſa fronte, alijſq; minacibus ſignis excandeſcen-

tiam

tiam iræ ad conturbandum, terrendum, vel ſcandalizandum proximum, demonſtraſti. *Ore.* Si aliquem verbis injurioſis, inhoneſtis, infamibus diſhonoraſti; Si ad minimam offenſam, verbis execratoriis, maledictis fratrem affeciſti; Si ex motu iræ defectus naturales vel morales fratri exprobraſti; ſi eos palam coram alijs publicaſti; ſi eum innocenter coram proximo calumniatus es; ſi falſa ex odio vel vindicta coram Superiore adverſus fratrem depoſuiſti. *Opere.* Si aliquam injuriam, vel damnum in fama, bonis &c: proximo intuliſti, vel ei directè aut indirectè ſc: per ſe vel per alium nocuiſti; ſi reconciliari noluiſti. *Adverte*, immortificationes proprij tui judicij & Voluntatis reſpectu DEI, Superiorum, & aliorum. I. Reſpectu DEI. Vide. 1. cum quanta reluctatione voluntatis adverſitates à DEO in te permiſſas acceptaſti. 2. quàm moleſto animo jejunia vigilias, labores, fatigationes, tentationes, anxietates, aliaſquè vitæ religioſæ auſteritates propter DEUM ſuſtinuiſti. 3. cùm quanto faſtidio & murmuratione modicum defectum cibi, potûs, veſtitûs, ſupportaſti. II. Reſpectu Superioris, attende. 1. quàm impatienti animo, humiliationes, confuſiones, correptiones, aliaq; paterna & ſalutaria contra infirmitates tuas remedia à Superioribus acceptaſti: contra eoſdem plerumq; ſcandaloſè locutus fuiſti, alios ad murmurandum induxiſti. 2. quomodo dum ad placitum non eſt ſubventum à Superiore delicatæ tuæ commoditati conqueſtus fuiſti. III. Reſpectu proximi. 1. quàm impatienter deſpecti-

ones. oblocutiones, vexationes, contumelias, irrisiones (aliquando inconsideratè vel ex confidentia) tibi illatas, tulisti. 2. quomodo de sinistro erga te proximi affectu, vel ex levi ac plerumquè nullo indicio, suspicatus es. 3. quàm molestè imperfectiones & defectus quandoq; minimos proximi acceptasti: quomodo teipsum, vel proximum aliosq; ad turbationem induxixisti. 4. quàm importuno zelo castigandi, corrigendi ad minimos defectus alterius (quamvis nihil tibi intererat) excanduisti.

Illuminatio. Anima sic instructa ait. 1. Patientissime JESU totus tremo dùm Te innocentem patientissimum, me verò nocentem impatientissimum agnosco. 2. in tantis injuriis tam mitis es, in tantis doloribus tam patiens, in tanta desolatione tam constans 3. ego reus sum; & Tu pro me ad crucem damnaris. 4. ego peccâvi, & Tu flagellaris, doloribus, itineribus consumptus, Viribus destitutus: & ego minimo labore fatigor, minimâ molestiâ turbor 5. obstupesco, dùm commemoro, quàm benignum Te omnibus exhibuisti. adversa patienter tolerasti, admirabili silentio ad omnes injurias, convitia, ludibria blasphemias &c: conticuisti; excusationes nullas adhibuisti, neminem loquacitate offendisti: Si Tu Dominus & Magister tulisti pro me probra, colaphos patibulum, & ego pro Te levem injuriam & contemptum non patiar? 6. Scio Domine, quod ex Tua justitia pro unoquoq; peccato, quorum tot millia commisi, jam à tot annis æterna promeruerim.

rim tormenta, & ecce modicam temporalem angustiam ex misericordia tua gratiosissime collatam repudiabo? 7. Sic non possum una hora vigilare tentari, infirmari vexari, adversa tolerare Tecum. 8. Tristis & desolatus aliquando sum, sed numquid & Tu usq; ad sanguineum sudorem, usq; ad crudelissimam mortem fuisti? 9. Hæc oportuit Te pati; & ita intrare in gloriam Tuam & ego nil patiendo, possumnè intrare in alienam? 10. Quid est o anima, quod magis recogitas modicas Tuas injurias, quam tam acerbos Christi cruciatus? Nisi quia pluris te æstimas, quam Christum: quid est quod facilius moveris contra facientes tibi mala, quàm contra persequentes Christum? nisi quia magis tibi per sensualitatem quàm Christo per amorem adhæres? quid est, quod in adversis justè tibi illatis multum doles? Christo verò injustè afflicto non compateris? nisi quia plus te, quàm Christum diligis. 11. Plus diligis pedem tuum, quàm Caput JESUM Christum; nam pl⁹ compateris pedi tuo in modica afflictione, quàm Christo in tam gravissima passione & morte: plus tendit cor tuum ad alligandum pedem tuum, quàm ad amandum Christum; plus ad condolendum pedi, quàm ad compatiendum Christo. 12. O anima si belluam, si canem in hoc rerum statu videres, indoleres procul dubio; Filium DEI tam male exceptum sine dolore, sine lachrymis sine compassione intueris?

Unio. 1. Patientissime JESU, qui in passione tua singulis momentis novo fervore, novos do-

lores subibas pro me: fac ut ego singulis momentis recenti spiritu tuæ cruci alligati tibiq; placere & conformari studeam 2. Pungant me mi JESU propter Te miseriarum spinæ vitæ hujus: da ut plus delecter spinis Tuis, quam mundi rosis, sit mihi omnis mundi consolatio spinea; sit omnis afflictio propter Te rosea. 3. O utinam hoc sentiam in me, quod video in Te propter me. 4. Auge gratiam, da patientiam. Domine aut pati aut mori. 5. Nolo vivere sine vulnere, quia Te video vulneratum. 6. O JESU da ut ego libenter patiar pro Te, qui pro me pati & mori dignatus es in Cruce. 7. Omnia volo mala pati in toto corde meo in æternum. 8. Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum. 9. Fac me Domine fundere sanguinem meum pro Te, quia Tu fudisti tuum pro me. 10. Fac me patientem sine murmuratione. 11. Doce me patientiam Tuam. 12. Moriar mihi, vivam Tibi. 13. Da pati, da tolerare. 14. Habebo à modo paupertatem pro divitijs, humilitatem pro gloria, patientiam pro requie propter Te patientissime JESU. 15. O JESU loquere tot linguis, quot plagis: tot verbis, quot guttis; tot oribus, quot vulneribus loquere ad animam meam: erudi cor meum, ecce audit servus tuus. 16. O latus apertum! o vulnus piissimi mei Redemptoris! in te volo requiescere, dormire mori. Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo quoniam elegi eam.

Oratio pro Agonizantibus. Pacta *7ma* Scalæ. Meditatio de Gloria cælesti. Actus paupertatis & Sobrietatis.

DIES VIII.

Recollectio Charitatis erga DEUM & proximum.

PVrgatio. Conſcientia ſe examinat. Perpende, quantum defeciſti in amore erga DEUM & proximum. I. erga DEUM. 1. quàm oſcitanter DEUM amaſti. 2. quam deſidioſo ſervitio beneficia à DEO accepta recompenſaſti. 3. quàm tardus ad implenda præcepta, ad arripienda conſilia, ad acceptandas ejus influentias fuiſti: 4. Quomodo non filiali propter DEUM ipſum, ſed mercenario amore, propter mercedem DEUM dilexiſti. 5. quam multoties ipſiſmet beneficijs eum offendiſti.

II. erga proximum. 1. vide, quia proximum non ſicut te dilexiſti. 2. multoties ei apparenter ſolum amorem monſtrando. 3. bona non toto affectu apprecando. 4. in neceſſitate ope conſilio &c: pro poſſe non ſubveniendo. 5. quandoq; adverſitati ejus & miſeriæ non condolendo, imò de ea lætando, de proſperitate triſtando. 6. modicos defectus omnibus propalando. 7. eos irridendo, ex minima cauſa animum ab eis avertendo.

Illuminatio. Anima ſic inſtructa ait. 1. O fons omnis amoris amātiſſime Deus, experior exceſſivum amorem Tuum. 1. dūm me ex nihilo creatum, imagine Tua decoraſti. 2. captivum acerbiſſima morte redemiſti. 3. perditum tantis laboribus inveniſti. 4. Vulneratum pretioſiſſimo Sanguine

ſanaſti

ſ naſti. 5. mortuum, peccatis, turpiſſimâ morte; vivificaſti. 6. pauperem ſalutari gratiâ ditaſti. 7. exulem promiſſione patriæ cæleſtis per merita paſſionis Tuæ aſſecuraſti. II. Amas me Omnipotens Pater ex toto corde, imaginem Tuæ Divinitatis in creatione mihi impertiendo. III. Amas me dilectiſſime Fili ex tota anima, Animam Tuam pro anima mea in remptione ponendo. IV. Sanctiſſime ſpiritus amas me ex omnibus Viribus, omnem curam in juſtificatione mei adhibendo. V. Amas me ex tota Divinitate Tua Unus in TRINITATE DEUS, Te totum mihi indigniſſimo in glorificatione promittendo: VI. Amas me ô amator meus Chriſte JESU, exceſſivo amore, dùm mihi Te naſcens dediſti in ſocium; conveſcens, in edulium; Te moriens, in pretium; Te regnans das in præmium. VII, O JESU quot labores, quot dolores, quot angores pro amore mei ſubijſti; plus de me curans, quam ego de Te, quam ego de me. VIII. O JESU quam confundor, dûm Te in Cruce tam extenſum intenſiſſimis doloribus, undiq; preſſum: à circumſtantibus Crucifixoribus irriſum video; & tamen non attendis Tuam injuriam non reputas pænam, non ſentis contumelias; imò à quibus pateris, illis compateris; à quiibus vulneraris, illis mederis; à quibus necaris, llis procuras vitam, reconcilias gratiam, promereris (quantum ex Te eſt) ſufficientiſſime gloriam. IX. Jure merito ſponſe animæ meæ totum cor meum deſideras, cùm prior Teipſum ultro mihi totum impendiſti. X. Præcepiſti Te amari ex toto cor-

to corde, ſed priùs lancea latus Tuum transverberari voluiſti, ut eo patefacto cor Tuum mihi donares. XI. Jubes Te amari ex tota anima, ſed prius animam Tuam pretioſiſſimam mærore confici, & ad mortem uſq; coanguſtari voluiſti. XII. Mandas Te ex omnibus viribus amari, ſed prius mei amoris gratiâ, omnes vires Tuas in Cruce conſumpſiſti, uſq; adeo, ut eis contritis & exhauſtis in manus Patris ſpiritum exhalaveris. XIII. Vix pro juſto quis moritur, Tu JESU pro impiis paſſus es, moriens propter delicta noſtra: veniſti gratis juſtificare peccatores, ſervos faciens fratres, captivos Cohæredes, exules Reges.

Vnio. 1. O exceſſiivum amorem! cur ego totum cor non tradam DEO, qui totum ſe mihi, & pro me obtulit. 2. O miſericors DEUS, quod à me requiris ut faciam, tribue ut ſciam, & da exequi ſicut oportet, & expedit animæ meæ 3. O JESU, utinam vulnerer pro Te, utinam totum cruorem effundam pro Te, utinam moriar pro Te. 4. Utinam nullibi inveniar niſi in vulneribus Tuis. 5. Proh! amor non amatur, amor non amatur. 6. DEUS meus amor meus, ego totus Tuus, quia Tu totus meus. 7. O anima mea, ama amatorem tui, à quo amaris, cujus amore præventa es, qui eſt cauſa amoris Tui. 8. Si amare pigebat, redamare non pigeat. 9. O DEUS, vita & gloria mea, amor meus, uni me Tecum inſeparabiliter. 10. Transforma me totum in Te 11. Do me totum pro Te toto. 12. O dulciſſime JESU, ecce anima mea ardet, æſtuat flammeſcit in Te tota ſe; tota

ignescit

i nescit & ebullit in Te, ad Te, usq; ad defectionem, usq; ad langvorem, usq; ad mortem. 13. O quam dulcis sapor iste, qui Te gustat JESU Christe, Tuo victus à dulcore, mori posset præ amore, Te unum amans unice. 14. Amo Domine omnem hominem etiam inimicum sicut me ipsum propter Te: amo omnem creaturam in Te, pro omni creatura amo te, toto me in æternum Amen.

Ora pro Defunctis.

Pacta *Sala 8væ.* Et Amoris DEI & proximi. Post finitam Recollectionem sequenti die, elice Pacta Scalæ *9næ* imò congruum est ut Pacta omnium Scalarum repetantur.



TRACTATUS V.

De Virtutibus.

Descriptio Virtutum Asceticarum. Ac *Triplicis differentiæ vitiorum.*

INSTITVTIO I.

De virtute Ascetica in communi, & ei opposito triplici vitio.

DIcendum est. *imò.* Quod Virtus Ascetica duplex habeatur. Exterior nimirum & Interior Virtus quidem *exterior,* statuit finem suarum actionum honestatem extrinsecam: cui honor vulgaris &

ris & fama popularis competit. Dicit autem elegantiam morum atq; decentem sensuum & membrorum corporis compositionem, in loquendo videlicet, gradiendo, conversando, bibendo, comedendo, & similibus, quæ prorsus tam Religiosos quàm Sæculares faciunt hominibus commendabiles. Dicit præterea exteriores observantias claustrales, ex institutione Sanctorum Patrum ordinatas, ad proximorom ædificationem, & ad virtutis internæ promotionem, custodiam & ornamentum. Attamen propriè loquendo præsens virtus, non est virtus, nisi merum virtutis signum; quod ubi habetur absq; suo significato, dicit ascetam non nisi secundum ipsam apparentiam & denominationem extrinsecam virtuosum ac spiritualem. Idcirco S. Paulus discipulum suum Timotheum censuit admonere. 1. *Tim*: 4. Exerce teipsum ad pietatem (id est applica te ad studia internæ virtutis) nam corporalis exercitatio (id est, applicatio ad studia externæ virtutis) ad modicum utilis est; pietas verò (largè sc. sumpta omnem compræhendens internam virtutem) ad omnia utilis est, habēs promissionē vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Virtus autem *Interior* statuit finem suarum actionum, honestatem intrinsecam, expectantem præmium vitæ æternæ: cui opponitur dedecus culpæ, & omnis inordinatio mentis atq; obliquitas intentionis. Jam verò præsens virtus ex parte nominis sui, est quasi vis intus, virum tuens, & virens intus juxta *D. Bonav*: Est quidem vitrus vis intus, multæ postulationi animæ rationalis cæli

tûs do.

tûs donata: ad resistendum tentationibus & vitiorum motibus, & ad aggrediendum ardua pro imitatione Salvatoris nostri, ac majori nominis ejus gloria. Vel alias ad incedendum arctâ viâ, quæ nos ducit vestigiis Christi ad vitam cælæstis patriæ. Est quoq; virum tuens, & virens intus, quia virtutis natura est, virum sibi addictum tueri ab omni labe recidivationis & lapsus in gravia peccata; ejusq; iugiter donis cælestibus virescentem reddere, vel alias præsentiâ suâ decorare, illuminare, inflammare, & perfectum facere. Ex parte autem rei eadem virtus est, bonus animi habitus; atq; sanati affectûs naturalis per gratiam DEI sanctificantem, motus ordinatus. *Vel item*, est bona qualitas mentis, cum gratia DEI justificante illi veniens: quâ animæ rationalis mala qualitas (vitium puta) debellatur: quâ rectè ac ordinatè vivitur; quâ meritum æternæ beatitudinis comparatur.

Dicendum. *2dò.* Quod Virtus interior, alia necessitatis & sufficientiæ dicitur eo quod de lege præcepti sit necessaria, & sufficiat ad vitam æternam consequendam, ideoq; communis est omnium salvandorum. Alia supererogationis, & superabundantiæ dicitur, eo quod sit de lege consilij, ad majus meritum comparandum, & ad vitam gloriæ cælestis abundantiorem consequendam cælitùs ordinata. Ideoq; specialis ac propria bonorum Religiosorum est, ac inde ascetica vocari solet quia ut plurimum in asceterijis acquiritur & exercetur. Addicti quidem priori virtuti ex parte abre-

te abrenuntiant mundo, per abnegationem videlicet principiorum illius pravæ politicæ, & consequenter secundum quid captivant seipsos, & in obsequium redigunt, compescendo pravos motus vitiorum suorum acquisitorum actibus nimirum suæ virtutis. Addicti verò posteriori, ex toto abrenuntiant mundo, per abnegationem principiorum sui juris: & consequenter absolutè captivant seipsos, ac imitationi Christi omnino addicunt, reprimendo pravos motus vitiorum suorum nativorum actibus suæ virtutis.

Nota *1mò*. Quod principia juris pravæ politicæ tria habentur. *1mum est*, Velle consequi licita (uti sunt bona honorabilia, utilia, & delectabilia) modo licito: quæ ubi sic haberi non possunt, velle nihilominùs interim ea consequi modo illicito. *2dum*. Velle se defendere à malo (uti est contumelia, infamia, & quæcunque injuria) mediis licitis: quæ ubi deessent; velle tamen interim defendere se mediis illicitis. *3tium*. Velle sua recuperare publicâ authoritate, aut alijs bonis modis; qui ubi non sufficerent ad ea recuperanda, velle tamen adhunc effectum interea consequendum adhibere modos inordinatos, & privatâ authoritate de inimico sumere vindictam.

Nota. *2dò*. quod etiam principia sui juris tria habentur. *1mum* est: Velle mediis non nisi honestis consequi bona, uti sunt Officia Ordinis, favores Superiorum & similia, suo statui & suis meritis competentia: contra illud consilium Christi. *Luc*: 14. Qui non renunciat omnibus quæ pos-

sidet

siet (*& consequenter quæ assequi expetit*) non potest meus esse discipulus. Et *Matt: 16.* Si quis vult post me venire, abneget (*non solum ad se pertinentia, verum &*) semetipsum, & tollat crucem suam (*adversitatum*) & sequatur me in obedientia paupertate, castitate, humilitate, & similibus. *2dum* Velle se non nisi publica authoritate, modis alias honestis defendere ab infamia, & à quacunq; injuria contra illud consilium Christi. *Matth. 5.* Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam: præbe illi (*id est, sis paratus præbere &*) alteram. Et *1. Cor: 6.* Jam omninò delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos, quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? *3tium* Velle sua recuperare, uti est fama injustè ablata, privatio alicujus officij injuriosa &c: nonnisi publica authoritate. Contra illud consilium. *Matth: 5.* Qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere; dimitte ei & pallium. Nota *3tiò.* quod habitus pravi vitiorum acquisitorum, & innatorum, (uti sunt habitus superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, iræ, gulæ, invidiæ, acediæ,) hoc ipso inter se differunt: quod hujusmodi habitus acquisiti, acquiruntur per actus peccaminosos frequenter iteratos; & sequuntur falsum lumen rationis inferioris, principia pravæ politicæ improbis suis discursibus defendentis: innati verò contrahuntur à parentibus una cum originali peccato, & sequuntur falsum lumen ejusdem rationis inferioris; quod discursibus suis contradicit Christi Domini nostri consilijs, principia defendendo sui juris.

Nota

Nota 4tò. quod nisi quis principia juris pravæ politicæ ut oportet abnegaverit; minimè motus vitiorum acquisitorum superabit: & consequenter minimè via legis præcepti fideliter ac stabiliter incedet, ac virtutem necessitatis apprehendet atq; tenebit, sinè qua salutem cælestis patriæ nequaquam obtinebit. Item nisi quis principia sui juris abnegaverit minimè vitia nativa domabit: & consequenter minimè viâ legis consilij ut oportet ambulabit, & virtutem asceticam complectetur, sine cujus cultu ac studio in sua Religione quietè manere, atq; suæ vocationi ac Professioni satisfacere, prout debet non poterit.

Nota *5tò.* quod sicut virtutes necessitatis una cum gratia justificante cælitùs donatæ, non acquiruntur secundum sui habitus intensionem, nisi per sinceram atq; continuam mandatorum DEI observantiam; ita virtutes supererogationis, nisi per jugem ac diutinam consiliorum Christi custodiam. Et sicut Unum DEI præceptum sinè altero servari non potest ad meritum vitæ æternæ, juxta *D. Iacob: c. 2.* Quicunq; totam legem (*præceptivam*) servaverit, offendat autem (*eam*) in uno (*præcepto*) Factus est omnium (*præceptorum*) reus. *id est* prævaricator: ita virtus sinè altera haberi non potest, nisi aliquid virtutis, seu virtus secundum quid, non vero absoluta. Nam inquit *D. Bonav: in compen: Theol: veril: l. 4. c. 8.* Connexæ sunt sibi virtutes (de gratuitis loquitur) & coordinatæ; ita ut qui unam habet, habeat omnes (puta ut alibi ait) in habitu, si non in actu,

Dicendum *3tiò*. Quod ficut omne vitium quadrupliciter haberi folet, in corde nimirum, figno, verbo, & opere (ut alibi explicabitur) ita etiam quælibet virtus afcetarum habetur quadrupliciter. *Imò*. quidem in corde (non in animali feu corporali, fed in fpirituali) uti eft intimum animæ rationalis, quod puta effe fedem potentiarum fpiritualium; dùm memoria nihil cogitat libentiùs quàm virtutem, id eft, quàm obedire, humiliari, patienter injuriam ferre, caftè viuere &c: dùm intellectus nihil cogitat ftudiofus, quàm ea quæ funt virtutis, uti eft ipfius honeftas, utilitas, divifio, gradus, acquirendi modus, &c: dùm voluntas nihil ardentius appetit, quàm virtutis habitionem, confervationem, & auctionem, in nulloquè magis delectatur, quàm in virtutis exercitio. *2dò*. Habetur in figno. Eft autem fignum veræ virtutis, morum temperies, decora vultûs conftitutio, benignus oculorum afpectus, linguæ modefta & circumfpecta locutio, & omnium membrorum ac fenfuum corporalium moderata ac religiofa compofitio: necnon familiaritas cum viris fpiritualibus, lectiones lib-orum fpiritualium, vitatio vaniloquij, otii, ignaviæ, & focietatis pravorum, atq; grata fufceptio correptionum cum fui emendatione. *3tiò*. Habetur in verbo: dùm quis loquitur de fe ipfo fubmiffa, de alijs verò laudabilia; & in familiari colloquio judicium fuum poftponit alieno, dùm etiam affvefcit bona aliorum narrare ad ædificationem audientium, & mala fubticere ad vitandam diffamationem. Unde Fr: Maffæus

ſæus loquacem quendam monuit hujuſmudi verbis: Scito chariſſime, quod ille qui libenter conſvevit narrare bona aliorum, ſi ipſe malus eſt, cito fiet bonus: ſi verò bonus eſt, cito fiet melior: qui autem de moribus aliorum malis libenter loquitur, ſi ipſe bonus eſt, cito fiet malus; ſi verò malus eſt, fiet continuo pejor. *4tò.* Habetur in opere. Eſt autem opus virtutis, eruditio multorum ad juſtitiam, ac impletio ejuſdem juſtitiæ, humiliatio, obeditio, injuriæ perpeſſio, pauperibus poſſeſſionum erogatio &c.

Dicendum *4tò.* Quod Virtus quælibet aſcetica interior, tribus gaudet gradibus. In *1mò.* gradu ille eſt, qui habet virtutem in acquirendo, ſeu in eſſe inchoato. Cui ſæpè accidit, ut dùm habet virtutem in ratione ſuperiori, vitium in voluntate; & dùm habet virtutem in voluntate, habeat vitium in ratione; & dùm habet virtutem in ratione & voluntate, habeat adhuc vitium in ſenſualitate. Habere autem quis dicitur in ratione virtutem, & in voluntate vitium: quando judicat omninò ſibi eſſe utilem atq; neceſſariam virtutem ad obtinendam vitam æternam, ſciens omnia ejus requiſita: voluntate nihilominùs deliberata, recuſat interim ipſius exercitia, in poſterum ea differendo. Habere verò virtutem in voluntate, & vitium in ratione aliquis dicitur, quando voluntate amplectitur virtutem, libenter, obediendo, aut mala ſibi illata patienter ferendo, ſed Superiorem præcipientem judicat eſſe inhumanum atquè indiſcretum; aut adverſarium ſuum, homi-

nem esse malum minimè DEUM timentem, severe à DEO puniendum &c: Habere tandem aliquis dicitur in ratione & voluntate virtutem, attamen in sensualitate vitium: quando jam tota mente adhæret Christo, ejusquè virtutum studio diligenter incumbit, reluctante tamen Sensualitate; ex qua consurgunt non raró motus tristitiæ, tædij, indignationis, aliijq; similes disciplinæ virtutum contravenientes. Hujusmodi autem vitia eorumq; pravi motus, non superantur à quoquam Religioso ut oportet, quamvis juri suo cedentè, nisi per exercitia meditationum asceticarum continua, per crebro ac instanter ad DEUM orationes jaculatorias, per studium internæ & externæ mortificationis assiduum, per actus Virtutum sæpè elicitos: quos necesse est, ut sint ad imitationem Christi, nominisq; ejus majorem gloriam destinati & charitate ferventes; nam sine hujusmodi directione mentis, & fervore charitatis (per actus videlicet materiales & remissos) non acquiritur virtus seu virtutis habitus (secundum Magistros Spirituales) nisi per actus formales & charitate ardentes. In *2dò* gradu ille est, qui habet virtutem in esse acquisito, seu in esse completo: quam habere aliquis dicitur, quando per multa virtutum exercitia, habitum cujuslibet virtutis, una cum gratia justificante donatum, DEO auxilium præstante proprio labore ac studio fecit sibi intensum: ita ut in ratione jam non audiat aliquem discursum vitio amicum, nisi virtuti addictum; & in voluntate non advertat virtuiti aliquam reluctatio-

ctatio-

ctationem, nisi amicabilem affectionem, & in sensualitate pravos motus interdum consurgentes faciliter vincat solo etiam aliquando sui Spiritûs imperio. Et ut labor ille qui in *imò.* gradu fuit sibi gravis ac difficilis in superando vitio & acquirenda virtute, tandem DEO juvante efficiatur levis, facilis, & amabilis, juxta *D. Aug*: Nullo modo onerosi sunt amantium (Christum scilicet ac ejus virtutem) labores, sed ipsi delectant: sicut venantium, piscantium, aucupantium, & cæterorum talium: in eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. Et *S. Bernard*: Labor (in superandis vitiis & acquirendis virtutibus) vix est unius horæ; quod si plus, non sentio præ (Christi) amore. In *3tiò.* gradu ille est, qui habet virtutem in esse excessivo, qualem is habere dicitur, qui scilicet tam secundum sensualitatem, quàm secundum spiritum, in tantam devenit experientiam internæ pacis ac cælestium, svavis amationis, per diutina & studiosa virtutum exercitia, ut cuncta prospera hujus mundi expetibilia & diligibilia, fiant illi detestabilia & aversabilia, tanquam occasionaliter mala, ac eâ causâ à Christo (*Isaiæ 7.*) reprobata; & è contrario omnia adversa ac mala sibi illata fiant illi amabilia & desiderabilia, tanquam occasionaliter bona, eaq; causâ à Christo electa, & ad ejus imitationem exercendam cælitus sibi (*Philip: 1.*) donata: unde sic superatis hujus mundi prosperis & adversis gaudens & jubilans, ac exultans, uti Victor in Christo occinere licitum habet *Psalm: 83.* Cor

meum (id est, spiritus meus, qui alias cor ac intimum animæ rationalis dicitur) & caro (id est, sensualitas) mea, exultaverant (tantâ reportatâ victoriâ) in DEUM vivum. Velut quippe excessu sui practico extra mundum & supra seipsum in Christo constitutus, ac in eum transformatus; non quidem secundum esse essentiale, sed secundũ esse passibile, habituale, & actuale. Ut dicere possit illud *D. Paul: Gal:2.* Vivo ego jã non ego, Vivit verò in me Christ⁹.

Dicendum. *5tó.* Quod omnes propter Christi imitationem semitis virtutum incedere cupientes cavere debent extrema earum, juxta *Deut:* 5. Non declinabitis neq; ad dexteram, neq; ad sinistram: cùm virtus in medio duorum extremorum consistat: quorum alterum dicitur defectus, alterum excessus. Unde *S. Basil:* Virtus est quædam inter excessum & defectum mediocritas.

Nota inde. Non quemlibet defectum & excessum esse malitiam seu vitium, sed solum à dextris & à sinistris ipsius virtutis constitutum: nam infimum virtutis, alias infimus gradus, quem Ascetæ vocant primum; dicit imperfectionem, atq; defectum ejusdem virtutis, respectu sui Superioris gradus: Supremum verò virtutis vel alias supremus ejus gradus, quem Ascetæ vocant tertium, dicit ejusdem virtutis excessum, seu ipsam virtutem in excessu; eò quod ita excedit in fervore, ut quidem ulterius procedere nequeat: eo quod defensorem amatoremq; sui excedere faciat modum ordinarium in defendendo Ascetis communiter usitatum, atq; recurrere ad actus extraordinarios

rios alias heroicos & excellentes, ac ipsi DEO (cujus instinctu speciali promoventur) gratissimos; quamvis passim non imitandos, sed admirandos. Talis fuit actus S. Benedicti, dùm in tentatione venerea pro tuenda castitate periculo se exposuit vitæ perdendæ, nihil æstimans totius corporis sui acutissimis spinarum aculeis lacerationem & compunctionem, & similiter S.P. Francisci.

His de virtute gratuita, & consequenter Ascetica in communi positis, jam in singulari de unaquaq; virtute dicendum venit; ac post modum de unoquoq;vitio hujusmodi asceticæ virtuti opposito. Primum quidem de virtutibus Fidei, Spei, & Charitatis, quibus DEO adhæremus & conjungimur; & vitium acediæ debellamus. Postea verò de virtutibus quibus imitamur Christum, uti est Charitas proximi pugnās contra invidiam. Obedientia & humilitas, expugnantes superbiam, Paupertas Evangelica, avaritiam extingvens. Castitas ascetica comprimens luxuriam. Patientia superans iram, Sobrietas, compescens gulam. Cæterum pro majori facilitate in progressu practico Virtutum, non incongruum videtur addere sequentia.

MODUS.

Practici exercitij virtutum.

ASsumenda est quolibet anno, vel melius mense, aliqua virtus in particulari spectanda, procuranda, promovenda, & aliquod vitium expugnandum. Itaq; ad initium Mensis. *Imò* Specialem præmitte devotionem & mortificationem pro

impetrandis auxilijis divinis: dicitur enim *Ioann: 15.* Sine me nihil potestis facere. Et *D. August:* Nostrum est velle, sed voluntas ipsa, & admonetur ut surgat, & sanatur ut valeat, & dilatatur ut capiat, & impletur ut habeat. *2dò*, Diligenter perlege in hoc Tractatu Institutionem quæ erit de vitio illi virtuti (præsertim morali) opposito, quam intendis assumere. *v. g.* Vis assumere humilitatis exercitium, lege Institutionem 13. de superbia, benè advertendo an & qui ibidem descripti superbiæ gradus, actus, & signa reperiantur in te: ut sic teipsum agnoscas perfectissimè, quid in te lateat, sicquè displiceas tibi, & avertaris à vitio. *3tiò.* Concipere debes desiderium ferventissimum oppositæ virtutis, v.g. humilitatis; cujus desiderij motiva facile habebis perlegendo institutionem 10. de Virtute humilitatis, & specialiter commendationes illius virtutis. *4tò.* Perlege gradus quibus & quomodo intenditur virtus, & actus propone exercendos per Hebdomadas Mensis, idq; juxta seriem descriptam ad finem cujuslibet institutionis de Virtute. Asvesce etiam ad pulsum cujuslibet horæ, quamvis tenuiter reminisci propositæ virtutis, ac pij illius desiderij ad illam; certum numerum actuum ante & post meridiem eliciendorum tibi assignando. *5tò.* In Recollectione Vespertina speciale instituas examen. an sc. statim ab intio advertentiæ intellectûs, primis motibus vitij illius restiteris? An proposita tua de vitio minuendo, virtute augenda ad effectum deduxeris? An occasiones vitij mortificandi, virtu-

tis exer.

tis exercendæ quæsieris, vel oblatas libenter habueris? An determinatos actus elicueris? desideria ad pulsum horæ renovaveris? Si verò adverteris in his te defecisse, vel intermisisse; tunc si ex pura oblivione, vel urgenti aliqua causa omisisti, ea omninò indispensabiliter statim recompensa tot actibus, saltim in affectu & parato animò: si autem ex tepiditate neglexisti, eadem similiter repete, & insuper teipsum punias tot ictibus particularis disciplinæ vel alia proportionata illi vitio mortificatione, quot actus eliciendos omisisti; & renova proposita ac desideria Virtutis. *6tò.* Ultima die Mensis, specialius & universalius institue examen de exercitio præteriti mensis, & cum majori sui confusione, humiliatione, ac in pænam sui aliqua extraordinaria mortificatione conclude.

INSTITVTIO II.

De Fide.

DIcendum est *1mò.* quod fides variè accipi solet apud Sacros Scriptores. *1mò.* quidem pro fidelitate & sponsione, ut est *Ierem*: 7. Periit fides & Sanctus de terra: qui nimirum fideliter & Sanctè servet mandata DEI. *2dò.* Pro conscientia bonæ fidei quæ credit licitè aliquid esse faciendum vel omittendum. Ut est *Rom*: 14. Omne autem (factum vel omissum) quod non est ex fide, peccatum est. *3tiò.* Pro facilitate credendi, ut est *Matth*: 8. Non inveni tantam fidem in Israël. *4tò.* Pro devotione ac fervore fidei, ut *Matth*: 15. O mulier magna est fides tua. *5tò.* Pro actu excellenti.

Ut *Luc*: 7. Fides tua te ſalvum fecit. *6tò.* Pro objecto materiali, id eſt pro articulo fidei. Ut eſt *in Symb*: *S. Athan*: Fides autem Catholica (quoad iſtum articulum) hæc eſt. Ut unum DEUM in Trinitate, & Trinitatem in Unitate Veneremur. *7mò.* Pro objecto formali, ut *Galat*: 3. Prius autem quàm veniret fides (id eſt, Chriſtus qui auctor fidei dicitur *Habr*: 12.) Sub lege coſtodiebamur concluſi, in eam fidem, quæ (per Chriſtum & ejus Apoſtolos) revelanda erat. Objectum enim formale fidei eſt authoritas Chriſti, ut eſt verax DEUS cum Patre & Spiritu S. vera ſc. ac certa & infallibilia Eccleſiæ ſuæ revelans, & ad credendum proponens. *8vò.* Pro fide informi, id eſt, pro fide peccato mortali deformata. Vel item pro fide, gratia DEI, ſeu charitate deſtituta: ſicut enim anima rationalis eſt forma corporis, dans homini eſſe, vivere, & vitaliter operari, ita charitas eſt forma fidei, dans ei vitam, ac eſſe gratuitum & meritoriè operari *9nò.* Pro fide formata, quæ alias per charitatem, ut eſt *Gal*: 5. operatur. De ea eſt *Hebr*: 11. Sine fide (charitate formata) impoſſibile eſt placere DEO. Et *Rom*: 1. Juſtus ex fide (formata ſci charitate) vivit. Unde eſt, quod anima rationalis, non per quamcunque fidem juſtificatur, ſed ſolummodo per formatam; & conſequenter per eammet ſatis rectificatur, ac DEO plenè conjungitur, tam ſecundũ intellectum, quàm ſecundum voluntatem. 10. Fides ſumitur pro fiducia, & vocatur fides miraculorum: eſtq; illa, quæ in gravi & urgenti aliqua neceſſitate cælitus

mota

mota in sui sursum actione, DEUM affectuosissimè & confidentissimè orans, firmiter credit posse & velle id eum fideliter facere pro majori gloria nominis sui, quod veraciter promisit se facturum. Ut est *Marci 11.* Habete fidem: amen dico vobis, quia quicunq; dixerit huic monti tollere, & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit; quia quodcunq; dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcunquè orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis. II. accipi solet pro habitu infusò tam infantibus quàm adultis, & pro actu ex hujusmodi habitu per intellectum elicito. De hac fide *Act: 15.* Fide purificans corda eorum. Jam autem hujusmodi fides est Virtus Theologica ac supernaturalis à DEO infusa: per quam firmiter assentimur ob DEI authoritatem quæ à DEO revelata sunt Ecclesiæ Matri nostræ, & ab eadem Ecclesia Catholica ad credendum nobis proponuntur, propter salutem vitæ æternæ obtinendam juxta *1. Petr: 1.* Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.

Dicendum *2dò.* Quod ex propositis ad credendum alia necessario credenda sunt, ad obtinendam salutem de necessitate medij. Alia de necessitate præcepti. De necessitate medij oportet credere Mysterium Sanctissimæ TRINITATIS Unius DEI, & Incarnationem Consubstantialis Filij DEI, secundum totam descriptionem Symboli Apostolici, & S. Athanasij; ita necessario, ut sine hujusmodi articulorum fide nemo salvetur, quamvis creden-

credendorum habeat invincibilem ignorantiam. De necessitate præcepti, oportet credere septem esse Sacramenta, decem DEI præcepta. Determinationes Ecclesiæ S. de primatu Romani Pontificis Oecumenici, Vicarij Christi, ac legitimi Successoris Petri Apostoli, de invocatione Sanctorum, de Veneratione Reliquiarum, & Sacrarum Imaginum, de purgatorio animarum &c: Hæc tamen si actu elicitæ fidei ab aliquo non credantur ob ignorantiam invincibilem, non impediunt eum, quin obtineat salutem æternam. Non sufficit autem hujusmodi articulos fidei credere implicita fide, ad obtinendam vitam cælestis Patriæ; sed necesse est fide explicita eos credere. Fides implicita illa est, quâ fidei veritates creduntur in Universali, vel in aliquo principio communi. Ut cum quis credit ea omnia, quæ continentur in Symbolo Apostolorum, absq; eorum aliqua cognitione distincta. Vel cùm quis credit indiscriminatim, quæcunq; tenet Ecclesia Universalis. Fides explicita illa est, quâ creduntur articuli fidei in se ipsis, separatim sc. apprehensi.

Dicendum 3tiè. Quod fides Theologica, ut est Ascetis usitata, indeq; ascetica appellata à Spiritualibus Magistris in Practicam & Anagogicam distinguatur, Practica fides illa est, quæ operatur bona per charitatem sibi conjunctam de qua est. *Gal*: 5. In Christo JESU neq; Circumcisio aliquid valet nequè præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Hæc deinde fides *Practica*, alia est, *necessitatis*, quæ de lege præcepti est necessaria

cessaria ad vitam æternam per bona opera consequendam: quibus quidem operibus insistit, dùm aversatur mala in se, quæ credit sub æterna damnatione esse sibi fugienda; uti sunt peccata mortalia, & eorum proximæ occasiones: dùm facit bona, quæ credit esse sibi imperata cum promissione salutis æternæ; uti sunt. Observantia præceptorum DEI. & (quæ haberi possunt) operum pietatis: dùm suffert adversa. quibus resistere nequit absq; DEI offensa. Alia est *supererogationis*, quæ est de lege consilij habens meritum abundantioris vitæ ex operibus supererogatorijs: his insistit: dùm fugit hujus mundi honores, possessiones & voluptates, quæ credit fugienda esse de consilio Christi, uti occasionaliter mala: dùm facit bona superabundantiæ, quibus credit se imitari Christum: dùm quæcunq; adversa libenter patitur propter Christi majorem gloriam, quæ credit Christum, velle se eatenus pati. Hæc autem practica fides posterior, propriè ascetica dicitur; illa verò prior impropriè, uti communis tam ascetis, quàm alijs quiscunq; fidelibus. *Anagogica* fides, vel alias sursum ductiva, ac sursum activa illa est, quæ ab Ascetis vel maximè exercetur in Oratione mentali: dùm actu elicito ac elevato credunt DEUM: credunt DEO, & credunt in DEUM, juxta *Hebr*: 11. Credere oportet accedentem ad DEUM: quia est (unus sc: in substantia, & Trinus in Personis, ac item infinitè potens, sapiens, bonus, misericors, justus, immensus) & inquirentibus se remunerator. Hæc dein-

de fi-

de fides anagogica, alia est *communis* omnium sc: fidelium, ac præsertim justorum, atq; salvandorum propria: quæ in sui elevatione credendo credenda ut oportet, satis habet si apprehendat DEUM, ac ejus veritates modo simplici sub conceptu sc: crassiore ac rudiore. Alia *specialis* contemplativorum propria: & hæc alia habetur vestita, alia nuda. *Vestita* fides illa est, quæ repræsentat DEUM quodammodo vestitum, obscuratum, & picturatum coloribus, umbris, speciebus, formis, ac similitudinibus creaturarum. Unde talis fides, non aliud est, quàm visio DEI ac divinorum in speculo & ænigmate. Connaturalis enim modus est menti humanæ, ut DEUM non nisi per speculum creaturarum, & per ænigmata perfectionum mundanarum percipiat & intueatur. *Nuda* fides, vel alias pura, illa est, quæ supra modum humanum, repræsentat nudam ac puram DEI essentiam seu præsentiam: ac idem est, quod visio nudæ veritatis divinorum ac puræ DEI præsentiæ.

Dicendum *4tò*. Quod fides ascetica, non distingvatur hoc loco in fidem practicam & anagogicam, tanquam in duo capita, uti sunt fides humana, & divina sed distingvitur tanquã una eademquè fides divina in duo officia: quorum alterum exercet, quando sursum agit in DEUM, una cum spe & charitate: alterum vero, quando deorsum communicat se & cöóperatur cunctis virtutibus moralibus, quarum etiam imperat actus. Cujus quidem Asceticæ fidei tres habentur gradus. *Imus* gradus

dus est, quando aliquis firmiter & affectuosè credit DEUM, credit DEO, & credit in DEUM (per aliud sc: aspiciendo ejus divina: *id est*, per alias veritates magis notas percipiendo fidei Mysteria., sicuti fieri solet in ascetica meditatione) propter se (*id est*, propter sui auctoritatem) & supra omnia, *ut pote* credibilia & intelligibilia: quia fides certior est omnibus credibilibus & cunctis veritatibus intellectualibus, ex parte nimirum causæ, *id est*, verbi DEI, quod certius est universis veritatibus; quamvis ex parte subjecti, *id est*, intellectus nostri, non item; eo quod plenius percipiat objecta aliarum veritatum: & inde est, quod facile dubitat in fide & errat, nisi alias plenè captivetur in obsequium DEI, Sanctæq; illius Ecclesiæ. *2dus* est, quando quis credit DEUM, credit DEO, & credit in DEUM, propter se, & supra omnia, simpliciter jam credibilium mysteria percipiendo, sicuti fieri solet in contemplatione ordinaria. *3tius* gradus est, quando aliquis credit DEUM credit DEO, & credit in DEUM, propter se, & supra omnia, nudam ac puram DEI præsentiam & credibilium apprehendendo, quod fit in contemplatione ertraordinaria. Ubi præsens fides, jam superatis omnibus humanis rationibus, jam abnegatis omnibus experientijs gratiæ sensibilis & jam rejectis universis divinis imaginibus internis humana activitate effectis ipsi DEO incomprehensibili, fonti nimirum ac exemplari suo, tanquam radius soli, à quo emanat, infigitur. De hac fide Joannes Thaulerus. *Instit*: *c*. 8. sic ait:

Nuda

Nuda puraq; fides hujus est exilij: scire vero & intelligere futuro sæculo debentur. Vere præclara res est, fides nuda: nuda inquam, non quæ bonis operis destituta sit: sed quæ nihil scire, nihil sensibilis consolationis experiri apperat. Gaudere deberent DEO militantes, quod saltem nudam ac puram fidem abs; omni cognitione habere possent: nam quo fides purior, simplicior, nudior est, eo vel centuplo laudabilior; nobilior, magisq; meritoria est. Hinc deinde est, quod credere DEUM aliquis dicitur, quando credit eum esse unum in essentia, & Trinum in Personis, necnon Creatorem, Salvatorem, Remuneratorem: itemquè Omnipotentem, summè Sapientem, & summè bonum: imo etiam; dum credit eum esse ubiq; per potentiam, & essentiam. Credere quoq; DEO aliquis dicitur, quando credit verbis ejus per Ecclesiam erroris insciam nobis propositis & explicatis. Credere tandem in DEUM dicitur, secundum D. Anselmum *in Epist: ad Roman: c. 4.* quando credendo amat eum, credendo it in eum, credendo adhæret ei, & credendo membris ejus incorporatur. Credendo quidem aliquis amat DEUM & credendo it in DEUM, quando fides ejus adjunctam habet charitatem. nam fides sine charitate informis est ac mortua, quapropter non potest in DEUM tendere non formata charitate. Unde est, quod credere DEUM & credere DEO possunt esse actus informis fidei, & formatæ; sed credere in DEUM, ipsius nonnisi formatæ fidei est. Credendo autem adhæret DEO, quando nullo un-

lo unquam hæreſis errore ab eo ſeparatur, ac ſemper in ejus gratia vivit, nunquam per aliquod peccatum mortale ab eo recedens. Credendo denique, membris DEI myſticis incorporatur: quando per charitatem dilectionis mutuæ, DEO, tanquam Capiti myſticorum membrorum conjungitur.

Nota autem, quod credere DEUM, credere DEO, & credere in DEUM (*juxta D. Thomam*) non ſunt tres actus diverſi, ſed unus, habens tres relationes ad objectum, vel unus tripliciter diſtinctus, ob diverſum ordinem ad objectum, quia intellectus noſter fide formatus, tripliciter poteſt ferri in DEUM: *imò* cum fertur in DEUM, ut in Objectnm materiale, & ſic credit DEO *2dò* cum fertur in DEUM, ut in objectum formale, & ſic credit DEUM. *3tiò.* cùm fertur in DEUM, ut in ultimum finem, & ſic credit in DEUM.

Dicendum *5tò*. Quod fides Orthodoxa, conſequenter aſcetica, manet inter quædam vitia omnino vitanda, quorum alia ſunt à ſiniſtris ſecundum defectum, alia à dextris ſecundum exceſſum. Fides vitioſa ſecundum defectum multiplex habetur. *Ima* quidem ficta dici ſolet, de qua illud *1. Tim: 1.* Finis præcepti & charitatis de corde puro, & conſcientia bona, & fide uon ficta. Idem autem eſt ficta fides, quod fictilis, fragilis, ac inſtabilis in ſuis propoſitis, ſeu bonis inchoatis, & facile deficiens in adimplendo ſuæ vocationis adimplenda. *2da* dicitur Modica, quæ in periculo corporis aut animæ facile dubitat de auxilio DEI

opportuno cælitùs obtinendo, de qua est *Matth*: 14. Modicæ fidei quare dubitasti. *3tia*. dicitur Infirma, quæ segniter attendit profectui in vita spirituali, donec retro aspiciat. De hac fide est, *Rom*: 4. Et non infirmatus est in fide. *4ta*. dicitur mortua, quæ non operatur ea per charitatem, quæ operari tenetur, ex obligatione legis æternæ. De qua *Iacobi* 2. Sicut Corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus (ex charitate provenientibus) mortua est. *5ta*. dicitur hæsitans atquè diffidens, de qua illud est *Roman*: 4. In promissione DEI non hæsitavit diffidentia. *6ta*. Fides vitiosa secundum defectum dicitur fallibilis, qualis est humana, quæ credens credenda divinitus revelata, potius persuasioni humanæ ac rationi, innititur, quàm auctoritati Universalis Ecclesiæ, cui Christus promisit se præsentem esse usquè ad consummationem sæculi. De hac fide 2. *Tim*: 3. Erunt homines semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, corrupti mente, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient. Fides vitiosa secundum excessum illa esset: ubi crederet aliquis ea in particulari, quæ credenda sunt in universali. Vel ubi crederet absolute, quæ alias credenda sunt conditionatè; uti est dùm quis credit, quod DEUS æternè benedictus ob solam suam infinitam misericordiam, & ob meritum solius fidei; nondum aliquam cum charitate connexionem habentis, omninò dimiserit sibi peccata. & quod statim qost obitum certissimè donabit animæ suæ vitam æternam.

Item

Item illa esset fides vitiosa secundum excessum, si quis aliqua verè à DEO revelata esse temerè ac præcipitanter crederet, antequam moveretur ad credendum aliquibus testimonijs fide dignis: nam dicitur *Eccles*; 19 Qui credit cito, levis est corde. Testimonia autem fide digna, seu moventia ad fidem veram sunt. Tùm Prophetiarum gravitas, & oracula Sybillarum. Tùm S. Scripturæ dignitas, Tùm doctrinæ Apostolicæ efficacia. Tùm Evangelij propagatio per homines valde simplices. Tùm multitudo miraculorum in veteri & novo testamento. Tùm Confessiones Martyrum innumerabilium. Tùm successio Summorum Pontificum, & aliorum Episcoporum. Tùm veracitas Doctorum. Tùm deniq; auctoritas S. Ecclesiæ Matris nostræ, quæ Spiritu S. regitur & gubernatur usq; ad consummationem sæculi.

EXERCITATIO & ACTVS FIDEI.

Hebdom: 1, Complacentia in vocatione ad tam Sanctam, rationi convenientissimam fidem Catholicam Prophetijs, miraculis, Sanctitateq; sectatorum ejus commendatissimam.

Hebdom: 2, Visitare frequentius, quàm alias Venerabile Sacramentum, devotiùs colendo Cruces, Imagines cum actuali reflexione.

Hebdom: 3. Desiderium conversionis Ethnicorum, Judæorum, Hæreticorum, simul cum compassione cæcitatis eorum.

Hebdom: 4. Mens resoluta pro veritate fidei, quasvè afflictiones, etiam mortem subeundi: confidendo, quod daret DEUS gratiam, in illo casu,

INSTITVTIO III.

De Virtute Spei.

DIcendum est *Imò*. Quod Spes varie accipi solet apud Sacros Scriptores. *Imò*. quidem pro habitu infuso: & hæc Spes habitualis non habet ortum ex meritis, siquidem infantibus ante omnia merita in collatione baptismi cælitus infunditur. *2dò*. Pro actu elicito: & hæc spes actualis oritur ex intuitu meritorum. Non enim rectè se sperat ad beatitudinem perventurum, nisi qui DEO servit ut oportet, vel servire efficaciter proponit. *3tiò*. Spes accipitur pro objecto formali, quod est ipse DEUS, qua summè bonus atq; liberalis & fidelis in reddendo promissa, juxta *Psal*: *141*. Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. *4tò*. Pro objecto materiali, quod est ipsa res sperata juxta illud *ad Tit*: *2*. Sobrie & justè, & piè vivamus in hoc sæculo expectantes beatam spem, *id est*, vitam æternam. *5tò*. Accipi solet pro spe primæ authoritatis tam absoluta, quàm respectiva, Spes primæ authoritatis absoluta illa est, quam simpliciter immediatè ac ultimate ponimus in solo DEO, tanquan in prima causa, & summo largitore omnium bonorum præsentis ac futuri sæculi, juxta *Psalm*: *30*. In te Domine speravi non confundar in æternum. Respectiva illa dicitur quam ponimus in Cruce Christi (dicentes cum tota Ecclesia: O Crux ave spes unica) non quidem terminativè sed referribiliter ad Christum, quem

quem ipſa Crux repræſentat *6tò*. Pro ſpe: quam quidem ponimus *1mò*. in Beatiſſima VIRGINE MARIA, tanquam in principali Advocata & Patrona noſtra poſt Chriſtum dicentes cum tota Eccleſia: Salve Regina &c: & Spes noſtra Salve. *2dò*. in Sanctis, qui memores ſunt noſtri coram DEO in cælis, juxta *2. Petr: 1.* Dabo operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis. *3tio*. In omnibus juſtis adhuc militantibus, quorum interceſſiones pro nobis, ſunt DEO gratæ, juxta *Jac: 5.* Multum valet deprecatio juſti aſſidua.

Dicendum. *2dò*. Quod ſpes primæ authoritatis abſoluta, eſt virtus ſupernaturalis ac Theologica cælitùs infuſa, per quam certò infallibiliter expectamus bona ſpiritualia & æterna, à DEO nobis promiſſa ac conferenda pro bonis operibus in gratia ejus Divina patratis: hæc autem ſpes ut eſt communiter aſcetis uſitata, quamvis ſit ſimplex atq; eſſentialiter indiviſibilis; reſpectu tamen ſuorum officiorum, dividitur in practicam & Anagogicam. Spes *practica* inſiſtit ſtudiosè operibus meritorijs, de qua *Tob: 2dò*. Ubi eſt ſpes tua, pro qua Elèemoſynas & ſepulturas faciebas. Hæc deinde ſpes, alia dicitur. *Neceſſitatis* eo quod ſit de lege præcepti neceſſaria, ſalvandis omnibus: cujus puta eſſe actus, declinare à peccatis mortalibus, mandata DEI obſervare, aduerſa inevitabilia patienter ferre: propter evitanda mala reprobis deſtinata, & obtinenda bona ſpiritualia ac æterna juſtis promiſſa, & certò conferenda. Alia dicitur

Supererogationis de lege consilij, habens rationem majoris meriti, de hac spe illud est *Psal:* 4. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Quemadmodum autem spes necessitatis fugit malum (ut potè mortalis culpæ) propter pænam æternam: operatur bonum sufficientiæ, propter meritum: sustinet patienter adversum: propter vitæ æternæ præmium: ita spes supererogationis fugit malum culpæ venialis, propter pænam purgatorij: operatur bonum superabundantiæ, propter majus meritum: & sustinet cum gaudio adversum, propter majus præmium. Spes anagogica illa est, quæ sursum ducitur seu elevatur in DEUM. cujus est actus. *Psal:* 7. Domine DEUS meus in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Hæc deinde alia est *communis* alia *specialis*. Communis propria est omnium salvandorum, quam habet aliquis, dùm ipso actu mente in DEUM elevata, sperat peccatorum suorum primam veniam, propter Christi pro illis summam Contritionem ac satisfactionem, & ob suam propriam illorum plenam detestationem; & primam gratiam (quæ est principium merendi, seu causa meritoriarum nostrarum actionum) propter infinita Christi merita; & ob suam propriam in necessarijs ejus imitationem: necnon primam gloriam, propter Christi adversitatum perpessionem; & ob suam illi aliquam compassionem. Spes anagogica specialis, propria est contemplativorum, quam habet aliquis, dùm erectus in DEUM, ipso actu sperat

in illo;

in illo, expectans ab eo secundam veniam, secundam gratiam, & secundam gloriam, *id est*, veniam peccatorum venialium, aut etiam veniam cujuscunq; pœnæ, augmentum gratiæ, & majorem gloriam: & hoc propter fugam occasionis remotæ mortalium peccatorum, ac abominationem suæ propensionis ad venialia: propter adhæsionem operibus supererogationis; & propter magnarum adversitatum perpessionem ad imitationem Christi. De spe veniæ primæ illud est *D. Aug*: Merito mihi spes valida in illo est, quod sanabis omnes languores meos, per eum qui sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis, alioquin desperarem: multi enim & magni sunt languores mei, sed major est medicina mea.

De spe secundæ veniæ innuitur tacitè, cùm dicitur *Luc*: 6. Dimittite (*offensam proximo vestro seu culpam, & pœnam simul pro offensa*) & dimittemini. Eadem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.

De spe primæ & secundæ gratiæ innuitur *Ioann*: 15. Jam non dicam vos servos (*id est, homines prima mea gratia*) quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos (*id est, homines secundæ seu majoris mea gratia*) quia omnia quæcunq; audivi à Patre meo, nota feci vobis.

De spe primæ & secundæ (*id est majoris*) gloriæ innuitur *Ioann*: 10. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeat. Unde *S. Greg*: Tanto spes solidior in DEUM surgit, quanto pro illo quisq; graviora pertulerit: quia nequaquam retributionis

gaudium de æternitate colligitur, quod non hîc prius, pia tribulatione seminatur.

Dicendum. *3tiò.* Quod gratia DEI prima nimirum & secunda, alia est *habitualis* alia *actualis.* Habitualis quidem est infusa, inhærens animæ justæ permanenter, quæ alias dicitur gratia gratum faciens, tam hominem, quàm ejus quodlibet opus honestatem internam supponens ac itèm dicitur gratia justificans, & gratia sanctificans: quia in quantum est prima, hominem peccatorem peccata sua propter offensam solius DEI serio detestantem facit justum ac sanctum; in quantum autem est secunda, facit justum operibus justitiæ ipso actu addictum, magis justum, magisq; sanctum juxta *Apoc*: 22. Qui justus est, (prima justificatione) justificetur adhuc (secunda justificatione) & Sanctus Sanctificetur adhuc. Actualis gratia DEI, transeunter se *sc.* habens. est auxilium DEI speciale datum homini ad finem supernaturalem æternæ beatitudinis consequendum. Prima quidem hujusmodi gratia dividitur in *Prævenientem* & *Concomitantem.* Præveniens gratia est pulsus divinus retrahens animam à peccando, & pertrahens, ad insequendum bonum: qui vulgo dicitur inspiratio piæ cogitationis & affectionis disponēs ptoximè liberum arbitrium ad perfectum consensum liberè præstandum. Eadem gratia vocati solet operans & excitans: quia DEUS præveniendo liberum arbitrium sua inspiratione operatur in eo posse. velle operari meritoriè, & excitat illud quasi somno pressum ad pie ut opportet

agen.

agendum. Concomitans gratia est auxilium DEI speciale currens, cum libero arbitrio, atq; cum illo efficiens, plenum ac liberum consensum ad pie meritorieq; agendum. Eadem gratia vocari solet cóoperans & adjuvans: quia cóoperatur libero arbitrio in electione boni & reprobatione mali, adjuvatq; illud non solum ut possit se ad salutaria opera extendere, sed etiam, ut efficaciter extendat. Secunda gratia actualis, dicitur subsequens, quæ idem est, quod donum finalis perseverantiæ in studiis justitiæ continuandis in vera ad DEUM conversione apprehensis. Vel quoq; idem est, quod donum confirmationis in bono inchoaio divinitùs justis impensum, quod habere cupiebat David cùm oraret DEUM *Psal: 50.* Spiritu principali confirma me. Hujsmodi autem donum alias multis orationibus impetratum cælitùs possidentes specialiter à DEO amantur, illuminantur, inflammantur, castigantur, in studio virtutum promoventur, & in tentationibus atq; advesitatibus proteguntur. Utramq; hanc speramus gratiam, orantes cum tota Ecclesia Dominum DEUM. Tua nos Domine gratia quæsumus semper & præveniat & sequatur, ac bonis operibus præstet esse intentos. Per Christum Dominum nostrum. Amen. In spe autem hujusmodi gratiæ constituti, cuncta elicimus bona proposita & vota nostra coram DEO profitemur. juxta *D. Aug:* Non sitis pigri ad vovendum; non enim viribus vestris implebitis: si in vobis confiditis, deficietis; si autem in illo cui vovistis, vovete securi, reddetis.

Dicen-

Dicendum *4tò*. Quod spes ascetica tres habet gradus. *Primus est*, quando eadem spes secundum utrumq; suum officium habetur in acquirendo: talis autem habetur, ubi quisquam ipso actu spei in DEUM extensus, cuncta sperabilia (bona *sc*: spiritualia ac æterna cælitus justis promissa) ferventer amat, habens desiderium tandem aliquando illa possidendi. *Secundus est*, quando eadem spes practica nimirum & anagogica habetur in esse acquisito: talis autem habetur, cùm aliquis ipso actu spei in DEUM elevatus, cuncta sperabilia, cum tædiosis expectactionibus, quàm primùm consequi desiderat, juxta illud *Richardi*. Amanti (bona videlicet cælestia) omnis mora nimis longa videtur, expectatio onerosa: clamat cum *S. Iob*. Tædet animam meam vitæ meæ. *Tertius* est, quando eadem spes habetur in excessu, seu secundum excessum, talis autem habetur, cùm aliquis perfectè Christo Unitus, ac sursum actu spei in DEUM elevatus, tota sui cordis efficacia cupit protinùs mori, quamvis per dira tormenta, statimq; esse cum eodem Christo in cælesti gloria, juxta *D. Paul*: *Philipp. 1.* Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

Dicendum *5tò* Quod spei asceticæ opponuntur vitia maximoperè vitanda, quædam secundum defectum, quædam verò senundum excessum. Spes uitiosa secundum defectum illa est. *Imò*. quæ caret fundamento, vel alias habitu infuso fidei: nam *S. Paul*: ait *Hebr*: *11*. Fides est sperandarum substantia rerum; *id est*, fides est basis ac funda-

mentum

mentum ſpei. *Ibidem paulo inferiùs*; ſine fide impoſſibile eſt (*aliquam Virtutem, aliquemq; hominem*) placere DEO. Hujuſmodi autem Spes vitioſa, propria eſt quorumcunq; infidelium: quæ alias dicitur affectio naturalis, ſignificans ſuſpcionem & appetentiam futurorum bonorum fidelibus juſtis cælitùs promiſſorum. *2dò*. Illa eſt, quæ non formatur charitate, unde *S. Bernard*: Sunt qui ſperant in Domino, ſed fruſtra: quia ſic de miſericordia DEI blandiuntur ſibi ipſis, ut à peccatis non emendentur; vanà eſt omnino ſpes iſta, & hæc confundit, eo quod charitas deſit. *3tiò*. Illa eſt, quæ ſperat bona æterna ob merita futura; de qua illud: *Prov*: 14. Non habent (ut habere oportet) futurorum ſpem mali: lucerna (id eſt reliquum ſpei) impiorum extingvetur. *4tò*. Illa eſt, cui apponitur vitium deſperationis. Idem autem eſt deſperatio; quod voluntas diffidens de auxilio DEI opportuno ad perficiendum bonum inchoatum: aut de remiſſione peccatorum, ex indiſcreta apprehenſione ſeveritatis juſtitiæ Divinæ proveniens: indeq; omne officium juſtitiæ Chriſtianæ pimittens. Vitium ſecundum exceſſum ſpei juſtorum oppoſitum, puta eſſe præſumptionem. Idem autem eſt præſumptio quod confidentia immoderata conſequendi juſtitiam & beatitudinem æternam viribus naturæ. Vel etiam ob ſola Chriſti merita abſq; noſtris meritis.

EXERCITATIO SEU ACTVS SPEI.

Hebdom: 1. Omnem puſillanimitatem, timorem etiam atrociſſimarum tentationum, magnanimiter

excute.

excutere, per spem in DEO, qui sperantes in se non confundit; estq; simul sapientissimus, potentissimus & nostræ salutis infinitè amantissimus.

Hebdom: 2. Desperare de proprijs viribus habendo jam experientiam tot suorum lapsuum, etiam post firmissima proposita.

Hebd: 3. Erectio animi, ex consideratione, quia pro nobis Christus orat, Beatissima Virgo, SS. Angeli, & tota Ecclesia militans & triumphans.

Hebdom: 4. Desiderium cum humillima Oratione pro dono finalis perseverantiæ, & desiderium flagrantissimum æternæ beatitudinis.

INSTITVTIO IV.

De Charitate DEI.

DIcendum est *Imò.* Quod charitas varie accipi soleat apud Sacros Scriptores. *Imò.* quidem pro Objecto tam *sc:* materiali quàm formali. Objectum charitatis *materiale* primarium est ipse DEUS; Secundarium verò omnia alia quæ amari possunt propter DEUM. *Formale* autem primarium est Bonitas divina essentialis: Secundarium verò quælibet alia perfectio DEI, secundum quam concipitur quando amatur, & propter quam amatur. De materiali quidem Objecto est *1. Ioann: 4.* DEUS charitas est, & qui manet in charitate in DEO manet, & DEUS in eo. De formali autem est illud S. Matris Ecclesiæ: Qui diceris Paraclitus (cui bonitas attribuitur) Altissimi donum DEI, fons vivus, ignis, charitas. Ve-

rùm

rûm autem eſt, quod eadem bonitas divina ſit etiam Objectum Spei ſicut & charitatis, ſed diverſo modo. Nam voluntas noſtra, ut habet affectionem commodi, perficitur Spe reſpectu DEI, quem amat amore concupiſcentiæ ob ejus bonitatem infinitam in bonis, ſecundum quam promiſſionem vitæ æternæ ab eo expectamus: ut autem habet affectionem juſtitiæ, perficitur charitate reſpectu DEI: quem amat ut verè dignum eſt, & juſtum amore amicitiæ, ob ejus bonitatem in ſe, abſquè ullo reſpectu proprij commodi: uti eſt vita æterna in promiſſione. *2dò.* accipi ſolet pro fervore dilectionis. *ut Luc:* 7. Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam (charitate) dilexit multum. *3tiò.* pro ſigno ut *Ioann:* 15. Majorem hac dilectionem (charitativam) nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. *4tò.* pro habitu infuſo, & actu ex eo per voluntatem elicito, ut eſt, *Rom:* 5. Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis. Jam autem hujuſmodi charitas, eſt virtus Theologica ſupernaturalis ac infuſa, quâ DEUM diligimus ut infinite bonum ſupra omnia diligibilia. *3pliciter.* autem poteſt quis diligere DEUM ſupra omnia: Appretiativè nimirum, extenſivè, & intenſivè. *Appretiativè* quidem diligit quis DEUM ſupra omnia, quando infinitè pluris æſtimat illum in amando, quam cuncta amabilia. *Extenſivè.* autem, quando quis diligit DEUM, non ſolum ut eſt infinitè bonus in ſe, & in nobis; Verùm etiam ut eſt infinitè potens, in-

finitè

finitè sapiens &c. tam ad intra, quam ad extra, vel alias, tam in se, quam in Creaturis. *Intensivè* tandem, quando quis diligit illum ferventiùs ac intimiùs, quàm cuncta diligibilia. Vel potiùs quando nihil præter illum solum diligit; omnia verò non nisi propter ipsum, & in ipso amat.

Dicendum *2dò*. Quod charitas & gratia habitualis semper sunt à Spiritu Sancto & semper cum Spiritu Sancto, non sicut cæteræ virtutes, quæ possunt esse quandoq; informes, adeoq; sine Spiritu S. illæ verò semper simul per Spiritum S. cælitùs dantur ita ut gratia hominem DEO gratum faciat. Charitas verò uniat; & quod nunquam ab invicem separantur, sed simul per quodcunq; peccatum mortale tolluntur: cæteræ verò virtutes, non quidem eo modo tolluntur, sed solum informes efficiuntur: tolluntur autem nonnisi per peccata ipsismet opposita: Uti habitus fidei per infidelitatem seu hæresim; Spei per desperationem; humilitatis per superbiam; Castitatis per luxuriam, &c. Quapropter gratia & charitas videntur aliquibus idem esse formaliter, ita ut non differant inter se, nisi diverso respectu: nam donum hujusmodi cæleste, quatenus hominem respicit DEO gratum, dicitur gratia DEI habitualis; quatenùs autem respicit DEUM, rationali creaturæ supra omnia amandum, dicitur charitas; quæ omnium Virtutum Theologicarum & moralium est forma, quasi anima & caput. Ut enim anima dat corpori vitam, & caput influit sensum ac motum; sic charitas omnes vivificat Virtutes, & omnibus illis

influit

influit affectum movendi & agendi meritoriè, actus illarum ordinando ad finem ultimum. Unde est quod nullus actus cujuscunq; virtutis potest esse ex condigno meritorius, nisi fuerit in charitate, ex charitate, & secundum charitatem elicitus aut imperatus. Unde admonemur, (*Coloss*: 3.) super omnia charitatem habere, quod est vinculum perfectionis.

Dicendum 3tiò. Quòd charitas quateuùs est ascetica, *id est*, Ascetis potissimum usitata, alia est practica alia anagogica. Charitas *practica* illa dicitur quæ ut ait *S. Greg*: operatur magna ubi est, Si vero operari renuit, aut non operatur, charitas non est. Eadem charitas practica, altera dicitur *Necessitatis*, omnibus videlicet salvandis de lege præcepti absolutè necessaria: quæ ubi est, fugit mortale peccatum, cum suis occasionibus proximis, nè DEUS summè bonus offendatur, juxta *Psalm*: 96. Qui diligitis Dominum odite malum: facit bona à DEO imperata, ut conservetur in gratia ac amicitia DEI, juxta *Ioann*: 14. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me: qui autem diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. *Sustinet* adversa nè decidat inpecatum, & excidat de gratia DEI, juxta 1. *Corinth*: 13. Charitas patiens est. *Ibidem*. Charitas omnia suffert.

Altera dicitur *Supererogationis*, omnibus Ascetis de lege Consilij valde utilis. quæ ubi est, fugit culpam venialem, & occasiones mortalium peccarorum remotas, propter vitandam sui affe-

ctûs

ctûs remissionem. *Facit* bona suæ vocationis cum magna diligentia, propter majorem gratiam DEI consequendam. *Patitur* adversa cum gaudio propter plenam Christi imitationem, juxta *Act: 5.* Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Charitas *Anagogica*, vel alias sursum activa illa dicitur, quâ homo elevatus mente, diligit DEUM supernaturaliter, ut infinitè bonum, ac suum primum principium & finem ultimum; cujus quidem charitatis viderè licet varios actus in Testamento animæ. Eadem charitas si est communis, propria sc. omnium fidelium salvandorum, diligit DEUM ut infinitè bonum, supra omnia diligibilia confusè ac universè apprehensa; si verò est specialis, propria sc. perfectæ Spirituali vitæ addictorum, diligit DEUM ut infinitè bonum supra omnia diligibilia distinctè ac singillatim apprehensa. Ac item diligit DEUM supra omnia diligibilia appretiativè nimirum extensivè, & intensivè, secundum explicationem in fine primi dicendi positam.

Dicendum 4tò. Quòd charitas ascetica tres habet gradus. In Imò. aliquis constituitur, dùm eandem charitatem practicam & anagogicam habet in acquirendo: habet autem, ubi primùm scintillas affectuũ divini amoris, per studium asceticarum meditationum conquirit, habitumq. charitatis per actus elicitos & imperatos sensim dilatare studet, excludens efficaciter omnem affectionem quâ diligat aliquid in hac vita supra DEUM,

UM, aut æquè ac DEUM; nisi forte diligat illud circumspectè ac moderate, infra DEUM. *In 2dò* gradu constituitur aliquis, dùm habet eandem charitatem in esse acquisito, habet autem quando jam per studium ordinariæ contemplationis, scintillas divini amoris in unum sibi congregatas exardescere fecit; habitumq; per actus ejusdem amoris frequenter elicitos & imperatos satis intensum atquè dilatatum obtinuit, excludens omnem immoderatam affectionem, studium vitæ spiritualis internè perturbantem. *In 3tiò gradu* aliquis constituitur, dùm habet eandem charitatem in excessu, seu secundum excessum; habet autem, quando sic amore divino inflammatur, ut sentiat se spiritualiter esse inebriatum, ac intimè divinitùs vulneratum atq; ligatum. Vide hujusmodi amoris pacta in Testamento animæ. *Scal*: 6. *&* 7.

Dicendum 5tò. Quod etiam Charitas DEI potest esse vitiosa secundum defectum & excessum vitium charitatis secundum *defectum* est, quando aliquis diligit DEUM supra omnia quidem, sed non sicut sufficit. Vel sc: ob defectum fidei, vel ob defectum justitiæ, vel ob defectum stabilitatis. Talis enim charitas est dilectio naturalis, viribus nimirum naturæ elicita; quod si est aliquando supernaturalis (v. g. elicita ab homine in propositis instabili) ficta tamen dicitur (2. *Cor*: 1.) id est, fictilis, fragilis, infirma & instabilis. Vitium charitatis secundum excessum non datur respectivè ad DEUM, quia nunquam potest diligi DEUS à rationali creatura tantum, quantum dignus est,

quamvis diligatur ab ea de dono ſuæ gratiæ, ſicut coram ſe ſufficit; ſed reſpective ad nos dari poteſt. ut ſi quis ſcrupulis cruciaretur, quod non diligat DEUM adeo intensè ut diligere vellet, cùm hoc excedat menſuram humanæ illius conditionis.

EXERCITATIO ET ACTVS CHARITATIS DEI.

Hebdom: 1. Unire animam cum DEO tanquam cum ſummo bono, ac ſi nihil eſſet, in mundo præter te & DEUM.

Hebdom: 2. Velle DEO omnia bona ſua ſeu perfectiones, ita ut ſi per impoſſibile DEUS careret ipſis, & ego poſſem illas dare DEO, vellem dare etiam cum annihilatione mei: ita amo dignitatem DEI.

Hebdom: 2. Gaudere quod DEO ſerviatur à tot creaturis, quod adoretur ab Angelis, perfectiſſimè ametur à Beatis; optare ſibi, vel propter ſolum unicum amoris actum ad eum finem obtinendum, eſſe in cælo.

Hebdom: 4. Dolere de omnibus ſuis peccatis ut læſiuis charitatis DEI: dolere quòd ab infidelibus, à peccatoribus, à damnatis non ametur, ſed blaſphemetur.

INSTITVTIO V.

De Charitate Proximi.

DIcendum eſt *Imò*. Quod in præcedenti Inſtitutione tractavimus de charitate DEI immediata,

diata, quâ directè ipsemet DEUS ut infinitè bonus supra omnia diligitur: in hac verò sequenti tractandum nobis venit de charitate DEI mediata, quâ diligitur DEUS in proximo, seu mediante proximo; vel alias, quâ directè quidem proximus diligitur, sed non terminativè, id est non propter se præcisè, sed referibiliter in DEUM, seu propter ipsum DEUM. Unde *1. Ioann: 4.* Si diligamus invicem, DEUS in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est. Et *paulo post.* Si quis dixerit, quoniam diligo DEUM, & fratrem suum oderit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum quem videt, DEUM quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus, ut qui diligit DEUM, diligat & fratrem suum. Hæc autem charitas unius ejusdemq; habitus cum præcedenti, habet necessario suum ordinem, causam & modum. Ordinem profecto charitas habet ac servat, dùm primo loco facit unumquemq; in quo subjectatur diligere DEUM, velut primum omnium nostrum, principium & finem ultimum? atq; omnis castæ ac pulchræ dilectionis authorem. Dùm *2dò* loco propter DEUM facit amare se ipsum, ut imagine ejus insignitum: & subsequenter proximum; ut capacem nobiscum æternæ beatitudinis, quo ad bona spiritualia ac æterna. Dùm *3tiò* loco facit diligere seipsum, & subsequenter proximum quoad bona corporis; quod capax sit æternæ beatitudinis, ex redundantia animæ provenientis. Dùm *4tò* loco facit diligere seipsum, & sublequenter proximum

quo ad bona exteriora; uti ſunt bona honoris, utilitatis, & moderatæ commoditatis. Cauſam quoq; eadem charitas diligendi DEUM habet triplicem: *Ima eſt* ipſemet DEUS, ut ſummè bonus; Omne enim bonum ab omnibus diligitur, in quantum bonum eſt: quomodo DEVS, qui ſummè ac infinitè bonus eſt, etiam ſummè ac prorſus infinitè ſaltim quo ad appretiationem & durationem non eſſet diligendus? *2da* causâ eſt, quia ipſe DEVS prior dilexit nos; cùm daret Filium ſuum Vnigenitum pro nobis in manus iniquorum. Vnde *S. Ioann*: exclamans ait *cap. 4.* Nos ergo diligamus DEUM: quoniam DEUS dilexit nos. *3tia eſt.* quia ipſe DEUS magis diligit nos, quàm ipſimet diligimus noſmetipſos. Unde *S. Anſelm*: Beati diligunt DEUM, plus quàm ſeipſos, & invicem tanquam ſeipſos, & DEUS illos, plus quàm illi ſeipſos. Cauſam item charitas diligendi proximum habet ipſum DEUM, propter quem ipſiuſq; præceptionem diligit eum, uti ipſimet DEO dilectum. Modum deniq; diligendi DEUM habet charitas ipſam modi carentium, juxta *D. Bernar*: dicentem cauſa diligendi DEUM, DEUS eſt modus eſt: ſine modo; ratio dari poteſt: quia DEUS ſupra omnem modum (*id eſt*, ſupra omnia) diligi debet. Modum item diligendi proximum habet charitas, ipſam videlicet dilectionem noſtri, juxta *Matth*: *22*. Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Dilectio autem noſtri, & conſequenter proximi, qualis debeat eſſe, jam paulo ſuperius præſcriptum eſt in ordine, quem charitas in diligendo ſervat. Dicen-

Dicendum *2dò.* Quod charitas DEI mediata, quam alias proximi dicimus, inquantum habet officium duplex; alia eſt apud Aſcetas practica, alia anagogica. *Practica* quidem charitas ſi eſt *neceſſitatis*, de lege nimirum præcepti cuilibet neceſſaria ad obtinendam vitam æternam, facit hominem in quo ſubjectatur. *Imò.* Nolle efficaciter proximo ſuo malum, ut malum, ſpirituale vel corporale, vel externum, juxta illud principium juris naturalis: Quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris. *2dò.* Velle eidem proximo efficaciter bonum, ut bonum ſpirituale, item corporale, & externum: Uti eſt bonum honorabile, utile, & delectabile juxta alterum principium: Quod tibi fieri ab alio vis, hoc alteri facias. *3tiò.* facit dimittere injuriam à proximo ſibi illatam, quamvis mediante debita ſatisfactione, juxta *Matth*: *6.* Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & Pater veſter cæleſtis delicta veſtra; ſi autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Si verò eadem charitas fuerit practica, & *Supererogationis*, de lege conſilij. *Imò.* quidem facit hominem ſibi addictum, mala ſeu onera fratrum, portare multiplicium defectuum, naturalium ac mortalium, corporalium ac ſpiritualium propter imitationem Chriſti: qui varias diſcipulorum ſuorum infirmitates tolerare dignatus eſt. Unde *S. Paul*: *Gal*: *6.* Alter alterius onera portate: & ſic adimplebitis legem (præcepti & conſilij) Chriſti. *2dò.* facit eundem hominem libenter quævis obſequia & beneficia præſtare fratribus

suis, tam veris quàm falsis, exempló Chisti, qui venit in hunc mundum ministrare non ministrari. Unde *Matth*: 5. Diligite inimicos vestros; benè facitè his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. *3tiò*. Facit eundem hominem pati advera pro fratribus suis tam quidem veris quàm falsis ad imitationem Christi. Vnde est 1. *Petri* 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum (patiendo pro fratribus) ut sequamini vestigia ejus. Et 1. *Ioann*: 3. In hoc cognovimus charitatem (Christi)·DEI; quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus (bonis & malis) animas ponere. *Anagogica* charitas habet suos actus in 1. *Scal*: *Testam*: *animæ*; quæ alias, si est *communis* propria sc: omnium salvandorum, facit nos orare saltim in generali pro nostris proximis: sive sint nostri amici, sive inimici, ita sc: ut non excludamus eos ab orationibus nostris communibus. Si autem *specialis* est, facit nos orare pro inimicis in speciali fervido affectu, ut saltim gratiam DEI in præsenti, & in futuro vitam æternam consequantur. Nam bona corporalia & externa, non semper illis tenemur velle ac impendere, quia non semper expedit eis habere illa; quando nimirum vel ipsismet inimicis, vel Communitati alicui nociva essent. Unde est quod diligimus inimicos nostros, non inquantum sunt peccatores; sed inquantum homines: aliud enim est in nostris inimicis natura à DEO creata, & ad æternam beatitudinem consequendam ordinata; aliud culpa æternæ damna-

mnationi obnoxia: Jam ergo ſecundum naturam debemus eos diligere; ſecundum verò culpam tenemur eos odiò habere: quia culpa ſecundum quam dicuntur peccatores, adverſatur DEO & beatitudinis æternæ impeditiva eſt: & ſic odio habeere peccatorem ut peccatorem, eſt odio habere peccatoris iniquitatem, & conſequenter eſt diligere proximum; nam ex charitate proximi provenit odium illius, quod ei malum eſt. Ea lege peccatoribus quâ tales ſunt licet exoptare mala corporalia & externa, non ut mala, ſed ut ipſis aut, alicui Communitati bona, ac etiam ipſam mortem, juxta *Pſalm: 103.* Deficiant (per pœnitentiam, aut verò per mortem) peccatores à terra & iniqui, ita ut non ſint. Et illud S. Anaſtaſiæ de Publio Viro ſuo: Melius eſt ei animam exhalare quàm DEI Filium blaſphemare;

Dcendum *3iò.* Quod habet charitas præſens gradus tres. In *1mò.* conſtituitur quis, dum eandem charitatem practicam & anagogicam habet in acquirendo: habet autem quonſq; proximum ſuum alias inimicum, diligendo eadem charitate, ſentit dolorem aliquo actu injurioſo, cordi ſuo ab eo inflictum, quem continua recogitatiope dolorum Chriſti lenire diligenter curat; ſimulq; diſcurſus rationis inferioris, quos animadvertit turbulentos ac dolorem hujuſmodi irritantes, omnino ſupprimere contendit. In *2dò.* conſtituitur; dùm eandem charitatem habet in eſſe acquiſito; habet autem, quando actibus ejuſmodi charitatis diligendo proximum ſuum, maximè verò inimi-

 cum,

cum, nullam prorſus, vel ſaltim multo minorem raro jam ſentit cordis ſui amaritudinem, animiq; triſtitiam: nec adeo rationis inferioris diſcurſum murmurantem audit contrà injuriam ſibi inferentem. In *3tiò.* tandem aliquis conſtituitur; dum eandem charitatem habet in exceſſu, ſeu ſecundum exceſſum virtuoſum. Habet autem, quando ita diligit ſuos inimicos, à quibus gravem accepit injuriam; ut ex affectu benevolentiæ ac pio deſiderio ſalvationis eorum, non ſolum pro eis ferventer oret, atq; omnifariam benè eis faciat; verùm etiam ſubmiſſione ſua quærat placare ipſos, & mala pœnarum, quæ perſequendo ſe promeruerunt coram æquiſſimo Judice Chriſto, gaudenter pro eis temporariè pati, ſincera ſe eidem Chriſto offerat mente, ad ejus imitationem: qui etiam pro nobis ſuis adhuc inimicis mortem crudeliſſimam & ignominioſiſſimam ſufferendo, reconciliavit nos Patri ſuo æterno.

Dicendum *4tò.* Quod dilectio proximi non ſemper eſt charitativa; ſed ſæpè vitioſa, tam ſecundum defectum, quàm ſecundum exceſſum. Dilectio ſecundum *defectum* multiplex eſt. *Ima*, dicitur naturalis, quæ accepta large quamlibet ſignificat dilectionem viribus naturæ elicitam; ſtrictè verò dicit inter Parentes & filios dilectionem uſitatam, ac inter fratres, ſorores, & quoſcunquè Conſanguineos. *2da.* dicitur ſocialis, quâ noti, contubernales, conterranei, ejuſdemq; cõplexionis ac unius moris homines invicem ſe diligere ſolent. *3tia.* dicitur mundana, quâ communiter Parentes diligunt

diligunt filios & filias; cognati cognatos prospera mundi, & commoda carnis illis exoptantes; nullum alias ad vitia, quæ inde sequûntur respectum habentes. 4ta. dicitur Officiosa quâ diliguntur benefactores atq; amici; non solùm inter fideles, verùm etiàm inter Ethnicos. 5ta. dicitur Cupiditatis seu concupiscentiæ, quâ digit aliquis hòminem propier suam utilitatem. 6ta. dicitur sensualis, quâ diliguntur pueri ob suam venustatem, ut filia Pharaonis puerum Moysen, eâ causa dilexit. 7ma. Dilectio proximi dicitur amicitiæ, quâ quis diligitur intuitu suarum virtutum suæq; bonitatis absq; debito ad DEVM respectu.

Dilectio vitiosa proximi secundum *excessum* illa esset. Si quis in gratiam sui proximi alias amici vellet offendere DEVM, vel alterum proximum. Ac item, si quis Ecclesiæ aut Regipublicæ, aut etiam alicujus honestæ cõmunitatis inimicis, bona vellet temporalia, extra spem eorum conversionis

EXERCITATIO SEV ACTVS CHARITATIS PROXIMI.

Hebdom: 1. Optare cuique veniam, gratiam, gloriam, & temporalia, in quantum non præjudicarent saluti eorum.

Hebdom: 2. Affabiliter alloqui alios.

Hebdom: 3. Inimicis etiam non rogatus, etiam insciis eis obsequi in eo, quod ipsis gratum putares fore, & pro eis orare; compati in eo, quod læserint animam suam contra te agendo.

Hebdom: 4. Temere non judicare, neq; nimis zelare super defectibus eorum. INSTI-

INSTITVTIO VI.

De Obedientia.

DIcendum est *Imò*, Quod Virtus Obedientiæ apud Sanctos Viros multas habet sui commendationes. *Ima.* quod paradisum nobis aperiat, quem inobedientia Protoparentum clauserat ac eâ causa Christus dedit claves Regni cælestis Simoni Petro, *id est*, obedienti. Simon enim significat obedientem: cui ut obedienti, benedixit, dicens: *Matth*: 16. Beatus es Simon Bariona: sicut maledixit primo homini, ut inobedienti, dicens; *Gen.* 3. Maledicta terra in opere tuo. *2da.* quod sola obedientia vel maxime facit nos Christi discipulos ac imitatores. juxta *Ioann*: 10. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis. Ea re ipse Christus hujusmodi virtutem primitùs exercuit, & suo triplici exemplo nos eam docere, voluit. Veniens nimirum de cælo in mundum, juxta *Ioann*: 6. Descendi de cœlo, non ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me Patris. Manens in mundo, juxta *Luc*: 2. descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. ad *Philip*: 2. Factus obediens usque ad mortem. Transiens de mundo, juxta *Matth*: 26. Pater mi, si possibile, transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. *3tia.* Obedientiæ commendatio est, quod primum locum tenet inter vota religiosorum; quia etiam propter Christi imitationem relinquit, quod est homini in

mundo

mundo maximum. Triplicia enim bona quilibet. Religiosus in sua professione abdicat, ut potè bona infima, alias exteriora, per voluntariæ paupertatis votum, bona media, alias proprij corporis, per castitatis votum, bona suprema seu maxima alias bona animæ; inter quæ præcipuum est libertas voluntatis, quam deserit per votum obedientiæ. *4ta.* est, quod nullum opus, per se alias bonum fit religioso meritorium, si non fiat in charitate ex obedientia, & consequenter sæpenumero ex eadem obedientia, meritoriè deseritur quodlibet hujusmodi opus; uti est victima seu Sacrificium Missæ, Martyrium, Oratio, silentium & similia. Unde *D. Greg*: Obedientia victimis jure præponitur, (à Samuele) *1. Reg: 15.* quia per victimas aliena, caro, (*id est*, Christi) per Obedientiam verò voluntas propria mactatur. Et *Sanctus Thomas.* Quæcunq; Virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud DEUM, quod fiunt, ut obediatur voluntati divinæ; nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hoc ordinaret ad impletionem divinæ voluntatis, quod rectè ad obedientiam pertinet meritoria esse non possunt. 5ta. Comendatio est, quod quævis opera per se indifferentia, dum ex obedientia fiunt; semper sunt meritoria, ut est dormitio, deambulatio, honesta recreatio, & similia. Idcirco à SS. Patribus communiter assimilitur navi & equitatui, secundum illud *Prover*: 31 Facta est quasi navis institoris; sicut enim navigans quamvis non moveatur motu proprio, semper ta-

men procedit ad locum sibi designatum; ita obediens innixus non motui suæ voluntatis, sed sui Superioris ad imitationem Christi quidquid agit, quod ex se non est meritorium, semper tamen in virtute & merito, & gratia coram DEO proficit. *6ta.* est quod verus amator & executor obedientiæ omnem facile superat tentationem, (DEO sibi præstante auxilium) carnis videlicet mundi, diaboli, & hominis mali, juxta *Proverb: 21.* Vir obediens loquetur victoriam, *id est,* Vir addictus obedientiæ, laudando DEUM exultabit in victoria de suis tentationibus: imo etiam DEUM ipsum faciet suis orationibus obedientem, juxta *D. Greg:* Si obedientes fuerimus Prælatis nostris DEUS, obediet orationibus nostris.

Dicendum *2dò.* Quod Obedientia largè & strictè accipiatur; *largè* sumpta est Virtus generalis, habens pro objecto quidquid à DEO, & secundum DEUM præcipitur. Undè per hujusmodi obedientiam obligamur non solum ipsi DEO verùm & Superioribus nostris, quatenus omnia vota & præcepta Regulæ nostræ Seraphicæ, & alia quæ secundum ipsius præscriptum nobis demandantur, ad amussim observemus; juxta illud præceptum *cap. 10.* Firmiter præcipio Fratribus, ut obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino observare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ. *Strictè* verò sumpta, est Virtus specialis, habens pro objecto præceptum Superioris, honestati atq; rectitudini conforme, tum expressum, tum interpretativum. Obedientia specialis,

alia est necessitatis, alia supererogationis. *Nessitatis* est de lege præcepti necessaria ad consequendam salutem æternam: quâ populus Christianus obedit Regibus & Magistratibus suis, propter DEI constitutionem. juxta *Rom*: 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à DEO. *Item*. Uxores Maritis suis, ac vicissim Mariti Uxoribus, filij Parentibus, & servi dominis, non tantum bonis & modestis, ut ait Apostolus. 1. *Cor*: 2. Sed etiam dyscolis, *Item*. Cuncti fideles suis Prælatis, (Papæ, Episcopis, Parochis) in iis, quæ Canones & Jura præcipiunt, pro omnibus promulgata. *Supererogationis* Obedientia est de lege consilij, & consequenter majoris meriti; quæ distinguitur in simplicem & solemnem, ut potè Asceticam Solemni voto firmatam. Simplex illa est, quæ non nisi simplici proposito, aut simplici voto, sive implicito, sive explicito firmatur: qualis in Religionibus est Novitiorum: qui cum tali proposito aut voto in Religione perseverandi, studiosè obediunt suis Superioribus, expectantes cum desiderio diem suæ professionis. Qualis etiam obedientia est, quarumdam personarum devotarum: quæ alicui viro spirituali, pro suo arbitrio in multis obediunt ad Christi Domini imitationem. *Ascetica* illa est quæ formali ac solemni voto in aliqua Religione ab Ecclesia DEI approbata roboratur. Obedientia hujusmodi Superior est, in merito simplici Obedientiâ, quia Ascetica seu Religiosorum obedientia per suum votum dedicat DEO arborem propriæ volun-

voluntatis, cum omnibus fructibus actuum ejus. Simplex verò, solet nonnisi fructus quando, & quantum, & quamdiu vult offert. Obedientia ascetica, quæ in Asceterijs exercetur, alia est limitata, seu circumscripta, alia absoluta. *Anterior* illa est, quâ aliqui Religiosi obediunt suis Prælatis in ijs tantum, quæ in eorum Regula continentur, de qua illud est, *D. Bernard*: Votum meum non augeat Prælatus sine mea voluntate. *Posterior* illa est, quâ obediunt Fratres Minores suis superioribus in omnibus quæ ad honestatem spectant, eorumquè statui conveniunt, quamvis ardua ac difficilia habeantur, de qua illud est in Regula Sèraphica *cap*: *10*. Firmiter præcipuo fratribus, ut obedienat suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino observare, & non sunt contraria animæ suæ & Regulæ nostræ. Porro Ascetica Obediētia alia est Materialis, alia formalis. Materialis est quâ quis obedit quibuscunq; ordinationibus Religionis suæ, & præceptionibus sui Superioris ex quadam bona & pia consuetudine, ac diutina affectatione, non alio motu quàm quod sic eum facere cogat Religionis usus, atq; beneplacitum sui Superioris. *Formalis* autem illa est, quâ quis implet Ordinationes suæ Religionis & jussa Superioris ex intentione elicita, & actuali proposito causa imitationis Christi, per charitatem motus. Hæc autem obedientia majoris est meriti, quàm materialis.

Dicendum *3tiò*. Quod Obedientiæ asceticæ tres habeantur gradus, qui alias varie disponuntur.

imò.

1mò. quidem dicitur aliquis habere *primum* gradum, ubi obedit DEO in omnibus præceptis, prohibitionibus & consilijs, ut supremæ auctoritati: quia nihil præcipit, nisi bonum, & nihil prohibet nisi malum & nihil consulit, nisi magis bonum. *2dum.* Ubi obedit homini propter DEUM, seu ut Antistiti DEI, qui nimirum omnia cum deliberatione ac discretione imperat. *3tium.*, ubi obedit propter DEUM homini impetuoso, & proinde contemptibili, juxta *1. Petr: 2.* Servi obedire Dominis suis (licita imperantibus) non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis, *id est*, inhumanis, severis, delinquentibus, &c:) hæc est enim gratia, *id est* meritum magnæ gratiæ (apud DEUM. *2dò.* dicitur aliquis *primum* gradum habere, dùm obedit Superiori, nè alias DEUM offendat, ac pænam inobedientiæ condignam incurrat. *Secundum* habet dùm obedit propter meritum majoris gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. *Tertium*, dùm obedit purè propter veram Christi Domini imitationem, ac sui Superioris consolationem. juxta *Hebr: 13.* Obedite præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri; ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. *3tio.* habet quis *primum* gradum Obedientiæ, quandò implet Superioris præceptum. *Secundum* habet, quando implet nutum. *Tertium*, quando implet voluntatem ut potè tacitam. *4tò.* habet aliquis asceta *primum* gradum obedientiæ, quando Superiori suo quidpiam sibi præcipienti obedit exteriùs, secundum videlicet

pro-

propositum; quod à professione hactenùs retinet vota sua semper implendi; non autem secundum instantem voluntatem: cui alias displicet hujusmodi præceptum, veluti onerosum atq; indiscretum. *Secundum* habet, quando non tantum exteriùs obedit, verùm & interius, secundum videlicet instantem Voluntatem: quam omninò conformat voluntati sui Superioris, idem cum illo volens & nolens in omnibus licitis & honestis, quæ in gloriam DEI referri possunt; quamvis illa non præceptoriè ac expressè mandentur, & insuper ardua difficiliaq; sint. *Tertium* habet, quando exterius obediendo non tantum voluntatem suam voluntati sui Superioris plenè mancipat ad omnia licita & honesta exequenda; Verum etiam judicium suum judicio ejus perfectè subijcit, ipsum sc: Superiorem judicij sui ut regulam & normam divinæquè voluntatis interpretem in perpetuum recipiens.

5tò Nota. Quod omnes isti gradus hic varie dispositi atq; immediatè recensiti, merè sunt secundum extensionem ipsius Obedientiæ; jam verò secundum intensionem, qui modo sequuntur. In *imò.* igitur gradu hujusmodi Obedientiæ aliquis constituitur; quando superiorum graduum modo recensitorum obedientiam habet in acquirendo: talem autem habere dicitur, dùm studiosè obedit suis Superioribus ad imitationem Christi, qui factus est pro nobis obediens ad mortem; nulla alias obstante difficultate ac interna amaritudine, atq; affectuum inquietudine: quam sentit proficisci, de sen-

de ſenſualitate, nondum plenè mortificata, de Voluntate nondum ſatis abnegata, ac de judicio nondùm complete in obſequium Chriſti captivato; per ſtudium videlicet aſceticarum meditationum, atq; aliorum exercitiorum Spiritualium. In *2dò*. gradu conſtituitur quis, quando eoſdem gradus obedientiæ habet in eſſe acquiſito; habet autem, dùm quieto promptoq; animo obedientiam præſtando, nullam prorſus contra præceptum aut præcipientem ſentit jam ſenſualitatis remurmurationem, atq; voluntatis indignationem, & proprij judicij querimoniam, velut ſoli innixus imitationi Chriſti, cui ſtudioſiſſimè attendit. In *3tiò* gradu conſtituitur quis ubi habet eandem virtutem in exceſſu, ſeu ſecundum exceſſum Virtuoſum; habet autem, dùm aliquod præceptum quò magis imponitur ſibi à Superiore arduum, inhumanum, atq; indiſcretum: eo etiam magis implendo illud gaudet atq; gloriatur in cruce imitationis Chriſti, per quam moritur mundo, & ſibimet mundus.

Dicendum *4tò*. Quod Obedientia aſcetica datur vitioſa ſæpè aſcetis omninò vitanda, tùm ſecundum defectum, tum ſecundum exceſſum. Obedientia vitioſa ſecundum defectum *quædam* dicitur cupiditatis: quâ libenter aliquis obedit ſuo Superiori, in eo quod præcipit ſibi ſecundum ſuam appetentiam, ac animi propenſionem. Uti & canis venaticus obedit venatori ſe ſe incitanti ad inſequendam feram, & accipiter ſigno accepto ad rapiendam perdicem. Quædam dicitur Mercenaria: quâ obeditur propter vanum hominibus pla-

X ecre.

cerc. Vel propter quodpiam proprium commodum, ut eſt promotio ad Ordines, ad Officia Ordinis &c: Quædam dicitur ſeruilis, quâ Obedit aliquis nè aliter faciens puniatur; Vel nè aliquo commodo privetur. Obedientia ſecundum exceſſum vitioſa illa eſt; quâ quis obedit in illicitis, ut potè contra propriam conſcientiam, contra regulam ſuæ profeſſionis, contrâ præcepta DEI: cùm alias magis DEO quam hominibus obediendum ſit.

EXERCITATIO SEU ACTVS OBEDIENTIÆ.

Hebdom: 1. Eſſe indifferens ad quæcunq; juſſa Supieriorum, ſive ex parte loci, ſive temporis, ſive negotij, excludendo omnes etiam licitas excuſationes, juxta illud: Audi Iſràël & tace.

Hebdom: 2. Si quæ humana vides in Superiore, averte oculos mentis tuæ ab his, unicum conſidera, quod Vicarius Chriſti eſt, & velut pupilla oculi Domini, quam tangere, eſt tangere DEUM & Chriſtum; Unde in Vita S. Mechtildis revelavit Chriſtus *p. 1. c. 20.* Meam conſpuit cum Judæis faciem, qui ſpernit Superiorem. Et *1. Petr: 2:* Servi, ſubditi eſtote etiam dyſcolis.

Hebdom: 3. Ad primum ic[illegible] companæ, etiam imperfecta litera proripe.

Hebdom: 4. Diſceptationes internas de ordinationibus Superiorum, de intentionibus ipſorum ſtatim in primis motibus cohibe, & liguam tuam in hac materia quàm diligentiſſime ſimul & aures tuas cuſtodi.

INSTI-

INSTITUTIO VII.

De Paupertate.

DIcendum est *Imò.* Quod paupertas Evangelica, & consequenter ascetica, tot habet apud Viros Spirituales præclaras sui commendationes, quot habent divitiæ avarorum ignominiosas vituperationes: quarum aliquæ recensendæ. *1ma.* quidem est, quod sicut avaritia (quæ dicit aviditatem auri nimiam, seu cupiditatem immoderatam divitiarum) facit hominem diaboli cultorem ac servum, juxta Apostolum. *Colos.* 3. *&* *Eph.* 5. qui avaritiam appellat simulacrorum atq; idolorum servitutem, ita paupertas Evangelica (dicens abdicationem terrenarum possessionum) quam Christus & Apostoli ejus tenuerunt, & professoribus Evangelicis tenendam tradiderunt, facit hominem Christi sectatorem atq; discipulum, juxta *Luc:* 14. Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *2da:* quod sicut divitiæ avaroum sunt causa & origio omnium vitiorum atquè peccatorum: juxta 1. *Tim:* 6. Radix omnium malorum est cupiditas, ita paupertas Evangelica, est causa & origio omnium Virtutum, cunctorumq; bonorum Spiritualium ac æternorum: juxta illud SS. P[illegible]iarchæ nostri in Regula positum *c.* 6. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis &c; *3tia.* quod sicut divitiæ avarorum de terra tolluntur, & consequenter suo pondere usq; ad centrum ejusdem terræ suos trahunt amatores juxta 1. *Tim:* 6. Qui volunt divites fieri incidunt

in tentationem, & in laqueum diaboli, & deside-ria multa & inutilia, & nociva demergunt homines in interitum & perditionem. Ita paupertas Evan-gelica de cœlo cum Christo veniens, rursus ad cœlum suos amatores per contemplationem DEI ac divinorum elevat secumq; trahit, in quorum persona illud dicitur *Philip*: 3. Nostra autem con-varsatio in cœlis est. *4ta*. Quod sicut avari, seu nimis amantes & appetentes quascunquè mundi hujus divitias, nunquam divitias cælestes obtine-bunt juxta *1. Cor*: *6*. Avari regnum DEI non possidebunt, ratio est; quia his inferioribus vo-lunt esse contenti, quorum possessione delectan-tur, magisq; æstimant in præsenti amata sua vi-sibilia, quàm futura nonnisi credibilia, ac propte-reà his meritò privabuntur, & illa non consequen-tur; ita è contrario pauperes spiritu vitam æternam à Christo Domino sibi repromissam certiò obtine-bunt, juxta *Matth*: 5. Beati pauperes spiritu, quo-niam ipsorum est regnum cœlorum, ratio est; quia sic exonerati, facile in Virtutibus Christum se-quuntur, donec ipsum in vita æterna plenè con-sequantur, secundum verba ipsius Christi, *Ioann*: *12*. Qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic sit & minister meus. *5ta*. quod sicut stercora hirundinum excæcaverunt oculos corpora-les Tobiæ, teste scriptura *c. 2*. ita possessiones di-vitiarum, quas D. Paulus *Philip*: 3. arbitratus est ut stercora, multorum excæcant oculos mentis; ac propterea avari homines non considerant ea, quæ cælitus ordinata sunt ad consequendam vitam

æter-

æternam; nec recogitant vanitatem mundanorum, turpitudinem ac fæditatem peccatorum, multitudinem præsentis vitæ miseriarum, propinquitatem mortis, austeritatem extremi judicij, pænalitatem inferni, & felicitatem gloriæ cælestis æternam: pauperes autem spiritu tanquam cælitus illuminati, hæc omnia studiosa consideratione percurrunt, ac inde cælestia magni æstimant, terrena veró vilipendunt. *Tum quia*, sicut ad conservandam præsentem vitam modica sufficiunt; ita ad futuram consequendam superflua officiunt: cùm aut vix, aut nunquam sine amore possideri valeãt. *Tum quia*, cum multo labore & magna sollicitudine acquiruntur; & cum nimio periculo corporalis vitæ, aut alicujus ablationis retinentur: cùm pateant multorum invidiæ, atq; cupiditati. *Tum quia*, cum homine diu perseverare nequeunt: nam si per aliquam fraudem ei non adimuntur, mox ab eo per ipsam mortem alienantur. Et *Psal*: 48. Dives cùm interierit non semet omnia neq; descendet cum eo gloria ejus.

Dicendum *2dò*. Quod paupertas, alia est Involuntaria, alia voluntaria. Paupertas *involuntaria* illorum est, qui carent rebus necessarijs ad sui conservationem, alias libenter vellent esse divites, si fieri posset. De hac paupertate est *Eccl*: 27. Propter inopiam multi deliquerunt. Et *Prov*: 30. Mendicitatem & divitias nè dederis mihi. Et *subdit*: nè egestate compulsus furer, & perjurem Nomen DEI mei. Hanc tamen paupertatem facit meritoriam patientia Christi, dùm adest. Ubi pa-

tet *Luc*: 16. Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Et *Psal*: 9. Neq; in finem oblivio erit pauperis. Et *Iac*: 2. Pauperes elegit DEUS. Paupertas voluntaria alia est Philosophica, alia Evangelica *Philosophica* illa est, quæ ob honestum aliquem respectum spônte abdicat divitiarum hujus mundi possessionem. Undè *S. Hier*: *lic*: 3. *in Matth*: *c*. 19. ait: Hoc enim & Crates fecit Philosophus, & alij multi divitias contempserunt. *Evangelica* verò illa est, quæ ob imitationem Christi à divitijs hujus mundi alienata est, de qua est, *Matth*: 5. Beati pauperes spiritu: &c: Quod si solo affectu alienata habetur, dicit virtutem necessitatis, de lege præcepti omninò necessariam, ad vitam æternam consequendam: Si verò affectu & effectu alienata est, dicit Virtutem Supererogationis, quæ est de lege consilij. De anteriori paupertate est *Psal*: 62. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Et *Eccl*: 31. Beatus dives qui inventus est sine macula, & qui post aurum (affectu sui amoris) non abijt, nec speravit in peccunia & thesauris. Unde est, quod hac paupertate affectûs illi pauperes esse dicuntur, qui bona temporalia, divitiasquè hujus sæculi possident, non illarum amore capti, sed necessitate ac infirmitate præsentis humanæ conditionis compulsi: de quibus etiam pauperum aliorum indigentijs, Ecclesiarumque & quorumcunq; mendicãtium necessitatibus liberaliter subeniunt. juxta *Luc*: 11. Quod superest, date eleemosynam. De posteriori verò paupertate spiritus illud
est

est Matth: 10. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me. Et *Luc*: 14. Qui non rennntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Unde est, quod hac paupertate affectûs & effectus, illi pauperes esse dicuntur, qui ad expeditiorem imitationem Christi renuntiaverunt tam intra se, quam extra se omnibus mundanis possessionibus, quas habebant, vel habere poterant: eoq; ipso tantò feliciores effecti, quantò magis à laqueo cupiditatis elongati sunt. Paupertas *supererogationis*, ut pote affectûs & effectûs alia est simplex, alia ascetica: *Simplex* quidem illa dicitur, quæ voto solemni non roboratur, de qua illud est, *Act*: 4. Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum dicebat, sed erant illis omnia communia: Neq; enim quisquam egens erat inter illos. *Ascetica* illa est, quæ voto solemni in aliquo statu Religiosorum firmatur. Et hæc duplex est: quarum altera ita abdicat possessiones divitiarum tam mobilium, quàm immobilium in particulari, ut nihilominùs jure civili retineat illas in communi. Altera verò, sic abdicat easdem possessiones cum omni jure civili, ut nec particularibus personis, nec Communitati Fratrum, nec ipsis eorum Superioribus propriæ sint. Hæc autem paupertas propria est Fratrum Minorum, quæ alias à Sanctissimo Patriarcha Nostro altissima dicitur.

Dicendum. 3tiò. Quod paupertas Minoritica

alias altissima, non dicit carentiam victûs, amictus, domicilij, & supellectilis, tam domesticæ, quàm Ecclesiasticæ, prout alias dicit paupertas mundanorum involuntaria: Sed dicit carentiam & abdicationem omnis juris civilis ad prædicta (uti est, dominium, possessio, proprium, & quævis actio juridica, defensiva aut repetitiva talium) reservans sibi secundum jus poli simplicem usum horum omnium, quæ ad conservationem præsentis vitæ, & ad munia exequenda fratrum pertinent. Hujus autem paupertatis, secundùm extensionem, *primus* gradus est, quando in rerum simplici usu ad necessarium. Victum, amictum, domicilium, & ad vtensilia domestica & Ecclesiastica spectantium, vitatur curiositas, pretiositas, & superfluitas; & consequenter amplectitur atq; diligitur exemplaritas, vilitas, & modicitas: quæ omnia paupertas Minoritica requirit; ac summoperè desiderat, velut ad integritatem sui pertinentia. *Secundus*, est gradus, quando quis in defectu rerum necessariarum minimè turbatur ob amorem Christi, ejusq; paupertatis dilectissimæ, confidenter ab eo cui se dicavit expectans talium debitam provisionem, juxta *Psalm*: 54. Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Et *Matth*: 6. Primùm quærite regnum DEI (attendendo Sanctæ operationi, ac devotæ orationi) & hæc omnia adjicientur vobis. Et *in Reg*: *c*. 6. vadant pro eleëmosyna confidenter, &c: quia Dominus se fecit pauperem in hoc mundo. *Tertius* est, quando quis in eodem defectu rerum constitutus gaudet, ac eo magis quo perfe-

perfectius credit ac animadvertit se per hujusmodi paupertatem Christo fieri conformem. *Vnde S. Bonav*: invitans nos ad studium hujus paupertatis, inquit: Qui ex gratia vult donare cœlestia, cur etiam temporalia, & parva ab eo non speremus? aut ergo dabit nobis necessaria, inquantum expedit nobis; aut vires corporis ad sustinendum penurias, aut spiritualem dulcedinem meliorem carnali, & insuper præmium cæleste. Porrò eadem paupertas Minoritica, secundum intensionem considerata, tres alios habet gradus: *Primus* gradus, quando quis Superiores gradus paupertatis modo recensitos habet in acquirendo: habet autem, dùm revera amat sic esse pauper ad imitationem Christi; quamvis in defectu necessariorum, sentiat internam remurmurationem, modo illam per DEI gratiam piis meditationibus vitæ sui Salvatoris reprimere studeat: *Secundus est*, quando quis eandem paupertatem habet in esse acquisito: habet autem: dùm summopere amat sic pauperem ducere vitam ad Christi Domini imitationem, jam quidem absq; sensu internæ remurmurationis, in defectu necessariorum constitutus. *Tertius est*, quando quis eandem paupertatem habet in excessu, seu secundum excessum virtuosum; habet autem, dùm sic amat, cupitq; esse pauper propter imitationem Christi, ut etiam involuntariis pauperibus, piissimo affectu erga Dominum JESUM concitatus, omninò invideat miseram eorum paupertatem. In hoc gradu altissimæ paupertatis Sanctissimus Noster Patriarcha, continuo stabat, ut patet ex ipsius vita.

Dicen-

Dicendum *4tò.* Quod paupertas Ascetica, non raro habetur vitiosa, tùm secundùm defectum, tum secundum excessum omnibus Fratribus Minoribus vitanda: vitiosa quidem secundum defectum duplex habetur. *Ima.* quidem dicitur, mundanè sollicita, tali nimirum adverbio adstructa, ut inde appareat differentia inter illam sollicitam curam, quæ *in Regula c. 4.* Superioribus nostris demandatur; & inter hanc præsentem: cùm aliud sit sollicitam curam gerere ex fraterna charitate, & aliud ex mundana cupiditate, alias in Evangelio *Matth: 6.* Vituperatam atq; prohibitam. Jam ergo vitiosa paupertas hujus loci illorum est, qui ex quadam quasi inadvertentia res mundi quoquo pacto ad se pertinentes, facile deserunt; quas rursus in suo statu Minoritico, alias contra suam professionem satis avidè nimisq; sollicitè quærunt *2da* paupertas vitiosa secundum defectum dicitur querulosa; quæ illorum est, qui mundana, re & voluntate seu affectu & effectu dimiserunt, & hic in Religione cunctas res curiosas, pretiosas & superfluas aversantur: sed in defectu necessariorum satis turbantur & graviter conqueruntur; non considerantes quod licet non sit de essentia paupertatis asceticæ inopia rerum; est tamen de integritate & condecentia, juxta *Philip: 4.* In omnibus institutus sum, scio & satiari & esurire, & penuriam pati, & abundare. Unde *2. Cor: 3.* Christus pro nobis egenus factus est cùm esset dives; Similiter & Apostoli primi ejus Sectatores, in quorum persona dicitur. *1. Cor: 4.* Usquè in hanc

horam

horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.

Paupertas vitiosa secundum excessum illa esset; Si aliquis Frater Minor vellet à Communitate fratrum suorum, penuriosam semper servari paupertatem; cùm alias paupertas penuriosa paupertatis asceticæ, ut plurimum relaxativa ac destructiva sit per clandestinas (videlicet fratrum debilioris virtutis) procurationes rerum sibi necessariarum.

EXERCITIVM SEV ACTVS PAUPERTATIS.

Hebdom: 1. Resolve te etiam necessarijs libenter carere in casu, quem etiam obvenire tibi aliquando tanquam summam felicitatem exopta.

Hebdom: 2. Ex amore paupertatis JESU, hac Septimana vel Mense, à potu delicatiori (etsi detur occasio) extra mensam saltim abstine.

Hebdom: 3. Exi ad mendicationem ostiariam panis, si in illo loco fit.

Hebdom: 4. Videndo pauperes, invide illis quod careant necessarijs, cùm tu abundes aliquando commoditatibus.

INSTITVTIO VIII.

De Castitate.

DIcendum est Imò. Quod Castitas Ascetica, multas apud Viros Spirituales habet sui magnificas commendationes; quarum aliquas recensere oportet. *Ima* quidem est, quod omnes novi ascetæ, & cujuscunquè Status Religiosi, ubi ad

DEUM

DEUM per pœnitentiam convertuntur, ibi per cultum castitatis desinunt esse carnales, & incipiunt esse Spirituales, ac prorsus Christo adhærentes, juxta *Galat:* 5. Qui Christi sunt (veri sectatores) carnem suam (vel maximè Studio ac disciplina castitatis) crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Unde B. Fr: Ægidius ad illam fratrum quorundam propositionem: Quæ nam Sancta Virtus, Vitam Religiosam ac Spiritualem inchoantibus imprimis eligenda & exercenda esset? respondit Ego eligendam & exercendam esse puro Castitatem; quo responso accepto quidam ex illis fratribus dixit: Nonnè major est charitas? at ille spiritu elevatus ac inflammatus, exclamavit: Quid castius charitate? ac inde cantitabat: O Sancta Castitas qualis es? quanta es? Tu talis es, & tanta, qualem & quantam fatui non cognoscunt. Ac proinde nisi quis in quocunq; statu spirituali satis addictus castitati fuerit, sciat procerto nullatenus in cæteris Christi virtutibus se profecturum, præterquam hypocritice seu apparenter, non autem veraciter. 2*da*. quod Castitas ascetica tantum valet in vita spirituali, quantum valent omnes asceticæ aliæ virtutes: ita ut qui in sua vocatione castitati satis addictus est, habeat omnino vitæ spiritualis dimidium: qui verò item cæteris virtutibus asceticis incumbit, habet alterum dimidium: quæ disparata, nihil prorsus faciunt coram DEO ad meritum Vitæ æternæ; sed coadunata, integram constituunt vitam spiritualem, cui debetur gloriosissima vita æterna. Unde S.

de S. Greg: hom: 13, in Evang. Duo sunt, quæ jubentur & lumbos restringere & lucernas tenere, ut & munditia sit castitatis in corpore, & lumen veritatis in (virtuosa) operatione 3tia. Quod sicut nuptiæ replent terram, & luxuria infernum, ita castitas cælestem paradisum. De Nuptiis quidem illud est Gen: 1. Crescite & multiplicamini. & replete terram. De luxuria verò illud est. Gen: 19. Quod propter illam omnes insimul Sodomitæ cum suis finitimis igne sulphureo detrusi sunt per divinam potentiam in infernum. Et ab initio mundi raró putant Viri spirituales condemnari aliquem, qui prorsus careat peccatis luxuriæ. Unde asserit Drexel: quod ubi centeni juvenes inferorum flammis adjudicantur cælitus; è centenis istis nonaginta novem ob vitium carnis damnari, centesimum demum, ob aliquam aliam graviorem noxam. Item quidam alius. Ubi è provectioribus ætate centum damnantur, octoginta pro peccatis luxuriæ, & viginti pro alijs criminibus æternis cruciatibus addicuntur. De Castitate tandem illud est, Matth: 12. Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt (id est, castificaverunt per abgnegationem carnalis concupiscentiæ) propter regnum cælorum. Et Apoc: 3. Qui (à sua nativitate, vel renativitate) non inquinaverunt vestimenta, (quibus contegunt animas suas) ambulabunt mecum in albis. 4ta. Quod Christus castissimus, specialissimè diligit castos eosq; prosequitur magnis favoribus, secundum illud Ecclesiæ S. dicentis de S. Joanne Evang: in responsor: 5. ipsius festivit. Diligebas

bat JESUS Joannem, quoniam specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum; quia Virgo electus ab ipso, &c: *sta.* Quod soli duntaxat Religiosi, & quicunq; Ecclesiastici castè viventes, Sanctum Christi panem dignè ac inculpabiliter manducant, tam sc; Spiritualem Eucharisticum, quàm corporalem, aleëmosynaliter, quotidinatim, vel annuatim à fidelibus ob amorem ejusdem Christi oblatum. Cujus rei habetur figura *1. Reg. 21.* ubi Abimelech Sacerdos noluit concedere panem Sanctum David, antequam spopondisset mundum se esse, & suos Commilitones, maximè à mulieribus suis, videlicet uxoribus.

Dicendum *2dò.* Quod Castitas aliquando largè, aliquando strictè accipiatur. *Largè* sumpta, est Virtus generalis, vi sua reprimens omnes motus animi inordinatos, seu legi Divinæ repugnantes; quæ alias dici solet Castitas Spiritualis, seu castitas mentis aut conscientiæ; tunc autem habetur, dùm refugit mens conjungi delectabiliter alicui rei contra debitum ordinis Divini, dumq; appetit delectabiliter soli DEO perpetua conjungi adhæsione. De hujusmodi Castitate illud est *2. Cor. 11.* Despondi enim vos Uni Viro Virginem castam exhibere Christo. *Strictè* sumpta est Virtus specialis, vi sua contra luxuriam pugnans. Hæc autem alia dicitur Virtus necessitatis, de lege præcepti, ad vitam æternam consequendam necessaria; alia superaregationis, alias de lege consilij, majoris meriti & præmij cælestis habens promissionem; juxta jam *cit. Apoc. 3.* Qui non inquinaverunt vestimenta

stimenta sua, ambulabunt mecum in albis. Castitas *necessitatis*, si est extra Matrimonium, fugit omnem veneream voluptatem, tam externi, quàm interni sensus, nè Dominus DEUS offendatur, ac pæna æternæ damnationis incurratur. Si verò est intra Matrimonium, admittit quidem venereos actus inter legitimos conjuges in ordine ad procreandam prolem, & concupiscentiam carnis sedandam; sed perpetuo omnes aversatur adulterinos actus, tam externos quàm internos, quod ipsum jure conjugali coram DEO in facie Ecclesiæ firmat. Unde *Matth*: 5. Audistis, quia dictum est aniquis. Non mæchaberis, Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo. Quodsi oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te, expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam, &c: *Castitas* Supereogationis, alia est Vidualis, alia Virginalis: Utraq; ad imitationem Christi, & gloriosissimæ MATRIS ejus VIRGINIS, omne fugit experimentum venereæ voluptatis usq; ad mortem; altera quidem à solutione Matrimonij, altera verò ab ipsa nativitate. De Castitate viduali est. 1. *Cor*; 7. Quod si dormierit vir ejus, liberata est à lege; cui autem vult nubat tantum in Domino; beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium. De Virginali verò *ibidem*, De Virginibus præceptum Domini non habeo &c: Porrò Castitas vidualis & virginalis propriè sumpta alia

est sim-

est simplex, serio proposito, aut etiam simplici voto sive privatim sive publicè emissio confirmata. Alia Solemnis seu ascetica voto nimirum Solemni roborata in quacunq; Religione intra Ecclesiam Catholicam. Castitas quoq; ascetica, illorum Religiosorum qui in statu sæculari incontinenter quidem vixerant, jam autem ab ingressu Religionis vitam ducunt nullo peccato luxuriæ maculatam, ac in Sanctitate & justitia omnibus diebus suis coram DEO ambulant, merito dici potest Virginalis licet impropriè, velut non à nativitate, sed tantum à renativitate servata ac proinde castitas virginalis renata appellatur: quæ alias simplicem castitatem virginalem propriè sumptam crebrò superat merito & præmio, propter sibi annexas cæteras virtutes asceticas, & statum sui firmiorem: Simplex enim castitas virginalis à nativitate servata subjacet instabilitati eo quod possit congruis medijs ad nuptias aspirare. Hæc autem renata, seu à renativitate spirituali servata, nullatenùs ordinariè loquendo subjacet alicui dispensationi, melioremq; habet exteriorem & interiorem sui custodiam, exteriorem autem puta esse claustrum, & separationem à conversatione cum personis de incontinentia suspectis; Interiorem verò puta esse usitatam quotidie duplicem conscientiæ recollectionem; ac item singulis diebus duplicem mentalem orationem, præter privatas orationes jaculatorias Religiosis communiter usitatas, & Multa alia spiritualia exercitia externæ & internæ mortificationis.

Dicen-

Dicendum 3tiò. Quod Caſtitas Aſcetica tam ſecundum proſecutionem, & extenſionem, quàm ſecundum intenſionem conſiderata tres habet gradus. In *primo* quis conſtituitur, dùm habet caſtitatem in acquirendo: habet autem, ubi ob amorem illius ac imitationem Chriſti fugiens omnem quantùm poteſt cum DEI gratia incontinentiæ occaſionem, ac mundi incitamenta ad libidinem, ab ipſis etiam imaginationibus immundis, atq; cogitationibus impuris, ſtatim à principio ſuæ advertentiæ mentem diligenter avertit, & ad alia honeſta & ſancta ſtudiosè convertit, inſtanterq; ac ſollicitè, motibus in ſenſualitate libidinoſis naſcentibus reſiſtit, divinum contra eos confidenter invocando auxilium & carni ſuæ urgente tentatione aliquam applicando congruam mortificationem intenſam potiùs, quàm prolixam. In 2dò. gradu aliquis conſtituitur, dùm habet Virtutem Caſtitatis in eſſe acquiſito: habet autem, quando vehementi amore proſequens caſtitatem, poſt multas victorias de tentationibus carnalibus feliciter obtentas, minus jam rariuſq; ac remiſſius concupiſcentiarum ſtimulis exagitatur; atq; motus ſenſualitatis interdum conſurgentes, citiùs & faciliùs ſolo quaſi ſuæ voluntatis imperio compeſcit. In 3tiò. quis conſtituitur, dùm habet caſtitatis virtutem in exceſſu, ſeu ſecundum exceſſum virtuoſum habet autem, ubi tantopere diligit virtutem caſtitatis, ut præmultitudine amoris illius diros cruciatus ſufferre potiùs malit, ac ipſam crudeliſſimam ſubire mortem, ſimulq; pœnam ſenſus infernalem,

quàm pati aliquod in tanta virtute Christo amantissima detrimentum.

Dicendum *4tò*. Quod castitas sæpènumero datur vitiosa, tam secundum defectum quàm secundum excessum. Castitas secundum defectum multiplex est. *1ma* quidem dicitur fatua, eo quod non habet pro fundamento castitatem spititualem. Unde est *Matth*: *25*. Quinque Virgines erant fatuæ, quinque prudentes. *2da*. dicitur incauta, quæ suæ ruinæ occasiones non fugit ut oportet, cùm alias cauta seu circumspecta fugiat saltim proximas: cautior autem (uti est Castitas ascetica) etiam remotas. *3tia*. dicitur delicata, quæ nimis indulges proprio corpori, omnem refugiens illius mortificationem de hac illud est *1. Tim*: *5*. Vidua quæ in delicijs est, vivens mortua est. *4ta*. dicitur scandalosa; quæ utcunq; servatur mente & corpore, sed nonnullis signis, verbis æquivocis, moribusq; minùs probatis excitat in se, & in alijs cogitationes venereas, & motus libidinosos, aut parit alicujus incontinentiæ suspicionem. *5ta*. dicitur Materialis; quæ propria est, puerorum, qui nondum sentiunt motus in sua sensualitate libidinosos, quos formalis castitas sentit eosq; compescit quod ad veram spectat virtutem. Castitas secundum excessum illa esset: quæ ab ingressu Religionis omnino vellet carere sensu libidinoso, cùm alias castitati asceticæ, non noceat sensus, nisi consensus. Castitas enim est habitus in anima rationali (natus videlicet ex firmis propositis nunquam experiendi veneream voluptatem ob amorem virtutis, &

Christi

Christi imitationem) ut in subjecto habens materiam in fragili corpore, qui nec per sensum involuntarium, nec per violentiam tollitur. Illa item esset, quæ ob sui conservationem volens tentationis ardorem temperare, præsumeret contra debitum Divini ordinis rescindere instrumenta incontinentiæ; cùm alias ad virtutem castitatis non veniatur, nisi per tempestivam concupiscentiæ, motibus resistentiam, nisi per mortificationem sensualitatis asceticam, nisi per fugam malæ occasionis, & invocationem auxilij cælestis; nisi deniq; per continuam deprecationem divinam juxta *Sap*: *8.* Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEUS det: idcircò adij Dominum, & deprecatus sum; ut videlicet dignaretur mihi donum conferre castitatis. Nisi tandem per ferventem divinam charitatem; nam ait *Glossa in cap*: *Gen*: *32*. Crescente Virtute menis, decrescit fortitudo corporis.

EXERCITIUM ET ACTUS CASTITATIS.

Hebdom: *1.* Vel minimum quidem in hac materia defectum sive in mente, sive in sensu, indispensabiliter punire confessione cita & flagellatione.

Hebdom: *2*. Ex amore hujus virtutis, sæcularium consortia, visitationes etiam sub prætextu pietatis fugere.

Hebdom: *3*. Ex eodem motivo, morbos, dolores, gaudenter suscipere; quia cùm angustiantur Vasa carnis, dilatantur spatia, nè dum charitatis sed & castitatis.

Hebdom: 4. Humilis oratio ad DEUM, Beatissimam VIRGINEM, Angelos &c: pro gratia resistendi tentationibus istis periculosissimis, à quibus nec in sera senectute securi erimus: non possumus autem esse continentes, nisi DEUS det.

INSTITUTIO IX.

De Sobrietate.

DIcendum est *Imò*. Quod Sobrietas ascetica multas habet commendationes. *Ima.* commendatio est, quod Ascetæ sobrietati ut oportet addicti, facile semper de quibuscunq; tentationibus feliciter triumphant, fortiter illis resistendo: non sic autem carni suæ nimis indulgentes, cibis & potibus delicatis passim illam abundè implendo: hos namq; diabolus à sobrietate alienatos, diligenter ad devorandum venatur, compellendo eos ad perpetranda multiplicia peccata, contentionis videlicet, murmurationis, detractionis, libidinis, hisq; similia. Unde est. 1. *Petr:* 5. Fratres Sobrij estote &c: *2da.* quod sobrietas ascetica, uti & paupertas spiritus, seu voluntaria vitat mundanam sollicitudinem: Religiosi enim sobrietati satis addicti, modicis contenti sunt; & consequenter modica sibi provident, absq; molestia benefactorum. *3tia.* quod sobrietas paupertati voluntariæ conjuncta proximos multum ædificat; qui enim vident Religiosorum exteriores observantias benè ordinatas, inde conijciunt, quòd optimè de interioribus eorum sentire debeant. *4ta.* quod sobrietas conducit summoperè ad facilem multarum virtu-

rum

eum acquisitionem; sobrius enim Religiosus agilior est ad bonum, aptior ad servandam castitatem, cautior in lingua, promptior ad devotionem; purior in affectu ad acquirendam Sapientiam, expeditior ad mentaliter orandum, subtilior & acutior mente ad contemplandum, memoria tenacior divinorum. *5ta.* quod sobrietas satisfactoria est pro peccatis, sicut enim DEUS ut plurimum voluptate carnis offenditur; ita etiam ipsius castigatione placatur. *6ta.* quod sobrietas multum valet ad meritum vitæ æternæ: quo etenim magis hîc à voluptate sibi quisquam subtrahit, eo etiam magis in Præsenti sæculo spiritualibus, & in futuro cælestibus delicijs superabundabit.

Dicendum *2dò.* Quod sobrietas hujus loci est Virtus opposita ebrietati & gulositati; quâ quisquam in sumptione potûs inebriativi & esculentorum temperans est. Hæc autem sobrietas aliquando est virtus *necessitatis*, de lege sc: præcepti necessaria ad vitam æternam consequendam, refugiens ebrietates & commessationes, nè DEUS offendatur, juxta *Rom: 13.* Sicut in die honestè ambulemus, non in commessationibus & ebrietatibus &c: Aliquando est virtus *supererogationis*, & consequenter ascetica: quæ de lege consilij servat temperantiam in usu comestibilium & potabilium. In *qualitate*; dum simplicioribus cibarijs & poculentis est contenta delicatiora & pretiosiora refugiens. In *quantitate* autem, dùm superfluos cibos & potus vitat; & extra tempus suo statui usitatum seu extra communem mensam, recusat bibe-

re & comedere, nè ad instar brutorum corpus oneretur, sed nonnisi honestè reficiatur. In *modo* tandem: dum in comedendo & bibendo disciplinæ ac modestiæ religiosæ prout decet, semper attendit.

Dicendum 3tiò. Quod sobrietas ascetica, tam secundum extensionem, quam secundum intensionem considerata tres gradus habeat. In *primo* quis constituitur, dùm est in acquirendo eandem sobrietatem: est autem, ubi studet in comedendo & bibendo advertere non ad voluptatem, seu sensualem delectationem, sed nonnisi ad naturæ satisfactionem & corporis refectionem. In *secundo* constituitur quis, dùm est in esse acquisito hujusmodi virtutis: est autem, ubi in aliquo defectu alimentorum soli nonnisi refectioni corporali deservientium libenter prout decet Religiosum patientiam servat. In 3tiò. tandem, dùm est in excessu Sobrietatis virtuoso: est autem, ubi amanter contentus est alimento, quod extremæ sufficit necessitati propter imitationem Christi qui pro nobis egenus factus est, (ut dicitur 2. *Cor*: 8.) cùm esset dives. Talis erat sobritas Apostolorum Domini, qui ut est *Luc*: 6. Vellebant spicas & manducabant, confricantes manibus. Unde S. Paulus ait: 1. *Cor*: 4. Usque in hanc horam & esurimus, & nudi sumus &c:

Dicendum 4tò. Quod etiam Sobrietas habetur aliquando vitiosa tam secundum defectum, quàm secundum excessum. Sobrietas secundum defectum, quæ non propter DEUM principaliter servatur,

multi-

multiplex est. *Ima.* dicitur Sobrietas medica, quæ servatur intuitu sanitatis corporalis recuperandæ vel conservandæ: hæc tamen si refertur in DEUM ex charitate meritoria est. *2da.* dicitur sobrietas paupertatis seu penuriæ, quæ necessario servatur ob carentiam alimentorum sufficientium: & hæc uti prior in DEUM referibilis est. *3tia.* dicitur Sobrietas avaritiæ: quæ servatur ad parcendum expensis. *4ta.* dicitur hypocritica, quæ servatur ob respectum humanum, vel ad placere hominibus. *5ta.* dicitur invita, quæ tristatur, indignatur, murmurat, dum non habentur comestibilia & potabilia secundum appetentiam. Sobrietas vitiosa secundum excessum illa esset, quæ abdicaret ac abijceret necessarium naturæ alimentum, cum detrimento corporalis sanitatis ac vitæ præsentis; cùm alias sic homo pro posse teneatur corpori suo providere; ut neq; de alimento ei strictè necessario aliquid desit, nè ante tempus deficiat; neq; supra debitum aliquid superflui adsit, ne alias ex abundantia lasciviat.

EXERCITIVM SEU ACTVS SOBRIETATIS.

Hebdom: 1. Attende ut retrahas quantum per naturam possibile, nè sensus communis fortiter apprehendat sapores, gustus in cibis, & potibus. Sed quasi cum cinere omnia condita & insipida essent.

Hebdom: 2. Hâc Septimana & Mense abstine à Vino, mulso, saltim extra mensam.

Hebdom: 3. Portionis melioris medietatem relinque.

Hebdom: 4. Sitim voluntariam patiaris, nec gustando quid post mensam.

INSTITVTIO X.

De Humilitate.

DIcendum est *Imò*. Quod humilitas Ascetica multas habet excellentissimas commendationes. *Ima*: commendatio humilitatis hæc est, quod sicut fides est fundamentum Virtutum Theologicarum & Virtus Religionis quæ propinquissima est Virtutibus Theologicis: ita humilitas est fundamentum omnium Virtutum moralium. Unde *S. Aug*: Magnus esse vis, à minimo incipe: cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Et *S. Bern*: Virtutum stabile fundamentum est humilitas, quæ si omittitur, Virtutum congregatio nonnisi ruina est. *2da* est, quod humilitas sit radix cujuslibet virtutis, pefectionis, & sanctitatis; sicut enim arbor nobilis nisi profundè ac latè fixerit & extenderit suas radices, non poterit crescere, durare, & multum fructum facere: ita Religiosus viam spiritualis vitæ ingrediens, nisi alias in humilitate egerit radices, minimè in studio virtutum ac perfectionis atq; sanctitatis proficiet ac perseverabit: quo autem erit humilior, eo in omni virtute, perfectione, & sanctitate fiet stabilior, atq; firmior. Unde *D. Aug*: Vis esse Sanctus, sis humilis; Vis esse Sanctior, sis humilior, vis esse Sanctissimus, sis humillimus. *3tia est*, quod sit Mater cunctarum Virtutum, juxta *D. Bonav*: Quatuor dicuntur

esse Matres virtutum: Fides origine, quia ex motibus fidei surgunt motus aliarum virtutum. Charitas, educatione: prudentia regimine: humilitas, conservatione. *Idem.* In tantum enim decor virtutum conservatur, in quantum & humilitas Mater earum virescit; sed marcescente humilitate, cæteræ deficiunt virtutes: non enim decora est obedientia, paupertas, castitas, patientia, & quævis alia virtus sine humilitate. Unde *D. Bernard*: Sine humilitate audeo dicere, quod nec Virginitas MARIÆ DEO placuisset. *4ta.* quod sit omnium virtutum ac bonorum operum custos. Unde *Sanctus Bonaventura*: Nisi virtutes ab humilitate in principio & in medio, & in fine fuerint custoditæ, mox afflante spiritu Superbiæ in äërem dispergunter, & ab inani subrepente complacentia, vanaq; insidiante gloria vitiantur, ac depravantur: alia enim vitia, ut potè ira, luxuria, invidia, acedia avaritia in malefactis sunt, & statim de nomine cognoscuntur, ut illa caveamus; Superbia verò etiam in benefactis reperiri solet, ut ea destruat. Et *S. Bern*: Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. *5ta* est, quod sit virtus Christi specialissima, quam nos unice suo exemplo & verbo docere dignatus est. Unde *S. Aug*: Exinanivit semetipsum, ut prius præstaret exemplo, quod erat docturus Verbo, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram. Quod autem Christus humilitatis virtutem tantopere nobis exemplo & verbo commendaverit; ratiò est: quia ipsa est via ad veram Sapientiam, sicut

cut superbia ad veram stultitiam. Juxta *Matth:* 11. Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc (*quæ sunt de ratione veræ Sapientiæ*) à Sapientibus & prudentibus (*id est à Superbis*) & revelasti ea parvulis (*id est, humilibus*) unde *S. Bern:* Humilitas est virtus, quâ homo ex vera sui cognitione ipse sibi vilescit.

Dicendum 2dò. Quod humilitas duplex habeatur. Exterior videlicet ac Interior. *Exterior* quidem humilitas idem est, quod humiliatio, vel maximè à Religiosis intra suos Conventus communiter observata, in ordine ad acquirendam & conservandam interiorem humilitatem pernecessaria, juxta *D. Bern.* Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem: lectio ad scientiam: Si igitur virtutem humilitatis appetis, viam non refugias humiliationis: nam si non potes humiliari, non poteris ad humilitatem pervenire. Humilitas *interior* largè & strictè accipitur. *Largè* sumpta, est virtus generalis faciens mentem submissam ad omnia efficaciter implenda, quæ cælitùs homini ordinata sunt propter vitam æternam obtinendam. *Strictè* verò sumpta est virtus specialis, quæ secundum *D. Bonav:* est voluntaria mentis inclinatio ac demissio ex intuitu propriæ conditionis proveniens. Hæc autem demissio mentis, si fiat DEO; dicit humilitatem respectu DEI; si vero fiat proximo propter DEUM, dicit humilitatem respectu proximi: Si deniq; fiat in seipsa, dicit humilitatem respectu nostri. Sanè quidem hoc triplici mundo humilitas præsens considerata alia

est Ne-

est Necessitatis, alia Supererogationis. Humilitas *Necessitatis* alias est de lege præcepti ad vitam æternam obtinendam necessaria, & possidetur ab aliquo respectu DEI quando agnoscit ac demissa mente adorat palamq; confitetur DEUM, ut DEUM ac Dominum suum cum S. Thoma Apostolo dicente *Ioann*: *20*. Dominus meus, & DEUS meus. Atq; præcepta ejus à modo ex plena charitate tota sui cordis efficacia servare proponit; detestando peccata supra omnia detestabilia, quibus unquam Majestatem ejus graviter offendit, cum Propheta dicente *Psalm*: *118*. Iniquitatem odio habui & abominatus sum; legem autem tuam dilexi. Humilitas Necessitatis *respectu* proximi ab aliquo possidetur, quando subijcit se, vel potiꝰ sua, quæ sunt in se cuicunq; homini ratione eorum quæ sunt DEI in ipso; quod videlicet gratia DEI factus sit Rex, vel Dominus, vel Superior, doctrina & virute præditus, sed non requiritur, ut subijciat alicui sua quæ sunt DEI in se, ratione eorum quæ sunt DEI in ipso: neq; ea quæ sunt sua in se, ratione eorum, quæ sunt ejus in ipso. Nullus enim justorum tenetur de lege præcepti habere alios semetipso justiores; nec seipsum alijs esse viliorem inutiliorem, &c. Humilitas *Necessitatis* respectu sui ipsius ab illo possidetur, quando revera agnoscit se esse peccatorem miserum, inutilem respectu DEI; vilem factum per sua peccata coram DEO, & stultum, ut pote multa salutaria ignorantem; atq; ut talem seipsum contemnit. Humilitas *Supererogationis* de lege sc. Consilij, alias dicitur asce-

tica,

tica, quam habet aliquis respectu DEI in 1mò. gradu extensionis & intensionis, quando profundè demissa mente Christo DEO, Domino ac Salvatori suo adhæret in æternum, viis ejus consiliorum ac virtutum studiosè ipsum insequendo. In 2dò. autem gradu quando demissa mente flagella DEI cunctaq; adversa, à DEO sibi inflicta aut infligenda pro peccatis suis libenter tolerat vel tolerare paratus est ad Christi Domini imitationem cum summa gratiarum actione, juxta Tob: 11. Gratias tibi ago Domine, quia castigasti me, & sanasti me. In 3tio tandem quando cuncta sua bona tàm corporalia quàm spiritualia demissa mente recocognoscit se à DEO absq; suis quibusvis condignis meritis accepisse, eademq; in DEUM à quo illa recepit intimè refert non suam inde, sed ipsius suorum bonorum Auctoris gloriam quærendo, juxta Psalm: 113. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Humilitas Supererogationis, alias ascetica respectu proximi habetur in 1mò gradu, quando quis proximo suo majori, in dignitate, doctrina, virtute, & similibus, mentem suam demittit exterius & interius, & non præfert se æquali. In 2dò. autem, quando eandem mentem demittit proximo suo æquali, & non præfert se minori. In 3tiò. quando eam demittit minori, & nemini se præfert. Demittimus autem alicui proximo mentem nostrã interius, tunc: quando majora & potiora de illo sentimus, quam de nobis ipsis, juxta Philip: 2. Humilitate Superiores sibi invicem arbitrantes. 1ùm quando illum ob ali.

ob aliquos defectus minime despicimus, quoniam Domino cadit & resurgit: atq; persuademus nobis habere illum aliqua bona, quibus nos caremus, & nos habere aliqua mala, quibus ille caret. *Tùm*, quando mala ab eo nobis illata subiectissime toleramus, ac malis quæ inde proveniunt ipsi, veraciter condolemus. *Tùm*, in præsidendo, quando eis prodesse cupimus, juxta *Eccl:* 32. Rectorem te posuerunt noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis. Demittimus verò mentem nostram alicui proximo exterius. *Tùm*, in signo, quando inclinatione nostra præveniendo eum veneramur, locum ei honorabiliorem concedimus, juxta *Rom:* 10. Honore invicem prævenientes. *Tùm* in ore, quando ejus benefacta coram alijs laudamus, commendamus, & prædicamus; male facta verò palliamus aut excusamus, & in quantum licet defendimus, dubia facta item benè interpretamur, & alios male illa interpretantes corrigimus. Tùm in opere, quando eis obtemperamus, obsequia nostra impendimus, bona præstamus, pedes eorum abluimus ad imitationem Christi, juxta *Ioann:* 13. Si ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare. Unde *S. Aug:* Didicimus fratres humilitatem ab excelso, faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit excelsus: cùm enim ad fratris pedes inclinatur corpus, tunc in corde ipso vel excitatur, vel si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus.

Humilitas *Supererogationis* respectu nostri habetur in *1mò.* gradu, quando quis ex considera-

ſideratione conditionis propriæ deveniens in ſui cognitionem, ſeipſum vilipendit atq; contemnit, non tantum ut verè peccatorem, miſerum, vilem, inutilem; verùm etiam ut peſſimum, miſerrimum, viliſſimum, inutiliſſimum, & ſtultiſſimum. In *2dò* gradu habetur, quando quis ſic ſeipſum contemnens, ubi etiam eâ causâ ab alijs contemnitur, atq; contemptibiliter tractatur, hoc ipſum modeſtè ac pacifice fert. In *3tio.* quando quis hujuſmodi contemptum deſiderat, atq; cum gaudio ſuſcipit, juxta *D. Greg: l. 1. dial: c.* 5. Sicut ſuperbi honoribus, ita plerumq; humiles ſui deſpectione gaudent: quia judicium quod de ſe intus habent ab alijs ſentiunt approbari.

Dicendum *3tiè.* quod facile eſt cuilibet homini cognoſcere ſeipſum eſſe peſſimum ſeu maximum peccatorem, ſi juxta teſtimonium propriæ conſcientiæ conſideraverit multitudinem ſuorum peccatorum: profectò enim inveniet ea multo plura ſe alijs perpetraſſe. *Tùm* publice & ſcandalosè. *Tùm* occulte, ſed DEO ac ſibi ipſi aperte. *Tùm* Soli DEO cognite, ſibi verò ipſi ignotè, à quibus timuit ſibi Propheta cùm diceret. *Pſalm: 18.* Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo: Si quoquè gravitatem peccatorum ſuorum ponderaverit, & cum peccatis aliorum comparaverit; certè plures illi occurrent circumſtantiæ, peccata ſua aggravantes quàm minuentes, & aliorum excuſantes, quàm accuſantes; ſicut enim qui gravi laborat dentium aut oculorum dolore, dicit ſuum dolorem eſſe maximum

ximum omnibus doloribus aliorum, quia suum cognoſcit per experientiam, aliorum verò dolores nonniſi per conſiderationem: pari ratione cujuſvis peccatum verè pænitentis, atq; de ipſo dolentis, maximum ſibi videtur, ac revera experimentative graviſſimum eſt; Si deniq; obſervaverit ſui cordis pronitates ac propenſiones ad malum, ſic etiam maximum ſe peccatorem quiſq; inveniet: quia extra gratiam DEI videbit ſe faciliter poſſe omnium hominum qui ſunt, ac aliquandò fuerunt, & erunt perpetrare peccata, licet non opere, certè nihilominùs ipsâ approbatione. Ea re *S. Paul:* *1. Tim: 1.* dicit ſe eſſe peccatorem primum, *id eſt*, ſummum, maximum, graviſſimum, ac peſſimum. Miſerrimum etiam ſe quiſq; conſpiciet ubi conſideraverit quod neſciat utrum ſibi peccata præterita dimiſſa ſint nec nè: tùm quo ad culpam, tùm quo ad pænam: nam dicitur *Eccl: 9.* Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia, in futuro reſervantur incerta; Si equidem non ſunt ſibi dimiſſa, certè miſerabilior eſt cane & buſone, quia iſtorum hic finitur miſeria; peccatoris autem & hic & illic perficietur. Si etiam moralem ſeu probabilem habet certitudinem quod ſit in gratia DEI, tamen adhuc miſerrimus eſt: quia quantum eſt, ex ſe, minime valet in eadem gratia permanere uſq; in finem. Viliſſimum ſe quoq; inveniet. Si *1mò.* recogitaverit, quod poſt veram ad DEUM converſionem toties in aliqua peccata reciderit, juxta *Jer: 2.* Quam vilis facta es nimis (ô anima) iterans vias tuas. Si *2dò.* ſuos defectus examinaverit,

naverit, naturales nimirum morales, ac spirituales; profectò inveniet se in sæculo fuisse vel ignobilem, vel mendiculum, vel expertum eruditionis: in Religione autem vel indevotum ac passionatum; vel præterea ambitiosum, murmurationibus addictum, & carnis commoda suo statui inconvenientia insequentem, vel item de fictis atq; hypocriticis Virtutibus gloriantem, humanos favores appetentem: vel deniq; alios temerè judicantem ac despicientem: indeq; nimis vilem seu vilissimum effectum; nam ait *S. Greg*: Tanto quis est vilior DEO, quanto pretiosior sibi: tanto pretiosior DEO, quanto propter DEUM vilior sibi. Et *S. Bern*: Appetere de humilitate laudem, humilitatis, non est virtus, sed subversio; verus humilis vult vilis reputari, non humilis prædicari; gaudet contemptu sui, hoc solo planè *est magnanimus* quod laudes contemnat. Si 3*tiò* consideraverit aliorum vel nobilitatem, vel scientiam, vel devotionem, vel profectum in virtutibus continuum & similia, quibus eum superant, facile judicabit se alijs esse viliorem. Unde *S. Anselm*: Alterius Virtutem non vitium; suumq; vitium non virtutem considerare debet, quisquis ad culmen humilitatis attingere studet. *Inutilissimum* se quisq; conspiciet, si consideraverit verba illa æternæ veritatis ad Apostolos prolata *Luc*: 17. Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis dicite: Servi inutiles sumus. Namsi Apostoli verè sunt Christo inutiles (puta ex seipsis) certè quivis alius inutilissimus est. Item illa verba *Ioann*: 15. Ego sum

vitis,

vitis, vos palmites, qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia si ne me nihil potestis facere: qui ergo ex se nil potest facere, profecto inutilis est, ac in sensu suo, seu experientia & æstimatione inutilissimus. Stultissimum tandem se quisq; reperiet, quanvis habeat summam doctrinam & scientiam; si consideraverit ac examinaverit prositnè sibi scientia sua ad salutem æternam consequendam, necnè: nam si non prosit, jam stultissimus est eorum omnium qui sua scientia atq; doctrina meliorantur. Si etiam prosit; adhuc quantum est ex se, talis est: quia id quod à DEO habet, in DEUM referendo prout expedit, nonisi stultissimus remanebit: hoc pacto Salomon sapientissimus, stultissimum se esse confitetur dicens. *Prov*: *20*. Stultissimus Virorum ego sum. Unde etiam admonemur *1. Cor*: *10*. Nemo seipsum seducat; si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat (*in sua æstimatione*) ut sit sapiens; & consequenter stultissimus fiat, ut sit secundum DEUM Sapientissimus.

Dicendum *4tò*. Quod Humilitas non raro habeatur vitiosa tam secundum defectum, quàm secundum excessum, summoperè sectatoribus Christi vitanda. De anteriori quidem est *Eccl*: *19*. Est qui nequiter humiliat se & interiora ejus plena sunt dolo. De posteriori verò est. Et est justus, qui se nimium submittit à multa humilitate. Humilitas secundum defectum quadruplex est. Quarum *Ima* dicitur violenta, ad quam compellitur quis ab aliquo principio extrinseco. De hac humilita-

militate est *Psalm*: *104*. Humiliauerunt in compedibus pedes ejus. Et *2*. *Mach*: *9*. Humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam DEI virtutem in semetipso contestans. Verùm illa humilitas quæ venit à principio tùm intrinseco tùm extrinseco, *id est* tam à voluntate aliena cogente, quam à propria consentiente, jam habet aliquid virtutis ascetis usitatæ, talis enim communiter est humilitas juvenum noviter Religionem ingredientium, qui varijs mortificationibus & vilificationibus à suis Magistris spiritualibus humiliati, discunt ex necessitate facere sibi virtutem, DEO pro sua vocatione gratias agentes, juxta *Psal*: *118*. Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. *2da*. dicitur servilis, quæ ortum habens ex timore servili, à pæna quidem liberat possidentem se, at nullum ei meritum adfert. Talis fuit humilitas Achab, de quo est, *3*. *Reg*: *21*. Nonnè vidisti Achab humiliatum coram me. *3tia*. dicitur Superficialis, qualem humilitatem puta esse exteriorem, nullam alias habentem cum interiori connexionem. *4ta*. humilitas vitiosa secundum defectum dicitur superba, ficta, & simulata: quæ in aperto inferius tendit, sed in occulto alta petit, ac ideò propria est hypocritarum de qua *D*. *Hier*: *ad Cælest*: Humilitatem sequere, non quæ ostenditur aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum; sed quæ puro cordis affectu exprimitur: aliud enim est virtutem habere, aliud virtutis similitudinem. Et *ad Demetr*: Fictam humilitatem fugiens illam sectare, quam Christus docuit, in

qua

non ſit ſuperbia incluſa: multi enim hujus virtutis umbram, pauci veritatem ſequuntur. Humilitas vitioſa ſecundum exceſſum illa eſt. *Imò.* quæ præ nimia ſubmiſſione reddit hominem adeo puſillanimē, ut non audeat peccantes corrigere alias facile corrigibiles, ac eo ipſo firmat illos in malo propoſito, & ab aliorum oculis non amovet ſcandali occaſionem. Unde *S. Greg*: Admonendi ſunt ſubditi, nè pluſquam expedit ſint ſubjecti; nè cùm ſtudent pluſquam neceſſe eſt hominibus ſubjici, compellantur vitia eorum venerari. *2dò.* illa eſt, quâ homo ex vera cognitione ſuorum malorum connaturalium, ita dejecto manet animo, ut non extendat ſe ad cognoſcenda bona naturalia & ſupernaturalia cælitùs ſibi donata ad aliqua heroica atq; magnifica opera exercenda, tanquam ingratus hujuſmodi donorum. Unde *S. Aug*: Qui ſe dicit ſcire quod neſcit, temerarius eſt: qui ſe negat ſcire quod ſcit, ingratus eſt *3tiò.* illa eſt, quâ homo nimium ſibi vileſcens atq; diffidens, negligit negotiari talento Domini ſui (de quo eſt *Matth*: 25.) illudq; abſcondit in terra ſocordiæ ſuæ, doctrinam ſc: veritatis ac juſtitiæ cum detrimento animarum ſanguine Chriſti redemptarum occultando. Contra illud *Ezech*: 13. Noli eſſe humilis in ſapientia tua.

EXERCITIVM SEV ACTVS HUMILITATIS.

Hebdom: 1. Serio exprobra tibi tam modernos quàm præteritos defectus tuos, imperfectiones, &

negligentias, post tot annorum exercitia; item labilitates, errores tot commissos &c: & sic recogita, quod sis vilissimus, stultissimus, miserrimus, præsertim quod cùm his omnibus apprehendas aliquando te non esse sicut cæteros cum Pharisæo.

Hebdom: 2. Desidera ut nemo hominum sciat etiam post tui obitum de tua pietate, scientia &c: Si quæ sunt in te; sed ut tanquam abortinum perpetua sepeliaris oblivione, satis tibi erit, si forte tam indignissimo miserebitur Dominus.

Hebdom. 3. Non nimis oculta defectus tuos, non excusa te etiam in conviciis, excepto scandalo: indignissimum beneficiorum à DEO & ab hominibus acceptorum te reputa: Abominare & dole, si aliquando honoreris, cogitando quod sis sepulchrum dealbatum.

Hebdom: 4. Reputa te coram DEO & hominibus tanquam (imo magis) canem mortuum fætidum, abominabiliorem ipso dæmone, qui semel non nisi mente peccavit, tu milles etiam actu post infinita beneficia.

INSTITUTIO XI.

De Patientia.

DIcendum est *Imò*. Quod Patientia multas habet commendationes. *Ima* est, quod sicut per patientiam præsentis vitæ incommoda cunctaquè adversa redduntur tolerabilia. (quæ alias necessario ferre debemus, qualescunq; fuerimus in hoc mundo, sive justi ac innocentes, sive impii, ac scelerati, sive satis pænitentes: quia Christus Dominus

minus noster, alias justissimus ac innocentissimus ad nostram informationem pati secum voluit unum latronem impium ac sceleratissimum, & alterum compunctissimum) ita equidem absquè patientia adeo fiunt intolerabilia, ut quemlibet Religiosum hominem faciant in suo statu religioso irreligiosè ac stulte vivere; donec stultitiam suam per impatientiam exterius manifestam reddat juxta *Proverb*: 14. Impatiens operabitur stultitiam Et *paulo post*. Qui impatiens est exaltat stultitiam suam. Et *Iudith*: 8. Qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, impatientiam suam & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt. *2da*. est, quod per patientiã certissimum habetur indicium Sapientiæ cælestis in viro aliquo religioso permanentis, juxta *Prov*: 14. Qui patiens est, multa gubernatur Sapientiâ. *3tia*. quod per patientiam venitur ad verãChristi pacem: per patientiam enim vel maxime subjugatur, atq; in possessionem traditur spiritui sensualitas; ita ut amplius non possit eum inquietare suis concupiscentiis atq; passionibus: cujus quidem spiritus de sensualitate per patientiam triumphántis illud est *Psl*: 118. Anima mea (*sensualitatem intelligit*) in manibus meis semper. Unde est quod ait Christus *Luc*: 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. *4ta*. quod Vir DEI per patientientiam redditur securus de cælesti gratia, gratum se DEO faciente, atq; de charitate sibi inhærente, juxta 1. *Cor*: 13. Charitas patiens est, non est ambitiosa, *id est*, charitati patientia & humilitas inest, ut eam exornet,

 perfici-

perficiat & manifestet. *5ta.* est, quod patientia cujus unq; Viri religiosi plus cæteris virtutibus proximos ædificat quoniam rarius habetur, quàm omnes aliæ virtutes plures enim sunt casti, sobrij, paupertatem zelantes, semetipsos humiliantes, orationibus instantes multa bona operantes: pauciores autem in calumnijs, contumelijs, ac despectionibus humiliter patientes: passim enim semetipsos turbulenter excusant, atque contentiosè ac impetuosè defendunt; timentes ne multi creduli scandalizētur, si verbis condignis audacia & malitia calumniatorum atq; detractorum non retundatur: cum alias majorem dent scandali occasionem, ubi se per impatientiam vindicant mordaces remordendo; nam *S. Greg: hom: 18. ait*: Imitanti DEUM gloriosius est injuriam tacendo sustinere, quam respondendo superare. Et *S, Bern*: Times nè credatur detractori de te, & inde alij scandalizentur, sustine & tace, patientia tua tollet suspicionem, vel mitigabit præsumptionem in cordibus aliorum, & sic patiaris ut morsus pulicum *6ta.* est, quod per patientiam Christo veraciter compatimur, & id ei quod pro nobis ipse sustinuit rependimus, cùm inter nos ejus quas passus est dividimus injurias: cujus rei gratia ipse etiam daturus est nobis gloriæ suæ cælestis æternas delicias. Profectò enim si in præsenti Christo compatimur, eidem in futuro conregnabimus; & si fuerimus socij ejus passionum, erimus & consolationum, ut ait Apost: *1. Tim: 2.* Et *2. Cor: 5.* Et eo propius ibi Christo assistemus, quo hîc majora propter ejus imitatio-

imitationē æquo animo adversa toleraverim⁹ juxta illud quod ipse ait: *Luc*: 6. Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobaverint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis: gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces *vestra* multa est in cælo. Huc spectat quod ait *S. Greg*: Majoris est meriti adversa patienter tolerare, quam bonis & piis operibus insudare.

Dicendum *2dò*. Quod patientia largè & strictè accipiatur. *Largè* quidem sumpta est virtus generalis, qua cuncta mala hujus vitæ possibilia æquanimiter feruntur. Sunt autem hujusmodi mala vel alias incommoda seu adversa alia innata, ut sunt miseriæ tam animæ, quàm corporis. *Alia* illata, ut sunt castigationes ac punitiones à DEO inflictæ, persecutiones hominum, tentationes dæmonum. *Alia* aliena, uti sunt proximorum maxime verò domesticorum, mores incompti, vel aliquando inhonesti, dyscoli atq; scandalosi. *Alia* assumpta, uti sunt regulares disciplinæ ac mortificationes voluntariæ & similia. *Strictè* verò sumpta patientia est virtus specialis, qua omnis injuria (*realis puta ac verbalis*) à quocunq; adversario facta in tantum æquaminiter toleratur, ut homo neq; ex tristitia concidat animo per sui alienationem à studio virtutis, neq; ira perturbatus vindictam appetat. Patientia strictè sumpta alia est necessitatis, de lege præcepti, de qua est *Hæbr*: 10. Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem DEI facientes reportetis repromissionem. Hujusmodi autem patien-

ria, tolerat quidem injurias æquo animo propter DEUM, ſed jus reſervat ſibi cauſam ſuam coram Judice deponendi, ac ipſum injurioſum publicâ authoritate puniendi. *Alia* dicitur Supererogationis, de lege conſilij, quæ alias nullum jus ejuſmodi ſibi reſervat: ſciens illud S. Pauli. 2. *Cor:* 6. Jam omninò delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos; quare non magis injuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini? Talis fuit patientia eorum, in quorum perſona dicitur 1. *Cor:* 4. Maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus &c.

Dicendum 3tiò. Quod patientia ſupererogationis, tam ſecundum intenſionem quàm extenſionem conſiderata tres habet gradus. In *Imò*. quis conſtituitur, quandò propter Chriſti imitationem, mala ſibi ab aliquo adverſario injurioſe illata, æquanimiter ſuſtinet, omnem doloris ac impatientiæ motum in ſenſualitate conſurgentem, & omnem rationis inferioris diſcurſum turbulentum, & omnem immoderatam animi triſtitiam internâ mortificatione comprimit, adjutus cæleſti auxilio piis precibus advocato. Patientia enim ſecundum *D. Greg:* eſt aliena mala æquanimiter perpeti: contra eum quoquè qui mala irrogat, nullo dolore morderi.

In *2dò* gradu conſtituitur, quando ex longo uſu adverſa propter imitationem Chriſti æquanimiter tolerandi, ac impatientiam refrenandi, vix aut raro jam ſentit illos motus ſenſualitatis, ubi injuriâ afficitur, atq; audit remurmurationes ſuæ inferi-

oris

oris rationis, ac in animo ſuo experitur aliquas triſtitiæ amaritudines: jamq; illa adverſitas quam ſuſtinet, levis non autem gravis ei videtur. Unde *D. Bonav:* Vix aliquid in hac vita tam aſperum eſt, quod ex ſtudio patientiæ non fiat levius ad portandum, juxta illud: Quod male fers; aſſveſce, & feres. In *3tiò.* gradu aliquis conſtituitur: quando propter amorem Chriſti, atq; illius conformitatem cuncta pati adverſa deſiderat, ubi deſunt: cùm autem adſunt, illa gaudenter ſuſtinet juxta *Iob, 6.* Hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me, non parcat. Et *1. Cor: 12.* Placeo mihi in infirmitatibus meis: in contumelijs & neceſſitatibus, in anguſtijs, in perſecutionibus pro Chriſto. *Nota.* quod præſens patientia primi gradus habetur in acquirendo: Secundi in acquiſito: Tertij in exceſſu virtuoſo.

Dicendum *4tò.* Quod patientia nonnunquàm habetur vitioſa tam ſecundum defectum, quàm ſecundum exceſſum. aſcetis ſummopere vitanda, Patientia defectuoſa multiplex eſt. *Ima* dicitur Naturalis, quà quis ex impulſu amoris naturalis. abſq; debito reſpectu ad DEUM, libenter tolerat aliqua mala, ſanitati corporali conducibilia, uti ſunt: abſciſſio membri alicujus, inciſio venæ, potio medicinalis amara &c: *2da.* eſt vanitatis quæ ſuſtinet multos labores, multis exponit ſe periculis, multa incommoda & adverſa tolerat propter privatos ac mundanos reſpectus; talis patientia eſt militum, aulicorum, &c: *3tia.* Simulationis dicitur, quæ in aperto injuriam æquanimiter ſufferre videtur,

videtur, at uerò occultá intentione, in aliud tempus opportunum differt vindictæ ultionem. *4ta.* est Coactionis aut violentiæ, quá homo velit, nolit, vel alias invitus adversa sustinet sibi illata. Talis est patientia servorum Dominis suis peccantium, atq; latronum de qua est. *1. Petr: 2.* Quæ est enim gratia (*id est, meritum patientiæ*) si peccantes colaphizati sufferetis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud DEUM: in hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Item *cap: 4.* Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; Si autem ut Christianus (*id est innocenter ad imitationem Christi*) non erubescat, glorificet autem DEUM in isto nomine. *5ta.* dicitur patientia impatiens, quæ illorum est, qui in adversitate constituti, exterius quidem in signo verbo & opere, ob sui statûs decentiam patientes sunt; sed interius fovent impatientiam, ac misertimè turbantur: qui quoq; in publico præseferunt patientiam, sed in privato carpunt suos adversarios. *6ta.* est conditionata, limitata, ac temporaria: quæ illorum est, qui volunt quidem ferre quamcunq; injuriam propter imitationem Christi, modo non istam: à quocunq; homine, modo non ab isto; ad quodcunq; tempus, modo non sit longum, ac sine spe exitus ac finis. Patientia vitiosa secundum excessum illa est, quá homo in causa DEI patiens est: patientem enim esse in proprijs injurijs laudabile est: sed in DEI injurijs sum-

summopere impium. Illa *item* est, quâ quis patiens est in sui proximi injurijs: quem alias tueri debet vel ex justitia, vel ex charitate. Unde *Proverb: 26.* Nè respondeas stulto juxta stultitiam suam (*in tua causa*) nè efficiaris ei similis: responde stulto juxta stultiam suam (*in causa DEI & proximi* nè sibi sapiens videatur.

EXERCITIVM ET ACTVS PATIENTIÆ.

Hebdom: 1. Resolve te ad quascunq; miserias, morbos, quodcunq; tempus & genus mortis tibi à DEO assignatæ exemplo Christi etiam à lamentationibus abstinendo, totum te in morbo, providentiæ sive bona sive mala fuerit, fratris Infirmarij committendo.

Hebdom: 2. In adversis amarulentias, murmur internum excute; linguam nè dùm à convitijs &c: Sed etiam à justis excusationibus cohibe, nec desidera tibi compati alios.

Hebdom: 3. Assvesce illi actui: Mea culpa.

Hecdom: 4. Dignum te cogita longè majoribus vexis propter occulta tua vitia, & ora pro persequentibus te; fortè enim in pænam tui, præcepit eis Dominus, ut maledicerent tibi. Imò ista adversa desidera juxta illud: Improperiũ expectavit cor meum, & miseriã. *Alias* exhorresce nè forte reprobus sis, dùm nil pateris à DEO vel hominibus.



INSTITUTIO. XII.

De virtute Devotionis, seu Cultu Hyperduliæ erga Beatissimam VIRGINEM MARIAM.

DIcendum est *Imò*. Quod Cultus Beatæ Virginis MARIÆ (*juxta Lochner ex S. Hier:*) nil aliud sit, quam cultus quidam Superior qui debetur. Beatissimæ Virgini propter singularem suam excellentiam supra omnem aliam creaturam simplicem. Unde non immerito dicitur Hyperduliæ. Hinc Virtus Mariani cultûs benè potest definiri, Est quædam inclinatio, seu habitudo animi ad honorandam, amandam, invocandam, imitandam Beatissimam Virginem MARIAM, idquè supra omnem puram creaturam. *Motiva* hujus Cultûs sunt. *Imò* est honoranda, quia habet hoc, quod non habet ulla pura creatura: est enim vera MATER DEI; propter quod SS. Patres aliqui, quandam infinitatem ei adscribunt. *Item* est Mater nostra; juxta illud (ad Joannem directè, ad nos autem indirectè prolatum) Ecce Mater tua. *Item* honor exhibitus Matri Sanctissimæ, totus refunditur in Christum; Si enim dixit: Quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis; quantò magis si faciamus id, ejus Sanctissimæ Matri. Et *S. Bernard: supra Missus.* Non est dubium, quidquid in laudibus Virginis proferrimus, ad Filium pertinere. *Item* est Domina & Regina nostra quod *Rupert. & Arnold.* ex ipso etiam nomine MARIA

dedu-

ritatem conſcientiæ, & imitationem virtutum ejus. 2dò Per *exceßum*. Si quis cultum Latriæ, ſicut DEO, redderet Beatiſſimæ V. MARIÆ. Vel honorem ejus aliquibus extraordinarijs, ſuperſtitioſis, falſis, vel ſcandalum ingerentibus ignaræ plebi actibus, & ceremonijs promoveret.

EXERCITIVM ET ACTVS ERGA SS. V. MARIAM

Hebdom: 1. Æſtimatio ipſius dignitatis, excellentiæ, pulchritudinis ſuper omnem creaturam ex eo, quod ſit vera Mater DEI.

Hebdom: 2. Gaudium, quod inter fideles nullus penè ſit, qui aliquam devotiunculam non habeat ad Beatam V. MARIAM: & compati, quod à tot Ethnicis ignoretur; à tot Iudæis, Hæreticis &c: blaſphemetur tanta dignitas.

Hebdom: 3. Meditatio Sabbativa de doloribus ejus: & pro Præſentia die Sabbati, & feria quarta gerere in memoria Beatiſſimam V. MARIAM, & actiones vitæ ejus.

Hebdom: 4. Agnoſcere, & voto ſe ei conſignare in mancipium exaltandæ & defendendæ (pro viribus) dignitatis ejus contra impugnatores. Renovatio voti tuendi etiam ad martyrium cultum Immacul: Conceptionis Beatiſſimæ V. MARIÆ.

Plures Actus poterit capere ex Scal. ultima Pactorum. Tempus autem iſtius exercitij videtur commodum ſaltim per Solemniores Octavas Feſtorum Beatiſſimæ V. MARIÆ.

TRA-

TRACTATVS VI.

De vitijs oppositis virtutibus, ut proprie vitia sunt.

DIcendum est *imò*. Quod hactenùs egerimus de virtutibus asceticis, ac de vitijs earum lateralibus quæ sunt secundum defectū & secundum excessum: Nunc verò consequenter de vitijs eisdem virtutibus oppositis agendum est. Vitia igitur opposita Virtutibus quædam sunt innata, quædam aquisita. Vitia quidem *Innata* sunt habitus praui & motus inordinati, superbiæ, luxuriæ, avaritiæ inuidiæ, gulæ, iræ, & acediæ; quorum *quidam* habentur communes. quos anima rationalis contrahit à primis parentibus simul cum peccato originali in ipsa vnione naturali: ac inde naturaliter habetur propensa ad malum, & immobilis ad spirituale bonum; uti privata originali justitia; per quam habuisset fideliter subiectam suam sensualitatem suo spiritui, & spiritum ipsimet Omnipotenti DEO. *Quidam* habētur speciales, quos unicuiq; nostrûm complexio naturæ corporalis conferre solet. Unde homines complexionis Sangvineæ (ut pote calidi & humidi: quosvidemus facie rubra, serena, splendente atq; hilari) cæteris propensiores solent esse ad vitia carnis atq; luxuriæ, ad iocos, risus saltus, & similia. *Cholerici* autem calidi nimirum & sicci, propensiores alijs habentur ad vitia superbiæ & Iræ, atq; ad alia quæ inde sequuntur.

Melan.

Melancholici vero, frigidi nimirum & ſicci propenſiores ſunt ad vitia invidiæ: Unde ſolent eſſe triſtes, ſuſpicioſi, ſcrupuloſi, perplexi, ac pertinaces in ſuo ſenſu. *Phlegmatici* tandem frigidi nempè & humidi, propenſiores evadunt ad vitia acediæ prout ſomnolenti,, tardi, ad otium proni, & ingenio obtuſi. Deinde varia horum humorum permixtio, varios etiam in varijs complexionibus producit vitiorum effectus. *Vitia acquiſita*, ſunt etiam habitus praui intenſiores, & motus inordinati ferventiores ejuſdem, puta ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, iræ, gulæ, invidiæ, & acediæ, quos unuſquisq; ſibi per actus peccaminoſos frequenter iteratos comparare & augere ſolet. De utraque hujuſmodi ſpecie vitiorum *D. Aug*: ait: Cupiditates quaſdam naturaliter contraximus, quaſdam conſuetudine nobis fecimus. *Item.* Motus illi mali avaritiæ, iræ, libidinis, partim de origine, partim de conſuetudine veniunt: & priores quidem minui poſſunt, finiri non poſſunt; relinquuntur autem baptizatis, ut fortius certando, majorem etiam ſibi gloriam parent. Minuuntur autem à proficientibus & reſiſtentibus: poſteriores verò etiam tolli poſſunt repugnando, & contrariâ bonâ conſvetudine.

Dicendum *2dò.* Quod vitia inde hujuſmodi accipiant nomen, quod inprimis motibus omnino vitari debeant, nè in actum exeant peccaminoſum: & quod ab originali peccato veniunt animæ rationali, per quod vitiantur omnes ejus affectiones ac vires; præſertim verò amor ſui, qui eſt caput

cunctarum affectionum malarum; amando enim homo seipsum ut non oportet, mox immoderatè ac inordinatè appetit bona hujus mundi, utpotè honores, possessiones, & voluptates, quo ipso incidit in superbiam, luxuriam gulam, & avaritiam. Quod si quis impedimento sit illi ad ea obtinenda, citó inflammatur iracundia; si etiam aliquis alius habeat ea quibus ipse caret, illico succenditur invidiâ: deniq; dùm cujusq; animus affectu suo jucundatur & quiescit ultimatè in possessione bonorum temporalium, protinùs incurrit in acediam. Hæc autem vitia, ut propriè vitia sunt (*id est*) quatenus dicunt solam propensionem ad peccandum, hic singula definiri debent; ut autem in peccata actualia & habitualia exeunt in sequentibus Institutionibus explanabuntur.

Dicendum 3tiò. Quod *Superbia* ut vitium, est pronitas innata homini, in hoc statu naturæ corruptæ, ad appetendam inordinatè excellentiam: atq; in ea adepta ad vane sibi complacendum, immoderateq; gloriandum. *Avaritia* item ut vitium, est connaturalis habitus pravus inclinans animum ad appetendum immoderatè pecuniam, possessiones, divitias, proprium. *Luxuria* item ut vitium, est propensio improbata corruptæ sensualitati innata, sollicitans animum ad appetendum veneream seu libidinosam voluptatem, ac inde est, quod Ecclesia orat: A spiritu fornicationis, libera nos Domine. *Ira* item ut vitium, est habitus pravus, stimulans animum ad vindictam de injuriante inordinate sumendam. *Gula* item ut vitium, est habi-

tus

tus pravus ſenſualitati innatus, inclinans animum ad cibum & potum immoderatè appetendum. Poteſt autem quis appetere cibos & potus immoderatè quintupliciter: Si appetat eos pretioſos, accuratos, ſuperfluos, extra tempus debitum, & non ob neceſſitatem naturalem, ſed ob delectationem. *Invidia* autem ut vitium, eſt habitus pravus homini connaturalis, pulſans animum ad pœnitudinem ſeu triſtitiam de proſperitate alterius per quam minoratum ſe eſſe non libenter videt. *Acedia* deniq; ut vitium, eſt habitus pravus innatus homini inſpirans animo tædium in ſpiritualibus, ad quæ excitat charitas.

INSTITUTIO I.

De Vitio Superbiæ.

DIcendum eſt *Imò*. Quod Superbia ut peccatum alias ſpiritus excollentiæ mentem ſuper ſe (*id eſt*) ſuper menſuram ſui ſtatûs & conditionis ire propellens, largè, & ſtrictè accipitur. Superbia *largè* ſumpta, eſt voluntas nolens ſimpliciter ſubdere ſe legi æternæ, paratusq; animus aliquod præceptum ejus violandi. *Strictè* verò ſumpta eſt immoderatus excellentiæ appetitus: atq; de propria excellentia immoderata gloriatio: Eſt autem propria excellentia triplex: Altera, cui debetur honoratio ſeu reverentia, cujus appetitus inordinatus eſt ſuperbia, ut ſuperbia. Altera cui debetur aliorum ſubjectio: cujus appetitus immoderatus, eſt ſuperbia ut ambitio. Altera deniq; cui debetur lau-

datio humana, cujus appetitus inordinatus est superbia, ut vana gloria.

Dicendum *2dò.* Quod appetitus hujusmodi triplicis excellentiæ non semper est peccaminosus: nam si est ordinatus seu moderatus, vel alias rectæ rationi consentaneus est licitus & honestus, tanquam referibilis ad virtutem justitiæ. Talis autem esse censetur, dum quis de re bona, & vera appetit excellentiam suis alias meritis adæquatam, & qualitatibus commensuratam ac proportionatam, ob finem aliquem bonum, ut potè ad malum propriæ infamiæ vitandum, atq; ad promovendam DEI majorem gloriam, & proximi spiritualem profectum atq; ædificationem: uti appetiit Samuel excellens haberi, dum seipsum laudaret *1. Reg:* 14. Et Sanctus Paulus, dùm se Corinthiis *2. c.* 11. commendaret. At verò peccaminosus est hujusmodi excellentiæ appetitus, si habetur immoderatus, seu inordinatus, vel alias rectæ rationi contraveniens. Talis autem censetur esse *1mò* ratione finis, ut dùm quis appetit excellentiam, quatenus videlicet majorem habeat libertatem, pravis motibus suæ sensualitatis indulgendi, aut proximos ac fratres suos vilipendendi &c: *2dò.* ratione mediorum, ut dùm quærit quis & appetit excellentiam consequi per conspirationes, per simoniam, per detractiones, per minas, promissiones & similia. *3tiò.* ratione causæ, ut dum quis appetit excellens haberi de re mala, ut potè DEUM aut proximum offensiva, vel de re falsa, quod hypocritis contingit, qui suas improbitates, externarum Virtutum folijs contegere solent.

Dicen-

Dicendum *3tiò*. Quod Superbia haberi solet sicut interius, ita etiam exterius. Habet autem aliquis superbiam *interius*, ut pote in *memoria*, quando passim de se magna cogitat contra rei veritatem. In *intellectu* verò, dùm excæcatus nimio appetitu excellentiæ, omninò existimat se dignùm quolibet officio sui Ordinis, & habilem esse ad illud obeundum quod ubi non consequitur uti spectabat, nimis turbatur, conqueritur &c. Dûm quoque in suo sensu præfert se alijs, ita ut illorum dicta, facta, & quæq; optima contemnat, sua verò exaltet. Dùm etiam spretis aliorum probabilibus sententijs, sanis consilijs, & piis admonitionibus, pertinaciter inhæret errabundo proprio suo judicio. In *voluntate* tandem dùm indignè fert ac turbulenter verba viruperationis, admonitionis, & correctionis. Dùm item illa immoderatè appetit quæ ad promovendam propriam excellentiam spectant, quasi merito sibi debeantur. Dùm item voluntatem suam sequitur in omnibus, ac ab eo quod placet sibi vix avertitur. Dùm deniq; lætatur ex aliorum defectibus, sperans inde excellentior haberi. Habet verò aliquis superbiam *exterius*, utpotè in *Signo*, quando severitate vultus, asperitate visûs, singularitate vestitûs, gravitate incessûs, fastuositate sermonis, erectione cervicis, & inhumanitate morum à cæteris discrepat. In *Verbo*, quando libenter narrat se nobili genere natum, cum non sit verum; vel quando de paupertate parentum suorum erubescit. *Item* quando narrat ea, quæ fecit, audivit, vidit, scit, ut

excellens habeatur. Item. quando obfirmatè aliquem exagitat, dicta, facta, scripta aliorum temerè exsibilat, contumaciter ad aliquem scribit, insolenter atq; arroganter alios corripit, jure alicujus potestatis intumescit, ingratus beneficiorum existit, debitum honorem fratribus & Superioribus reddere negligit.

INSTITVTIO II.

De Vitio Avaritiæ.

DIcendum est Imò. Quod Avaritia ut peccatum idem est, quòd cupiditas immoderata pecuniæ, divitiarum, possessionum, ac proprij. Videtur enim venisse avaritia ab aueo & ære, ut sit quasi aviditas æris, id est pecuniæ.

Dicendum 2dò. Quod avaritia mortalis fiat quadrupliciter. Imò. Si quis res proximi retineat cum ejus injuria, vel eas habere cupiat medijs illicitis, ut potè furto, rapina, contractibus usurarijs, & similibus alijs modis. 2dò. Si quis res suas ita avide diligat cum injuria proximi, ut in extrema aut gravi necessitate constituto, non subveniat illi eas impertiendo. 3tio. Si quis res suas eatenùs diligat contra charitatem sui ipsius,, ut malit potius æternis bonis carere aut privari, quàm hisce præsentibus. 4tò. Si quis res hujusmodi terrenas contra charitatem DEI adeo diligat ut eligibilius sibi sit legem æternam prævaricari, quàm earundem rerum jacturam pati.

Dicendum 3tiò Quod Avaritia sicut interius haberi solet, ita etiam exteriùs, habet autem aliquis

quis Frater Minor avaritiam interius, ut potè in *Memoria*, quando volubiliter cogitat de pecunijs, possessionibus, & similibus habendis, seu ac si habitis, ita ut Divina Officia distractè peragat, & orationi mentali non satis attendat. In *Intellectu* verò, quando concipit de rebus hujusmodi terrenis magnam opinionem, ac si valde essent expetendæ. *Item*, quando vias modos excogitat, quibus eædem res acquirendæ essent. *Item* quando fingit se aut suos multas habere divitias; atq; pro suo libitu eas imaginariè dispensat. In *voluntate* tandem, quando appetit habere curiosa pretiosa, & superflua. *Item* Si haberet ea quæ appetit citò vellet statum deserere suæ vocationis. Habet quoque idem Frater Minor avaritiam exterius, ut potè in *Signo*, quando utitur rebus communitatis tanquam proprijs, vel quando alijs fratribus distribuendæ sunt, difficile ac perparcè eas impertitur. In *Verbo* quoq; dùm res acquirendo vel retinendo mentitur; ut proximum fallat. In *Opere* tandem, quando pro suo libitu res accipit, donat, commutat, coram Superiore abscondit: Vel quando per Superiorem sibi auferuntur, dolet, turbatur, irascitur.

INSTITVTIO III.

De Vitio Luxuriæ.

DIcendum est. *Imò.* Quod Luxuria *largè* sumpta, dicit omnem excessum seu insolentiam, ac immoderantiam in vestitu, epulis, unctionibus, ædificijs, & quibuscunq; delicijs carnalibus. Unde lu-

de luxuriosus est quasi relaxatus, profusus ac solutus in quasvis voluptates. *Strictè* verò accepta dicit rei venereæ seu libidinosæ inordinatum appetitum, atq; ipsum immoderatum usum, legi Divinæ contrarium.

Dicendum *2dò.* Quod habere dicitur aliquis luxuriam in *Memoria* materialiter saltim quando sive otiando, sive quidpiam agendo volubiliter cogitat de venereis actibus præteritis aut possibilibus, absq; tamen plena reflexione ad offensam DEI. In *intellectu* verò, quando cogitat de vijs ac medijs, quibus venire possit ad exercendos huiusmodi venereos actus, adhuc tamen absq; plena malitiæ illorum aduertentia. In *Voluntate* tandem, quando post primam intellectûs advertentiam, tales venereas cogitationes statim non repellit, aut seipsum ab eis quoquo pacto non alienat: motuiq; concupiscentiæ seu delectationi venereæ in sua sensualitate nascenti minimè dissentit; quod est ipsum tacitè seu interpretativè consentire. Vel *item*, quando huiusmodi cogitationes practicas, carnalibus desiderijs puta, vel oblectationibus venereis instructas formali seu expresso ac elicito donsensu approbat. vel deniq; quando ipso actu exteriori appetit ac proponit experiri veneream voluptatem.

Dicendum *3tio.* Quod aliquis habet luxuriam in *Signo*, quando impudica ac obscæna libenter legere aut audire solet. *Item.* quando auertit animum ab omni corporis proprij duriori tractatione, & ad quasuis illius oblectationes, aut nimias

mias commoditates convertit. *Item.* quando nimia familiaritate conjungitur aliquibus personis cujuscunq; Sexùs, alias de incontinentia suspectæ ætatis, faciens cum eis frequentiora & occultiora colloquia; sæpius offerens eis aliqua munuscula in contestationem sui intimi amoris nec non, quando hujusmodi personarum apprehensas constringit manus, easq; aut faciem ipsam deosculatur; vel quoq; caput, aut mentum blandè attrectando demulcet. In *Verbo* quando inhonesta, turpia, impudica, atq; carnalia effusè loquitur. In *Opere* luxuria dicitur, fornicatio videlicet, stuprum, adulterium, incestus, Sacrilegium, ac item vitium contra naturam, cujus tres habentur species: ut potè mollities voluntaria, seu pollutio procurata proprij corporis, sodomia, & bestialitas. Gravitas autem hujusmodi peccatorum eo excrescit ordine quo recensentur.

INSTITVTIO IV.

De Vitio iræ.

DIcendum est *imò*. Quod ira venit, à verbo ire, ut aliqni putant, eo puod irati, quamdiu irascuntur, non apud se sint, sed extra se iverint, & pacati ad se redierint. Et quidem ira, ut est affectio nudè considerata, non reputatur ex se bona aut mala, sed indifferens: quia non est animæ actio aliqua moralis, sed passio naturalis; quâ benè & malè uti possumus, velut etiam cæteris affectionibus: idemq; est quod sangvinis fervor incorde, ac circa illud ex perturbatione & evapo-

evaporatione fellis veniens. Ut autem ira est vitium corruptæ naturæ, dicitur esse habitus animæ pravus inclinans animum ad vindictæ appetitum, ut verò est peccatum seu actus peccaminosus, dicitur inordinatus appetitus vindictæ, veniens ex apprehensione iniuriæ, & excandescentia animi contra eum, à quo offensi sumus: huiusmodi autem appetitus inordinatus quadrupliciter contingere potest. 1mò. ex parte appetentis, ut si quis puniri appetat eum qui iniuriam sibi infert privata authoritate. 2dò. ex parte eiusdem, ut si innocens sit, quem puniri appetit, vel tantam non meruit pœnam. 3tiò. ex parte modi. Ut si Iudex puniat reum contra ordinem iuris, vel non servatâ forma iustitiæ; Vel cum gravi excandescentia exterius apparente, & consequenter cum scandalo. 4tò. ex parte finis: ut si Judex puniat, vel accusator punitionem appetat, non ex zelo justitiæ, non propter correctionem delinquentis, sed propter satietatem affectus irascentis. Talis autem ira formalis esse dicitur, quæ alias ex genere suo mortalis est culpæ; quanquam aliquando potest esse tantummodo venialis. Tum ob parvitatem mali, quod appetitur vel irrogatur. Tum ob defectum plenæ aduertentiæ aut deliberationis. Tum ob imperfectionem actus. Vel si ira sit nonnisi materialis; uti est actualis impatientia ex apprehensione iniuriæ, & animi excandescentia proveniens, absque appetitu vindictæ.

Dicendum 2do. Quod aliquis dicitur habere

iram

iram interius, ut pote in *Memoria*, quando cogitationes fovet recordatione iniuriarum ab aliquo acceptarum, quibus igniculi iræ ac odij accenduntur. In *intellectu* autem, quando excogitat vias & modos quibus adversario suo noceat, & malum pro malo reddat. *Item* quando levissima habens indicia aut fere nulla, suspicatur atq; iudicat aliquem suum esse inimicum. *Item*, quando adversarij sui diligenter inspicit mores, verba, opera, & intentiones, ac in deteriorem partem interpretatur. In *Voluntate* tandem, quando aliorum dictis aut factis facillimè pungitur ac perturbatur, nolens quidquam adversi patienter ferre. *Item*. quando bono simul ac malo sine optat alicui pœnam, ignominiam, aut quodcunq; malum, ut sic correptus corrigatur. & suus appetitus immoderatus vindicta existat satiatus. *Item*, quando bonam opinionem de aliquo conceptam, atq; amorem in se erga eum diminui sentit, & huic malo non dissentit.

Dicendum 3tio. Quod aliquis habere dicitur iram exterius, ut potè in *Signo*, quando alicui denegat exhibere signa civilis seu communis amicitiæ; Uti sunt exhibitio reverentiæ, affabilitatis, benignæ aspectionis: in necessitate præstatione auxilij, obsequij, aut; beneficij &c. *Item*, quando fugit de suo adversario audire bona, vel fraternè non corripit indignè de illo narrantes mala. In *Verbo*. quando conqueritur coram alijs de injuria sibi facta, concitando eos ad murmurandum contra injuriam sibi facientem; Vel

quando

quando verbis jocosis alios pungit, aut mordacibus, contumeliosis, ac similibus exacerbat; Vel quando clanculum eis detrahit, eosq; calumniatur; Vel quando in disputationibus controversè & contentiosè & contumeliosè cum aliis agit. In *opere* tandem, quando cedit aliquem verberibus.

INSTITVTIO V.

De vitio Gulæ.

DIcendum est *Imò.* Quod gula utpote largius accepta, dicit appetitum cibi & potûs immoderatum, talem esse puta, si cibaria & poculenta haberi curantur ardenter, *id est*, non tàm ob necessitatem naturalem, quàm ob sensualem voluptatem. *Item.* præpropere, *id est* extra & præter tempus debitum. *Item.* Sumptuosa, exquisita, immodica.

Dicendum *2dò.* Quod gulam habere dicitur aliquis Frater Minor interius, ut pote in *Memoria,* quando passim ac sollicite cogitat de cibis ac potibus delicatis ad satietatem sumendis; ita ut divinum Officium distractè absolvat, & orationi mentali minus attendat. In *intellectu* autem, quando ingurgitationem cibo & potu delicato judicat summam esse felicitatem. *Vel* quando ad mensam sic effusum in cibos & potus habet animum, ut lectionem piam nullatenùs concipiat. In *Voluntate* verò, quando paratum habet animum cibos & potus sibi placitos procurandi modis alias statui suo illicitis. *Vel* quando indignatur ac perturbatur si tardius cibi & potus apponuntur; aut non quales, quantosque appetit.

Dicen-

Dicendum *3tiò*. Quod gulam habet aliquis exterius, ut pote in *signo*, quando festinanter absque modestia religiosa comedit, ac veluti vorat; ac pocula quasi uno ductu evacuat. *Item*. quando comedendo & bibendo immoderatè lætatur, ac in risus & jocos nimios effunditur. In *verbo* autem, quando passim ac pleno affectu quorundam benefactorum laudat liberalitatem in tractando; quorundam veró mediocritatem vituperat. *Item* quando de cibis & potibus delicatis frequenter ac libenter loquitur. *Item*. quando facile conqueritur ac murmurat de Superiore & Coquinario, quod alter negligat procurare cibos, & potus sibi placitos, alter non præparet procuratam comesturam ad suum gustum. In *Opere* tandem quando se cibis aut potibus ita ingurgitat, ut postea vomat, cremato aut medicamento indigeat.

INSTITUTIO VI.

De vitio Invidiæ.

Dicendum est *1mò*. Quod peccatum invidiæ non invenitur communiter nisi inter sibi aliquâ ratione æquales: Ubi enim alter conspicit magis alteri quàm sibi favere fortunam, ac inde suscipit dolorem; quod eo ipso videat se inferiorem illo factum, tunc invidere (*id est* acerbè tristiusq; prosperitatem alterius videre) dicitur. Unde invidia ut peccatum; est inepta tristitia, seu immoderatus animi dolor, de alterius prosperitate; per quam putat quis obscurari ac diminui suam fortunam; quæ alias ut reparata existeret, libenter alterum

terum carere illâ vellet, si possibilitas adesset. Verùm hujusmodi inepta tristitia, seu immoderatus animi dolor, non semper ad invidiam spectat, nisi impropriè: Ut quando quis dolet de bono illius, cui malum optat ut suo inimico. Talis enim dolor propriè ad odium pertinet. *Vel.* quando quis dolet de bono alterius, non ac si velit eum carere illo, sed quod ipse careat; cùm alias æque sibi aut magis proportionatum sit; talis enim dolor ad æmulationem spectat. *Vel* quando quis dolet de bono alterius, eo quod ejus meritis, aut qualitatibus non sit proportionatum, ac inde conqueritur intra semetipsum de justitia in distributione beneficiorum per homines facta. Talis autem dolor ad zelum pertinet. Ad indignationem autem pertineret, si quis murmurationibus suis concitaret alios fratres ad murmurandum contra collatores hujusmodi: maximè verò illorum appetitione ipsemet commotus. *Vel.* quoq; si impatienter ac irreverenter conquereretur de DEO, quasi malè distribuat, cùm alias justè ac irreprehensibiliter vult dare DEUS ex occulto suo consilio temporalia bona dignis & indignis fidelibus & infidelibus, justis & injustis, quod tamen ipsum homini non congruit velle, nisi DEUM inde in æternum benedicere.

Dicendum *2dò.* Quod tristitia de bono alteririus si alias ordinata ac moderata est, non viciosa sed virtuosa reputari debet; ut quando quis tristatur de bono alterius ex charitate: inquantum sc: illud bonum præbet illi occasionem ad peccandum,

dum, & bona spiritualia negligendum. *Vel.* quando quis tristatur de bono alterius ex compassione aliorum: quos probabiliter habens hujusmodi bonum, opprimet, vel corrumpet, atq; scandalizabit. *Vel* quando quis tristatur de bono alterius, ex ratione alterius, ut potè de divitijs, potestate. & similibus; quia inde probabiliter sperat sibi aliquid mali injustè proventurum.

Dicendum 3tiò. Quod invidiam aliquis habet interius, ut potè in *Memoria*, quando sæpius cogitat de alterius prosperitate: quam non libenter videt habere illum, uti deprimentem suam excellentiam. In *intellectu*, quando quis indebitè parvi alterius æstimat merita & bona adepta; quæ alias habentur sibi proportiona. In *Voluntate* quando non solum tristatur de bono alterius, per quod sua excellentia minoratur; Verùm etiam quando gaudet de illius malo, quod alias dicit hujusmodi privationem boni. *Vel.* quando non commovetur rebus aliorum adversis ad condolendum, & prosperis ad congaudendum. *Vel.* quando de alterius prosperitate gaudet fictè, itidemq; tristatur de ádversitate. In *Signo*, quando non libenter audit res aliorum bene gestas; & viceversa promptus est, ad prebendas aures rumoribus de infelici successu. *Vel.* quando reticet aliorum bona, ubi ea laudandi occasio adest. In *Verbo*, quando alter alterius famæ, sive explicitè sive implicitè detrahit. In *Opere* tandem quando aliter alterum in electione ad Officia Ordinis injuste supplantat.

INSTITVTIO VII.

De vitio Acediæ.

DIcendum eſt *Imò*. Quod acedia *largè* ſumpta ſignificat vitium generale omnium vitiorum generibus ſeſe communicans; ac idem eſt, quod triſtitia de bono ſpirituali, ſeu averſio mentis à bono ſpirituali: omne enim peccatum inhærens menti refugit bonum ſpirituale, ut pote virtutem ſibi contrariam, ut ſuperbia humilitatem, avaritia Evangelicam paupertatem, luxuria caſtitatem, ira patientiam, gula temperantiam ac jejunium, invidia charitatem proximi. *Strictè* verò acedia ſumpta eſt vitium ſpeciale unum ex ſeptem capitalibus: ac idem eſt, ac triſtitia de bono divino, de quo gaudet charitas. Iſtud autem bonum triplicis eſt differentiæ. *Imò*. Ut eſt ipſi DEO bonum tam intrinſecum, quàm extrinſecum. Si enim triſtatur aliquis inde, quod DEUS ſit Omnipotens, infinitè bonus, ſummè Sapiens, juſtus miſericors &c: *Vel*. quod per totum orbem terrarum ſic celebretur ac Sanctificetur orthodoxè nomen ipſius Majeſtatis, quaſi iſta nolit DEO æternum benedicto; peccaret contra DEUM ejuſq; charitatem graviſſimo peccato acediæ. *2dò*. Ut eſt nobis bonum; Si enim triſtaretur aliquis, quod cognoverit Chriſtum, quod ingreſſus fuerit Religionem, quod proviſa ſunt ei hujuſmodi media ad vitam æternam obtinendam, uti ſunt Obſervantia mandatorum DEI, imitatio Chriſti, uſus Sacramentorum ac præſertim Sacramenti pænitentiæ,

jejuni-

jejunium, orationes, austeritas vitæ, regularis disciplina &c; *Vel*, si nimio affectu ad res temporales incensus, omninò vellet perpetuus esse in mundo, & contentus ipsiusmet honoribus, possessionibus & voluptatibus minùs æstimans patriam cælestem ac beatitudinem æternam, peccaret contra seipsum, suique charitatem gravissimo peccato acediæ. *3tiò.* Ut est proximis nostris bonum; si enim tristaretur aliquis de bono spirituali proximi sui, quod sc: ingressus sit Religionum benè ordinatam; quod sit in gratia DEI, quod proficiat in Virtutibus Sanctis, quod mentali orationi & Asceticæ mortificationi diligenter attendat &c; peccaret gravissimè contra charitatem proximi peccato acediæ, quod reducitur ad invidentiam fraternæ charitatis. Ad eandem quoq; acediam spectat diffidentia concepta, de obtinendo precibus auxilio DEI opportuno ad vincendas tentationes, atq; implenda præcepta ejus divina, cum votis cæterisq; obligationibus cujuscunq; Religionis. Unde emanat desperatio de consecutione æternæ beatitudinis.


Dicendum *2dò.* Quod acedia datur aliquando venialis. *Imò* quidem ubi actus ejus habetur imperfectus, *id est.* non plenè deliberatus, sistens nimirum non nisi in sensualitate ac inferiori ratione. *2dò.* Ubi acedia non ipsi charitati opponitur, sed tantummodo ejus fervori; ut quando quis tristatur de bono spirituali, in quantum est sibi tædiosum, laboriosum, onerosum, & quietis corporalis impeditiuum; ut potè de jejunio incidente tali die,

de Officio Divino media nocte persolvendo, de oratione flexis genibus facienda. *3tio.* Ubi aliquid bonum spirituale omittitur ex acedia non obligans ad mortale peccatum: Uti est omissio parvi Officij, aut disciplinæ communitati fratrum usitatæ, fractio silentij, absq; justa ratione.

Dicendum *3tiò.* Quod Frater Minor habet acediam in Memoria, quando ita occupatur cogitationibus Vanis, inutilibus, & Vagabundis, ut satis non attendat ad conservandam præsentiam Divinam, Officiaq; Spiritualia sine debita reflexione & advertentia absolvat. In *intellectu* verò, quando non attendit lectioni librorum spiritualium, & consequenter non curat percipere Divinas inspirationes. In *Voluntate* tandem, quando contemnit & fugit media profectus spiritualis; uti sunt Oratio mentalis, exercitia Virtutum; mortificatio vitiorum, grata acceptatio correptionis Superiorum. Deinde in *Signo*, habet quis acediam, quando Cellam velut carcerem fugit, & evagationem tam intra quam extra claustrum diligit. *Vel*, quando libentius cum dissolutis ac vanitati debitis conversatur, quam cum benè addictis vitæ spirituali. In *Verbo* autem, quando citius loquitur, tum de profanis ac vanis, quàm de spiritualibus, *tùm* de vitiis aliorum, quàm de virtutibus. *tùm* de suis injurijs, quàm de Christi passionibus. *Vel* quando Majorum ordinationes reprehendit contra Superiorum correptiones murmurat & conqueritur contra eorum indiscretionem in præcipiendo & admonendo &c: In *Opere* tandem, quando ita exterioribus

nego-

negotiis deditus est, ut prorsus exercitia spiritualis profectûs negligat, & sanctæ orationis ac devotionis spiritum extinguat, cui debent cætera temporalia deservire.



TRACTATUS VII.

De Tentationibus, ac remedijs earum.

INTRODUCTIO.

QUamvis DEUS Optimus plurima sua dona homini adulto absque aliquibus ejus meritis præcedentibus conferre soleat; nulla tamen ratione vult ei largiri ipsum donum vitæ æternæ, ac præmium cælestis gloriæ, nisi benè meritò, ac Victori omnium tentationum, quibus in hoc præsentis certaminis campo ejus propositorum fidelitas, & in observantia mandatorum DEI & consiliorum Christi stabilitas, constantia, ac perseverantia exploratur. Unde *S. Iacob: c. 1.* Beatus Vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ. Et *S. Paul: 2. Tim: 2.* Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Ille autem legitimè certare probatur, qui tentationes suas, quæ suum conantur impedire profectum, ac frangere propositum, perseveranter expugnat, plenè debellat, & finaliter superat. Non est enim megnum (*ut ait* Auctor apud S. August. *Ser: 8. ad fratres in eremo*) inchoare quod bonum est, sed consummare, hoc solum perfectum est. Et

S. Hier: l. 1. contra Iovin: Cæpisse multorum est, ad culmen pervenisse paucorum. Ut igitur natura tentationum, cum quibus bellum nobis est in præsenti vita, perspecta habeatur, necesse est prius genera, modos, & species earum prodere, deinde vero, remedia tentatis adhibenda, ex dictis Patrum spiritualium recensere.

De quinque generibus tentationum & viginti speciebus suggestionum diabolicarum.

ARTICVLVS I.

De tentatione à DEO, & ab homine.

UBi homo ille simplex, & rectus, ac timens DEUM S. Job, ipse per suam experientiam didicit, statim etiam nos commonere voluit, vitam nimirum nostram, militiam (seu juxta *Septuaginta interpretes*: tentationem) esse super terram; & meritò, quia uni tentationi succedit alia & alia, alterius sæpè generis ac materiæ, sicut fluctus succedit fluctui, ventus vento, & annulus annulo in catena; imò etiam sæpenumero simul plures nos invadunt, provenientes nimirum tum à DEO, tum ab homine, tùm à carne, tùm à mundo, tùm à diabolo. *Imum.* itaq; genus tentationis à DEO venit. Sed *nota*, quod nulla tentatione à DEO procedente, in malum tentamur. Unde S. Jacob. *Cap: 1.* Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à DEO tentatur: DEUS enim intentator malorum est, ipse

ipse enim neminem tentat. Quod explicans D. August: *lib: 2. de consensu Evangel: cap: 30.* sic ait. Alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est: DEUS neminem tentat: & alia de qua dictum est. *Deut. 13.* Tentat vos Dominus DEUS vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non: illa seductionis est; hæc probationis. *Hinc est*, quod DEUS non alio fine suos electos tentat, quàm pater suum filium, herus servum, Vir Uxorem, Magister discipulum; ut videlicet ingenium ejus studium, fidelitatem & affectum partim exploret; partim acuat, accendat, & promoveat. Tentat autem DEUS homines aliquando *exterius*, aliquando *interius*. Exterius quidem tentare dicitur; *vel* dùm illis bona præsentia confert, ut videlicet appareat, num benè aut malè illis utantur; quod patet *Matth: 25.* ex illa parabola. Accedens qui quinque talenta acceperat &c: *Vel* dùm illis eadem bona deinde subtrahit, ac præterea nonnunquam multis eos malis afficit, sicut Job & Tobiæ facere voluit, quos semper tam in prosperitate, quàm in adversitate fideles ac justos invenit. *Vel* dum eis mandata sua servare præcipit, arduaq; virtutum exercitia prosequi jubet: quo pacto tantavit Abraham, præcipiens ei immolare Isaac, hæredem videlicet suæ divinæ repromissionis: ut ostenderetur magna devotio obedientiæ Abraham, & fidei ad DEUM: quia nec in hoc casu hæsitavit de ejus promissione, quin impleret etiam de occiso, sicut ei erat pollicitus. Interius quoq; tentat suos DEUS, *vel* affluentia

ſuavitatis cæleſtis; *id eſt*, infuſione devotionis ſen-ſibilis, ut eo ipſo ad omnem permoveantur mortificationem, palamq; fiat utrum velint & conentur cöoperari gratiæ ac invitationi ſuæ divinæ. *Vel deinde*, dùm eaſdem conſolationes cæleſtes ſubtrahit eis, ad probandum nimirum eorum patientiam, & in oratione perſeverantiam, ac in bonis propoſitis conſtantiam: *Vel inſuper*, dùm eos in tribulatione, ac aliquâ urgente neceſſitate inſtanter & affectuosè clamantes ad ſe non exaudit, puta ad eorum votum ſeu voluntatem, ut videlicet exaudiat eos ad majorem illorum profectum. Hoc modo tentati vox illa eſt, *Habacuc. 1.* Uſquequo Domine clamabo, & non exaudiet: Vociferabor ad te vim patiens, & non ſalvabis. Et *Pſalm: 12.* Uſquequo obliviſceris me in finem, uſquequò avertis faciem tuam à me. Et *Pſalm: 43.* Exurge quare obdormis Domine, exurge, & nè repellas in finem. *Vnde* S. Paulus, dùm tertia uice DEUM oraret pro amovendo ſtimulo carnis, cælitùs talem vocem audivit *2. Cor: 12.* Sufficit tibi gratia mea, nam Virtus in infirmitate perficitur. *2dum* genus tentationis venit ab homine; unde etiam hæc tentatio humana dicitur, de qua eſt illud *1. Cor: 11.* Tentatio vos non apprehendit niſi humana. Illa autem *Imò.* dicitur tentatio humana quâ ſpiritus noſter (qui alias dicitur homo interior) à ſenſualitate (quæ alias dicitur homo exterior) primis motibus ad conſentiendum malo, ſtimulatur: hæc tentatio, omnibus hominibus quantumvis juſtis ac ſanctis communis eſt, & facile per au-

xilium

xilium DEI vincibilis, modo tantum primis impulsibus, quibus nonnisi infima portio animæ rationalis apprehenditur, statim ab initio resistatur. Unde S. Ansel: in hunc sensum ait: Angelicum est tentationem malignam non sentire: humanum, sentire, & non consentire: seu sentire, & vincere: diabolicum, à maligna tentatione vinci, & ex certa scientia peccare: *2dò.* humana tentatio illa dicitur, quâ homo præsertim vitæ religiosæ noviter addictus, seipsum tentare & probare solet ac debet, in sui videlicet introversione seu recollectione; velitne ac possit vivere & perseverare in religione quam ingreditur usq; ad mortem in vera Christi obedientia, paupertate, & castitate: sitq; paratus sequi Christum, tam tempore prosperitatis in humilitate, quàm tempore adversitatis in patientia, alias sine hac tentatione ac probatione sui, non potest se absq; periculo damnationis suæ adstringere votis religiosorum. *Vel item,* quâ bonus ac strenuus Religiosus semper se tentat, probat & examinat, utrum proficiat aut deficiat in via spirituali. Hanc tentationem sui S. Apostolus suis discipulis intimare voluit, dicens *2. Cor: 13.* Vosmetipsos tentate, si estis in fide, (*ut pote* stabiles, & in cæteris virtutibus firmi) ipsi vos probate. *3tiò.* humana tentatio illa est, quâ Superiores religiosorum, suos subditos, ac inprimis Novitios tentare & probare solent ac tenentur; subinde illis ardua, ac naturæ & sensualitati repugnantia proprioq; eorum in genio ac judicio, & rationi inferiori contraria præcipiendo; & diversis eos morti-

tificationibus vexando, ac fictis aliquando impro-periis afficiendo: ut inde conijciatur, utrum sciant, velint, ac possint seipsos propter Christi imitationem abnegare; ne forte aliquis illorum, homo videlicet passionatus, immortificatus, sui amore vinctus, & pluribus vitijs irretitus, per solemnem professionem, ex eorum incuria, aut detestabili aliqua conniuentia Sacræ Religioni adscriberetur, *utpotè*, contra intentionē Ecclesiæ, ac Sanctorum Patrum instituta in magnum dedecus ipsius Religionis, & immensum ipsius profitentis spirituale detrimentum. *Vel item* quâ ijdem Superiores suos subditos non solum Novitios, verùm etiam & professos tentant ac vexant; aut nimirum negando illis nonnulla, alias dari solita; aut subtrahendo concessa, aut præcipiendo insveta: ut hoc ipso juxta morem antiquorum Sanctorum Patrum Virtutem eorum probent, excitent, acuant, & promoveant. *4tò.* tentatio humana illa est, quâ homo ab alio homine ex proposito ad peccandum inducitur. De hac tentatione illud est, quod ait V. Beda *hom: in cap. 12. Lucæ.* Duo sunt genera persecutorum: unum palam sævientium, alterum ficte fraudulenterq; blandientium.

ARTICVLVS II.

De tentatione à carne & mundo.

TErtium genus tentationis provenit à carne, *id est* à concupiscentia. Carnem enim non ut mortuam, sed ut animatam (anima videlicet originali peccato infecta) sæpissime Sacri Scriptores

pro

pro ipsa concupiscentia accipiunt: quia caro est velut Officina animæ vitiatæ, quæ in carne quasi figulus in sua figulina & luto suarum concupiscentiarum ac turpitudinum varias ideas & imagines imprimit ac efformat, per illamq; easdem peragit & consumat. Est autem præsens concupiscentia nihil aliud, quàm ægritudo, febris, ac vulneratio animæ, & justitiæ illius originalis corruptio: hæc autem erat natura justitiæ originalis (ut ait D. Bonav:) quod quamdiu fuit spiritus DEO subjectus ac præceptis eius obediens, tamdiu etiam illius imperio subijciebantur omnes vires inferiores cum suis motibus: sed rebellante spiritu DEO, rebellavit etiam Spiritui Corpus, ut dicat S. Paulus *Rom*: 5. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. *Vel deinde*, præsens concupiscentia idem est, quod fomes peccati post ipsam etiam regenerationem baptismalem, in pænam originalis peccati in sensitivo appetitu nostro remanens, ac inde in omnes alias vires animæ, virus suum diffundens, Cujus quidem *fomitis* natura est, quendam videlicet recipere ardorem ad peccandum, *tùm* ab objectis à mundo repræsentatis, *tùm* à suggestionibus & impulsibus diabolicis: ac *deinde* sollicitare spiritum suis blanditijs quasi meretricijs; & pulsare incitamentis irreverentibus ad consentiendum peccato: quâ etiam de causa, stimulus carnis dicitur.

Hinc inprimis est, quod tentamur in inferiori portione animæ nostræ à carne seu concupiscentia tribus modis, juxta numerum trium virium inferiorum

riorum animæ rationalis. *Imò.* dùm in ſenſitivo appetitu noſtro concupiſcibili, excitantur deſideria turpium delectationum, *ut potè* luxuriæ, gulæ &c: *2dò.* dùm in iraſcibili appetitu ſenſitivo, conſurgunt motus iræ, impatientiæ, odij, invidiæ, & aliorum hujuſmodi vitiorum. *3tiò.* dùm in vi rationali, quæ nimirum bona inferiora, terrena, & caduca conſiderat; ſuſcitantur motus elationis, ſuperbiæ ac præſumptionis, & aviditas inutilis ſcientiæ &c. Deinde tentamur à concupiſcentia alijs tribus modis in ipſo ſpiritu. *Imò.* dùm ſentimus & advertimus eſſe in ſuperiori noſtro appetitu concupiſcibili, ſeu in voluntate, *ut eſt*, concupiſcibilis, acediam, torporem, & negligentiam ad bonum peragendum, ad orandum, virtutibus inſiſtendum &c. *2dò.* dùm noſter ſpiritualis appetitus iraſcibilis, ſeu voluntas rationalis, ut eſt iraſcibilis, horret media ad bonum ob laborem difficilem eis annexum; dumq; propter ſui debilitatem fragilitatem ac infirmitatem deſperat, quod jam non poſſint vincere ac tranſcurrere impedimenta ſtudiorum ſpiritualium. *3tiò.* dùm ratio ſuperior ſic tenebris ignorantiæ obvolvitur, ut in via ſpirituali quid agendum, aut quomodo ſibi procedendum ſit, neſciat. *Vnde eſt*, quod niſi hæ vires ſpiritus noſtri gratia ſeptiformi cælitûs formarentur, omnes hâc tentatione vinceremur; nec aliquando malignos ejus impulſus cohibere poſſemus. *Qvartum* genus tentationis venit à mundo, Tentat autem nos mundus dupliciter. *Imò.* objectis honorum ſuorum (*ut ſunt* honores, adulationes,

curio-

curiositates, possessiones, voluptates, & hominum familiaritates) dùm illis ab amore bonorum spiritualium ac æternorum nos abducere, & ad sui amationem trahere nititur. Experientia enim docemur, quod objecta bonorum hujus mundi sensitiva ac præsentia, magis permovent ac alliciunt ad se appetitum nostrum sensitivum, quàm objecta spiritualia ac æterna appetitum rationalem. *Unde est*, quod homo immoderatè appetens præsentia, aut nimis sibi in eis complacens, facile ab æternis mente alienatur, ac varijs per proprium consensum sese implicat peccatis. *2dò.* tentat nos mundus, ac præsertim contemnentes bona sua præsentia, & voluntati divinæ serio obedire cupientes; dùm suis malorum objectis (*ut sunt* odia falsorum, fratrum, scandala, irrisiones, subsannationes, contemptus, detractiones, & quævis aliæ persecutiones) nunquam nos terrere & affligere cessat: ut sic aliquando animo fractos, à vera justitia timoreq; DEI devios reddat.

ARTICVLVS III.

De tentatione diabolica.

QUintum genus tentationis provenit à diabolo. In hac autem diabolica tentatione quatuor advertenda sunt: *1mum* est, ipsa videlicet causa seu origo tentationis in ipso dæmone; quæ non alia est, quàm odium DEI, & invidia nostri: odit enim diabolus DEUM, odio æterno; & nobis invidet æterna invidia vitam sempiternam: ratio est *primi*, quia divino ejus judicio ad pænas æternas

se esse

se esse detrusum cognoscit: ratio *alterius*, quia in locum suum nos sufficere animadvertit: & quoniam non potest de DEO vilcisci hanc suam (ut judicat) injuriam; ideo de nobis, tanquam de ipsius DEI viva Imagine, eam ulcisci conatur, per callidam videlicet nostri tentationem, & dolosam ac tyrannicam persecutionem. *2dum* quod advertendum venit, est finis seu intentio diaboli tentantis: unum enim è duobus tentatione sua ac importuna sollicitatione nostri, diabolus efficere intendit: *vel* desertionem nostram, inchoatæ nimirum spiritualis viæ ac justitiæ DEI, per consensum in mortale peccatum; & consequenter condemnationem ad pænas infernales: *vel* saltim, ipsam refrigerationem ac remissionem affectus nostri in cultu virtutum & studio spiritualis profectûs: & consequenter minuitionem meritorum ac præmiorum. *3tium* est, materia & subjectum ejus tentationis. *Materia* quidem tentationis diabolicæ sunt objecta bonorum & malorum hujus mundi: *subjectum* verò, est nostra sensualitas, *id est* sensus corporales interni ac externi, & infimus appetitus concupiscibilis ac irascibilis. Alias ista objecta & sensualitas dicuntur arma diaboli, quibus ille contra nos pugnat; objecta quidem nobis repræsentando, sensualitatem verò commovendo. *4tum.* est, ipse modus tentationis diabolicæ, quem quidem modum S. Paulus sub nomine colluctationis his verbis prodidit *Eph: 6.* Non est nobis colluctatio (id est, lucta, pugna, certamen, duellum) adversus carnem & sanguinem (*id est,* ralis ac tam
facilis,

facilis, quam est adversus homines, qui ex carne & sanguine constant) sed adversus principes & potestates tenebrarum harum, *id est*, adversus dæmones, qui sunt spiritus invisibiles, magnæ fortitudinis & potentiæ, magnæ iræ & invidiæ, magnæ calliditatis & astutiæ. *Vnde* sicut moris est luctatoribus secum decertantibus invicem sese manibus complecti, non quidem ex amore amicitiæ, sed ex cupiditate victoriæ, unius videlicet de altero, in terram antrorsum aut retrorsum, dextrorsum aut sinistrorsum ex prostraturo reportandæ. Ita nequissimi nostri hostis diaboli mos est, amplecti nos quodammodo ad instar amici (*videlicet* grata nobis & quasi rationi consentanea offerendo) ac vicissim à nobis mutuum consensûs nostri requirere amplexum, dùm nimirum nos lucta suæ tentationis uno quopiam è quatuor modis astute inclinare, prosternere, ac superare nititur. *1mò* itaq; modo antrorsum videlicet aliquem deijcere cupit, quando illum expresse & aperte retrahere à bono, & inducere ad malum contendit, sollicitatione nimirum suâ & allectione per delectabilia carni, oculis, & cordi, *id est*, per voluptates, possessiones, & honores mundanos. *Vel deindo* antrorsum aliquem prosternere conatur, dùm eum similiter à bono retrahit, ac inducit ad malum, terrendo illum difficultate resistendi vitijs, & insistendi virtutibus ac perseveranter, rigorem, asperitatem, labores, correptiones, & mortificationes religionis sustinendi. *2dò.* modo, id est retrorsum optat aliquem diabolus prosternere, dum eum occultè

ac fraudulenter, *ut poiè* ſub ſpecie boni ad malum pulſat, aut à bono revocare curat; quod facit quando priori modo contra illum prævalere nequit, eo quod jam plenè abominetur peccatum, & virtutem amplectatur. *Vnde* S. Bernar: Bonus nunquam niſi boni ſimulatione deceptus eſt. *Quatuor autem* actibus (ſicuti benè advertit D. Bon. *lib*: 7. *d. prof*: *relig*: *cap*: 5.) ſub ſpecie boni diabolus tentando gradatim procedit, ut enim facilius ejus recipiatur perſuaſio, *primo* loco ſola bona proponit, *ſecundo*, bona malis mixta; *tertio*. ficta ac falſa bona, ſed vera mala: *quarto*, cùm jam in cautum aliquem ſic irretierit ac illaqueaverit; in aperta eum peccata deicit. *Ex. gr.* Aliquem devotum fratrem Novitium volens ſeducere, ac è Religione ad mundum revocare. *Imò*. illi proponit ac perſuadet, quod nimirum potuiſſet vitam æternam ita in ſæculo; ſicut & in religione conſequi mandata DEI ſervando elèèmoſynas faciendo, & alios verbo & exemplo ad bonum incitando, præſertim cùm jam modum mentaliter orandi, & praxim ſpiritualiter vivendi accepetit. Ecce *imò*. loco, ſola bona proponit, *ut eſt*, obſervandi mandata DEI propoſitum. *Poſtea*, ſuggerit & commendat illi libertatem in ſæculo, quod videlicet librum ſibi eſſet ibi orare, jejunare, recreationem honeſtam capere, comedere, bibere, dormire, ac omne opus bonum ac indeferens implere, aut etiam in cauſa rationabili omittere quandocunquè vellet. Ecce bona permixta malis, *id eſt*, propriâ voluntate, quæ occaſionem præbet omnium malorum. *Tandem*.
affectum

affectum illius excitat ad amorem ſociorum, parentum, amicorum, & bonorum temporalium. Ecce jam falſa bona; quia incautum fallunt hominem; & occaſionaliter vera mala. *Poſtremò* ſic jam illaqueatum, ac è Religione eductum, in aperta peccata deicit; ita ut pejora illius fiant noviſſima, pluſquam prima. Ecce ſcorpius, qui blandam habet faciem; ſed caudam quâ occidit venenoſam. Eodem quoque modo hic noſter occultus hoſtis ſeſe in Angelum lucis transformans contra quemlibet bonum religioſum in aciem procedere ſolet: cùm enim nequam cognoſcit illum omne apertum deteſtari peccatum, tunc ſuggerit illi vitia ac peccata ſub ſpecie virtutum; ut putans veras virtutes, quarum eſt amore captus, illa non abhorreat, ſed appetat; quo ipſo tanquam piſcis hamo, aut avis laqueo, ab illo comprehenſus proſternatur: ut qui erat humilis, manſuetus, obediens, caſtus, devotus &c. mox ſub ſpecie zeli, pietatis ac diſcretionis, inveniatur verè ſuperbus, rixoſus, impatiens, proteruus, acedioſus &c: *Sic* aliquando nonnullos ſub prætextu boni regiminis, & fulciendæ regularis obſeruantiæ ad ambiendam & alijs invidendam prælationem ſe induxiſſe gloriatur. Sic quibuſdam incautis ſub ſpecie devotionis, ac ſpiritualis dilectionis, frequentem cum aliquibus devotis fæminis converſationem & collocutionem perſuadet; ut paulatim affectionem eorum erga illas ſpiritualem, degenerare faciat in amorem carnalem. *Sic* multos ſub pallio purioris conſcientiæ, non in paucos deducere ſolet ſcrupulos, errores,

errores, & perplexiones; *Sic* deniq; in similibus casibus, simili pelle ovinâ indutus, quemvis bonum religiosum, minus videlicet cautum & circumspectum, capere ac decipere conatur. *Vel quoque* retrorsum diabolus prosternere vult, quando alicui sollicitè coram DEO ambulanti convitiatur, quod jam consenserit peccato, quod malè orationi & virtutibus institerit; quod proposita sua rarò aut nunquam ad effectum deduxerit &c. ut nequam de ipsius desperatione aliquando gloriari possit. 3tiò. & 4tò. modo, servos DEI infernalis luctator deicere studet dextrorsum videlicet ac sinistrorsum, quando in quacunq; prosperitate aut adversitate, sive nimirum spirituali sive mundana à DEO constitutos, tam per seipsum, quam per addictos sibi homines, *vel* adulationibus malè succendit, *vel* irrisionibus malè humiliat; ita ut quandoque cogantur, quamvis non sufficienter, tamen effiicienter, aut in vanis inaniter gloriari *aut* à bonis viliter desistere, *aut* etiam male nequiter operari. *Porrò* dextrorsum diabolus tentare dicitur, quando aliquem ad peccandum follicitans facit illi spem perversam de misericordia DEI ac facilem promittit veniam, & citam à peccato pollicetur resurrectionem, verbum illud iniquum constituens adversus eum. *Psalm.* 40. Numquid qui dormit, non adijciet ut resurgat? Sinistrorsum verò, quando labentem criminaliter in abyssum desperationis præcipitare quærit. *Vnde* S. Chry. Utrumq; periculosum est, & confidentia perversa, & desperatio: nam confidentia nimia, stantem evertit; & despe-
ratio

ratio post lapsum non permittit resurgere. *Deniq;* diabolus nos tentat dextrorsum & sinistrorsum, quando devios nos facere conatur à rectitudine justitiæ ac virtutis, sive per excessum, sive per defectum. Verùm ut adhuc magis perspecta habeatur calliditas inimici nostri diaboli, magisq; ac magis laquei ejus cognoscantur, conculcentur, & conterantur; non abs re erit in sequentibus articulis prodere ejus aliquas tentationum ac astutiarum species, quibus vel maximé novellos ascetas infestare decipere, ac irretire consuevit.

ARTICVLVS IV.

De septem Speciebus tentationum: vel alias de septem diabolis, quorum nomina sunt: Cur, Nequaquam, Plus, Minus, Melius, Medicus, Scrutator.

PRima Species tentationis, seu *1mus* diabolus dicitur Cur. Hâc specie primi parentes nostri decepti sunt in paradiso, cùm dixisset eis serpens infernalis, *Gen. 3.* Cur præcepit vobis DEUS, ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Hac etiam specie fratres nostri præsertim juniores tentari solent, quando ex impulsu diaboli curiosè rationes inquirunt piarum suæ religionis traditionum constitutionum, consuetudinum, ac ordinationũ, sensualitati videlicet ipsorum contrariarum; non quidem ut illas fideliter approbent, ac melius custodiant; sed potius ut aliquam occasionem accipiant eas cavillandi, reprehendendi & contemnendi:

nendi: ac inde suos Superiores, tanquam superfluarum & inutilium ceremoniarum ac observationum inventores vel promotores, temere judicandi, carpendi, & odiendi.

2dus diabolus dicitur Nequaquam. Ab hoc tentatore primi Parentes nostri sic dementati fuerunt, ut potius credere maluerint diabolo mendaciter pollicenti & dicenti: Nequaquam morte moriemini, quam DEO suo veraciter sententianti. *Gen*: 2. De ligno scientiæ boni & mali nè comedas: in quacunq; enim die comederis ex eo, morte morieris. Eadem tentatione pulsari solent novi religiosi, ut nimirum non credant Magistris suis, & alijs Patribus Senioribus: dùm eis prædicunt, quod ex certa diutinaq; experientia exploratum habent, eos videlicet facile pejores effici in religione, quàm fuissent in sæculo: Si nimirum ab initio suæ conversionis, ingrati beneficiorum DEI, præsertim vero vocationis ejus ad Sanctam Religionem extiterint: si exercitium orationis mentalis neglexerint: si mortificationi tam externæ quàm internæ studiosè non vacaverint: si principia politica & habitus pravos ante professionem non vicerint: si à quolibet peccato mortali diligenter ac perseveranter sese non custodierint: si quascunq; correptiones humiliter ac patienter acceptare non studuerint &c:

3tius diabolus dicitur Plus, & *4tus* Minus, quorum *alter* suadet incipientibus, vel maximè animo promptioribus ac devotioribus plus orare, quam pia suadet discretio, & sancta religionis consuetu-

do

do postulat; plùs laborare, quam exigit obedientia; plus affligere corpus mortificationibus, vigilijs, ac jejunijs, quam rationabiliter Superiores concedere volunt: ut hinc apud se in multam veniant, de sua perfectione & sanctitate existimationem caputq; suam & pectus nimis debilitent, & vires corporis naturales enervent; ac tandem ad onera religionis sustinenda inhabiles omnino reddantur. *Alter* verò è contra inducere vult incipientes, præsertim animo segniores, ac ad bonum tardiores, ad Minus (videlicet, alijs fratribus) orandum, legendum, meditandum, vigilandum, laborandum, & mortificationibus vacandum, quàm pia religionis consuetudo, & rationabilis Superiorum præceptio requirit; ut sic sensim otio assuefacti, multiplicibus tandem vitiorum laqueis implicentur.

5ta. Species diabolicæ tentationis vocatur Melius. Hostis enim noster diabolus dum etiam sub specie boni servos DEI decipere nequit, tunc quærit illos capere sub specie majoris boni, seu melioris. Undè sicut ille dicitur *2. Cor: 11.* Sathanas transfiguratus in Angelum lucis: ita hic appellatur *Psalm: 90.* Dæmonium meridianum: quasi speciem majoris claritatis, seu imaginem majoris boni præseferens ad decipiendum quos tentat. Præsens itaq; diabolus, ruinam suas ignorantibus astutias molitur, dùm eos pulsat potius ad vacandum studijs in se melioribus, *utpotè* internis ac spiritualibus (*qualia sunt*: cultus silentij ac solitudinis, lectio, meditatio, oratio &c:) quam exercitijs externis seu corporalibus, quæ à Superiore commit-

tuntur ac demandantur; ut sic fratrem, obedientiæ virtutem ignorantem, contra suum Superiorem, tanquam indigna & vitæ spirituali contraria præcipientem, malè permoveat; & ut sic proprio judicio innitentem reddat, inobedientemq; efficiat, contra illud quod dicitur 1. *Reg*: 15. Melior est obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offere adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. *Vnde* S. Bern. inquit. Grande malum propria voluntas, quâ fit, ut bona tua, bona non sint. Etenim si in die jejunij mei inveniatur voluntas mea, non tale jejunium elegit Dominus, nec sapit illi jejunium meum, quod non obedientiam, sed vitium propriæ voluntatis sapit. *Et subdit*. Ego autem non solum de jejunio sed de silentio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo de omni observantia Monachi, ubi invenitur voluntas sua in eo, & non obedientia Magistri sui, idipsum sentio: minimè prorsùs observantias illas, etsi bonas in se, inter virtutes censuerim deputandas.

6tus. diabolus appellatur Medicus. Hujus diaboli talis est suggestio. Non insistas *inquit* lectioni continuato studio, nè oculorum caliginem incurras. Vacando orationi non indulgeas lachrymis, nè ipsos etiam oculos amittas. Noli qualibet nocte ad matutinum surgere, nè debilitatem capitis acquiras: quandocunq; autem te contigetit non surrexisse, dicito te fuisse infirmum, male dispositum &c: Noli multum quotidiano labore

te fa-

te fatigare & conficere, nè citam incurras mortem: aut quoq; nè fractis viribus corporalibus, debilis ac valetudinarius longo tempore vivas. Has, aut his similes, tentator aliquando suggerit fratribus propositiones; ut illos desides, tepidos, molles, otiosos, delicatos vitæq; longioris cupidos efficiat contra quod Dominus ait *Matth*: *11*. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et *cap*: *7*. Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem. Et *cap*: *24*. Vigilate, quia nescitis diem neq; horam. Et *Iob*. *5*. Homo nascitur ad laborem. Et Apostolus *1*. *Cor*: *3*. Unusquisq; propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Idem quoq; Medicus tentator, sæpè suggerit fratribus dum infirmantur Superiorem de illis minorem curam habere, quam ex præscripto regulæ tenetur; & alios fratres minus sibi servire, quàm vellent sibi serviri: ut sic ad impatientiam & murmurationem eos provocare possit contra aliud Regulæ præscriptum *cap*: *10*. Fratres habeant humilitatem & patientiam in persecutione & infirmitate, & diligant eos, &c.

7mus diabolus vocatur Scrutator. Hujus tentatoris natura est, stimulare fratres ad scrutandum opera, intentiones & merita aliorum fratrum; ut inde occasionem eos vilipendendi & seipsos magnifaciendi accipiant: *vel quoque*, ut suos defectus illorum imperfectionibus, coram propria conscientia contegant. *Deinde* muneris ipsius est, excitare fratres ad examinandum & scrutandum præ-

ceptiones, decreta, & quasvis sententias ac ordinationes Superiorum; an videlicet justè rectè, piè, discrete, ac prudenter per eos factæ sint: ut inde aliquod scandalum accipiant. Deniq; hujus tentatoris studium est, permovere fratres ad examinandum & scrutandum judicia DEI investigabilia, circa nimirum prædestinationem ac vocationem electorum, & præscientiam & reprobationem iniquorum; ut stultè patrocinando, seu inique compatiendo, damnandis, aut jam damnatis in DEO aliquam considerent injustitiam, propter quod cum eis damnentur ac reprobentur, juxta illud *Prov. 26* Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria.

ARTICVLVS V.

De Octava specie tentationis, seu de Octavo diabolo, qui dicitur Discretus.

OCtavus diabolus solet vocari per ironiam Discretus, eo quod tanquam impostor scelestissimus, Superiores religiosorum, quos videt profectui spirituali, fratrum sibi in Domino commissorum studiosè insistere ac invigilare, suggerit bonis subditis esse indiscretos, inhumanos ac intolerabiles, ut eos tam perversissimo studio conturbatos reddat, & in charitate erga suos Superiores refrigescere faciat, ac monita illorum & correptiones spernere odioq; habere efficiat: & ut versâ vice, ipsi etiam à Christo spernantur & contemnantur scit enim diabolus, fratrem divisum animo à suo Superiore, fieri quasi hominem capite truncatum: id

id est, à Christo (cujus hic vices gerit Superior) ejusq; influentia illuminationis cælestis, & quorumvis donorum gratuitorum esse disjunctum ac separatum: quia dicit Dominus *Luc: 10.* Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Et per Spiritum S. *Prov: 1.* Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Quia vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo. *Quapropter* dum quid ejusmodi subditis diabolus suggerit, cogitent potius (sicut Sancti Patres consuerunt, quod in vitis eorum legere est) illos Superiores, qui suos subditos non exercent in mortificatione passionum, & abnegatione propriæ voluntatis, quiq; non offerunt eis occasionem exercendi obedientiam, humilitatem, & patientiam cæterasq, virtutes, indiscretos & inhumanos esse: perinde ac indiscretus & inhumanus est pater qui filium famelicum non cibat: pari enim modo mortificatio & virtus (quam sancta ac prudens Superiorum vexatio in subditis promovet) cibus & pabulum est animæ, eam videlicet instar panis roborans & confortans.

Hinc inflat callidissimus tentator ejusmodi inquiens vexationem, ac tam crebram correptionem potius esse occasionem turbationis ac impatientiæ fratrum, & concitamentum passionum eorum in malum, quam instigationem ad virtutis exercitium.

 tium.

tium. *Vnde* S. Paulus dicit *ad Eph*: 6. Patres nolite provocare ad iracundiam filios vestros *Ad quod respondetur*: quod illi patres tam videlicet carnales quam spirituales, hoc loco filios suos ad indignationem provocare dicuntur, qui aut nimia subita passione commoti, aut ex duritia & asperitate cordis contra omne jus & fas pluribus eos contumelijs aut maledictionibus afficiunt; aut etiam nimijs verberibus seu laboribus illos onerant ac irritant. Verùm Superiores, qui ex impulsu charitatis, varijs moderatè vexant mortificationib⁹ suos subditos (*sicut ibidem admonet S. Paulus dicens*: Sed educate illos in disciplina & correptione Domini. *Per disciplinam autem* hanc intelligere vult secundum S. Hieron & S. Chrysost: tam instructionem & doctrinam salutarem, quam castigationem paternam) illi non ad impatientiam eos provocant sed ad patientiam: nulla enim alia est via ad patientiam, quam resistentia indignationi consurgenti contra correptionem aut corripientem, *seu*, mortificatio motuum impatientiæ; sicut etiam via ad humilitatem & castitatem ac cæteras virtutes, est ipsa cohibitio impulsuum Superbiæ, & luxuriæ, ac reliquorum refrenatio vitiorum. *Deinde* malignus instat spiritus subditis suggerens, quod saltim ille Superior indiscretus & inhumanus, imò quoq; persecutor, oppressor, ac turbator fratrum dicendus est, qui subditum in aliquo deficientem, nom jam ex charitate & affectu mansuetudinis; sed ex passione aut odio, acri increpatione & crebra motificatione vexat & irritat, contra illud

quod

quod ait S. Paulus *ad Galat*: 6. Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto (*id est*, si deliquerit aut peccaverit) Vos qui spirituales estis (*id est*, vos qui spiritualem habetis jurisdictionem) hujusmodi instruite in spiritu lenitatis (*id est*, subjectos vobis in Domino instaurate sanâ, doctrinâ, & mansuetâ, leni, paternâ, ac blandâ correptione) considerans teipsum, nè & tu tenteris. *Ad hoc respondetur Imò*. Istam propositionē diaboli esse meram exaggerationem, imposturam, judicium temerarium, ac mendacium, nam & pater mendatij est, qui licet veritatem quandoq; dicere videatur, mentitur tamen; *Vel* veritas ejus non est veritas formalis, nisi materialis, *Puta* ex intentione mala ac perversa proveniens, ut nimirum hac arte incautos ad aliquod peccatū promovere queat: *vel* quia ut unius veritatis revelatione fidem adstruat omnibus mendatijs, quibus nimis curiosęq; credulos callidissimè supplantet. *2dò respondetur* quod non ille Superior dici debet turbator, quamvis subditi per eum ad bonum stimulati turbentur; sed ille qui professionis aut obligationis suæ immemor existens, à Domino sibi commissis connivet peccantibus *Vnde Elias* Regi Achabo (dicendi sibi 3. *Reg*: 18. Tu es qui conturbas Isràël) ait: Non ego turbavi Israel sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini. *3tiò respondetur*. Potest eo modo dici bonus Superior esse turbator fratrum immortificatorum, quo & Christus Herodis & Jerosolimæ turbator extitit, qui non dedit alicui occasionem turbationis, sed unusquisq;

quisq; malæ voluntatis ex ipsius adventu illam sibi sumpsit. Quamvis etiam bonorum fratrum bonus superior, in bono sensu dici potest turbator: quia & bonus Angelus, bonam MARIAM turbasse perhibetur. *4tò.* Potest bonus Superior in bono sensu dici persecutor bonorum fratrum, duplex enim est persecutio. *Alia* odij, qualis fuit tyrannorum in Chrstianos, & qualis hucusq; est hypocrytarum in fideles, in justos, & in veros Christi servos, juxta quod dicit Dominus *Matthæi 10.* Cùm autem persequentur vos &c: *Alia* est persecutio charitatis, quâ sicut persequuntur parentes suos filios, & magistri discipulos, rationabiliter eos castigando; ita etiam Superiores in Domino sibi subditos persequuntur. *Vel* ut hoc ipso præteritos eorum corrigant defectus. *Vel,* ut á futuris eos præservent, & in timore Domini, ac in reverentia ejus antistitum conservent. De hac persecutione S. Chrysost in illud *Prov: 12.* Qui parcit virgæ &c: sic ait: sicut justa ira, non est ira sed diligentia, sic justa percussio, non est persecutio, sed correctio. Et *Clemens Alex.* Qui ad gratiam loquuntur, parum diligunt; qui autem ad utilitatem acerbi sunt, in futurum sæculum beneficio afficiunt. Et *S. August.* Molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo: si autem illos negligant, & perire permittant, ista potius falsa mansuetudo, crudelitas est. *Vnde* quoq; subditis Spiritus S. sic loquitur. *Prov: 4.* Tene disciplinam, nè dimittas eam, custodi istam, quia illa

est

est vita tua. Et *Sap:3.* Sapientiam enim & disciplinam qui abijcit infelix est; & vana spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum. *5tò respondetur*, duplicem esse charitatem superiorum, lenitatis & severitatis. *Vnde* in spiritu lenitatis, in charitate mansvetudinis superiores boni corripiunt illos fratres; quos experiuntur esse animi promptioris ad bonum, & tractabilioris: illos autem in charitate & spiritu severitatis, quos etiam cognoscunt voluntatis esse tardioris & durioris, ac proprij judicij pertinacioris. Hanc utramq; charitatem *S. Paulus* se habere profitetur *1. Corint: 5.* Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? ubi non contra distinguit virgam à charitate: quia repugnat virgam, seu correptionis severitatem tanti Apostoli, carere spiritu charitatis. Unde S. August; *lib: 3. contra Parmen: tom: 7.* hæc verba declarans, sic ait: Numquid tamen & virga sine charitate est, quia ita contexuit. In Virga veniam ad vos, an in charitate? sed quod sequitur. Et spritu mansuetudinis. Admonet intelligi, quia & virga charitatem habet; sed aliud est charitas severitatis, aliud mansuetudinis: una quidem charitas est, sed diversa in diversis operatur. *6tò respondetur.* Odium esse duplex, bonum & malum. *Bonum odium* illud est, quo boni superiores odio habent fratres delinquentes cum S. David, dicente *Psalm: 138.* Perfecto (*id est,* bono ac Sancto) odio oderam illos. Hoc autem est perfecto odio odisse, *inquit S. August:* ut vitia non homines oderis, nec vitia

pro-

propter homines diligas. *Malum odium* illud est, quod mali fovent contra bonos, juxta illud quod ait Dominus *Matth*: 10. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Eodem quoque odio, bonos subditos præsens diabolus curat odisse suos superiores, propter sibi molestas eorum admonitiones & correptiones, quemadmodùm curavit regium odisse Prophetam. *Unde cùm dixisset*: Perfecto odio oderam illos. *Subjunxit*: Et inimici facti sunt mihi. *Imò respondetur*. Sit ita quod malo odio; ac ferali passione superior concitatus, suum subditum hostiliter tractet ac contra leges & ordinationes Patrum sibi præscriptas injustè persequatur: Non audeat tamen subditus apud seipsum ejusmodi Superiorem judicare: quia dicit S. Paulus. 1. *Cor*: 2. Spiritualis (*id est*, Superior qui habet jurisdictionem ac potestatem spiritualem sibi desuper à Domino datam in subditos) judicat omnia (*id est*, judicat omnia subjecta sibi, *utpote* subditos ac incipientes) & ipse à nemine judicatur, *id est*, à nemine subditorum judicari potest. Nec præsumat subditus in suo superiore peccatum & injustitiam considerare, aut inquirere, quonam modo respectu subditorum illum se habere necesse sit: sed potius convertatur ad Christum, & ad ejus injurias ac passiones recogitandas, propter cujus imitationem in humilitate & patientia quævis mala illata facile erit sibi sustinere; nec non inspiciat regulas subditis à Sanctis Patribus traditas, juxta quorum præscriptum ad amussim curet se habere cum suo Superiore, credens fideliter ac devotè,

vote,

votè, datam esse de cœlo illi hanc persequendi se potestatem, & quodammodo malecendi sibi præceptionem, juxta illud Domini oraculum *Ioan:* 19. Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper, & juxta illud Regij Prophetæ. 2. *Reg:* 10. Dominus præcepit ei ut malediceret David, si fortè aspiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac.

ARTICVLVS VI.

De nona specie tentationis: seu de nono diabolo, qui vocatur Zelosus.

NOnus tentator dicitur Zelosus, qui excitat in fratribus quemdam Zelum DEI atq; religionis propriæ, utpotè imprudentiâ, perturbatione, & amaritudine animi plenum; ac desinens in multas contentiones, detractiones, murmurationes, aliaq; peccata hinc venientia, sub specie boni, ac discreti Zeli (præsertim in illis, quos cognoscit concepisse quidem bonum affectum erga DEUM, & propriam Religionem, sed nondum plenam possedisse experientiam vicissitudinum multarum. quæ in qualibet religione quantumvis reformatissima evenire solent, nec adhuc acquisivisse perfectam notitiam legum, ac omnium excusabilium, & inexcusabilium, licitorum & illicitorum) irritans corda eorum adversus Superiores, & alios fratres in religione antiquiores; quos nimirum putant, judicant, ac existimant, regulam secundum declaratio-

rationes Summorum Pontificum præscriptas, decreta Sedis Apostolicæ pro reformatione religiosorum edita, statuta generalia & provincialia à Majoribus Superioribus tradita, imò & ipsa DEI præcepta ad amussim non servare: nec pro ejusmodi prævaricationibus (proh dolor) aliquam pænam subire; in summum videlicet scandalum aliorum fratrum præsertim juniorum, qui pro minoribus, (*utpotè* quotidianis) defectibus, continuè acriter corripiuntur. *Obviatur imò.* huic dolosæ tentationi; Zelus DEI duplex est, laudabilis nimirum & damnabilis. *Zelus laudabilis* alius est incipientium seu subditorum; alius perfectorum ac Superiorum. Zelus incipientis ac subditi est (quilibet enim subditus, præsertim paucorum in religione annorum, respectu Superioris, incipiens censetur esse) continuum videlicet ardensq; studium fugiendi, detestandi, ac mortificandi in se vitium, quod sibi in alijs displicet: & imitandi virtutem, quæ in alijs rationabiliter probatur & laudatur: necnon corripiendi defectuosos, & confirmandi virtuosos, ipso videlicet suorum bonorum operum exemplo. Zelus *perfecti seu antiquioris religiosi, & Superioris* (quilibet enim Superior, & in religione antiquior, tam virtute quàm experientia putatur esse perfectus) est indignatio animi æstuosa, rationabiliter adversus eos insurgens, qui indigna agunt contra DEUM, aut sancta religionis instituta, ac desinens in peccantium castigationem & correctionem. Hunc autem zelum D. Bonav: *de sex aliis Seraph:* temperatum habere vult pietate seu compassione proximi,

mi, devotione & discretione, seu prudentia, exemplaritate, & patientia Superioris. Zelus damnabilis *alius est* iniquus, *alius* absque scientia. Zelus iniquus, seu etiam hypocriticus, *Imò.* est livor ac furor palliatus justitiæ tegumento, concitati animi contra peccata, sive vera, sive nimis exaggerata, sive imaginaria, *id est*, ficta & ementita, in eorum videlicet, qui sibi sunt odio ultionem, diffamationem, despectionem, & condemnationem directus; ad suæ autem justitiæ more pharisaico ostentationem, ac deniq; pro sua parte ad aliorum animorum captationem, ordinatus. *2dò.* Zelus hypocriticæ mentis ille est, quo zelat aliquis contra aliorum vitia pro DEO aut religione, cùm ipse vel ijsdem, vel alijs adhuc pejoribus vitijs irretitus sit, ut merito ei illud dici possit. Hypocrita eijce trabem primo de oculo tuo, & sic valebis eijcere festucam de oculo fratris tui. *3tiò.* quando quis zelat contra vitia aliorum, cum suo fastu, & aliorum contemptu: ut condignè possit sibi dici, quod dictum esse narratur, Diogeni aienti: Calco fastum Platonis, dùm videlicet in contemptum Platonis fastûs & ambitionis, illius calcaret culcitram. Calcas *inquit Plato* sed alio fastu. O miseram hujusmodi sortem, calcare seu corrigere aliorum defectus ac peccata, alijs peccatis ac defectibus! Zelare ac pugnare pro justitia, DEO ac religione, armis videlicet elationis, præsumptionis contentionis, detractionis, susurationis, murmurationis, & odij (proh dolor) contra justitiam DEI, pacem religionis, ac præcepta charitatis. Zelus DEI

absq;

absq; prudentia, vel alias non secundum scientiam, aut etiam immortificatus, immoderatus, indiscret* ac præsüptuosus, multipliciter potest esse. *imò.* quando medijs discursibus perturbatæ rationis concitatur ac inflammatur animus ad ultionem sumendam, de fratribus indigna agentibus adversus honorem DEI aut profectum religionis, absq; aliquo respectu correctionis peccantium. Hujusmodi zelum habuit Jonas, quando doluit quod civitas magna Ninive, juxta id quod prædixerat, non ruebat, Similiter Jacobus & Joannes Apostoli eodem zelo succensi fuerunt, quando contra Samaritanos non recipientes nuntios Domini, dixerunt, *Luc:* 9. Domine vis, dicimus, ut ignis descendat de cælis & consumat illos. *2dò,* Zelus præter scientiam dicitur, quando consurgit contra facta aliorum, quæ vel nonnisi occulta sunt peccata, vel peccatorum suspitiones meræ, vel facile possunt excusari à peccato. *ut potè* ignorantia invincibili, inadvertentia; intentione recta, fide bona, legis interpretatione dispensatione Superioris: *vel etiam,* quia ejusmodi factis peccatur nonnisi contra jus aliquod nunquam observatum, nec plenè receptum, aut usu contrario præscriptum, aut benè non intellectum, nec sufficienter explicatum ac distinctum: rarò enim jus, seu lex per se, aut per suos legislatores distingvitur ac explicatur; sed per juris ac legis Doctores. *vel deniq;* contra jus, cujus cessavit obligatio propter cessationem illius finis; quodq; impeditivum est alterius legis seu juris, præceptiq; nobilioris ac dignio-

dignioris. *3tiò.* Zelus sine prudentia illorum est, qui præcipitanter ac violenter vitia aliorum extirpari cupiunt, minimè providentes ac præcaventes, quòd dùm colligi zizania volunt, nè triticum quoquè ipsum simul eradicetur. *Vnde* est, quod hujusmodi zelus pugnat contra judicia DEI altissima, quæ sapientissime permittunt mala semina cum bonis crescere usq; ad messem: & hoc, *vel* ut incipientes, sicut ex proborum exemplis, doctrinam & modum in religione, sanctè ac laudabiliter vivendi accipiunt: ita vice versa, ex pravorum defectibus occasionem ac instructionem habeant, quomodo vivere non debeant: *vel quoq;* ut ipsi mali, exemplis bonorum tandem corrigantur aliquando: *vel saltem,* ut malorum mala voluntas bonorum passivæ purgationi ac illuminationi proficiat, juxta illud *D. Aug*: Nè putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere DEUM: omnis malus, aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideò vivit, ut per eum bonus exerceatur. Utinam ergo qui nos modo exercent, convertantur & nobiscum exerceantur; tamen quamdiu ita sunt ut exerceant nos, non eos oderimus; quia in eo, quod malus est quis eorum, utrumusq; in finem perseveraturus sit, ignoramus; & plerumq; cùm tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis.

4tò, Zelus absq; scientia & consilio est, quando quis palam contra peccantes pro honore DEI, aut observantia religionis pia quadam permovetur

indignatione, qui nondum per studium propriæ mortificationis plenam de tentationibus ac passionibus suis obtinuit victoriam nec adhuc pro suo zelo ad imitationem Christi ac Sanctorum ejus, quasvis persecutiones patienter sustinere paratum habet animum. Nam hujusmodi zelotes DEI persvadeat sibi necesse est, quod etiam peccans adversus insu gentem contra suos defectus, alio zelo; aut nimirum malo, aut bono insurrecturus sit: *malo quidem*, quia qui audet ex certa scientia peccare in DEUM, aut religionis institutum, facilius peccare audebit in observatorem suorum defectuum, utraq; *sc*: manu (*id est*, per fas & nefas) se se ab eo defendens, ac in eum tela suæ indignationis jaciens: *bono autem zelo*, quia etiam ipse zelotes DEI, forsitan habet alios suos, defectus, acri mortificatione & correptione dignos: *aut* quia errat in modo zelandi, *nempe* peccantem diffamando, seu contra eum strepitum murmurationis aliorum excitando: aut in aliorum officium ad quos nimirum zelare spectat; importunè, intempestivè, ac præsumptuosè sese ingerendo.

Verùm hinc quæri potest, unde nam proveniat ille zeli impulsus, quo imperfectus seu incipiens ac subditus pro DEO aut observantia regulari contra indigna facientes agitur: an videlicet à spiritu divino, an verò à spiritu diaboli? Nam si provenire dicitur à DEO, nefas erit non cooperari divinæ actioni: ideo enim agitur quis à spiritu divino, ut illud agat, ad quod agendum pulsatur. Si autem dicatur provenire a diabolo, con-

cedi

cedi necesse esset diabolum sibi ipsi contradicere cujus unicum studium est pulsare hominem suis tentamentis ad male agendum, non verò ad bene operandum. *Ad hoc respondetur*, quod ejusmodi pulsus imperfectorum potest provenire tam á DEO quam á diabolo: Agi autem ac impelli solet imperfectus aliquis, *utpotè* novellus religiosus á spiritu divino, non ut præcipitanter, intempestivè ac inordinatè; sed præmeditatè, opportunè rationabiliter, ac debito modo zelum animi sui exterius prodat; vel saltim, ut solo ipso interno desiderio bonum seu honorem DEI zelozè promovendi peruratur; multa enim desideria sancta sæpè suis DEUS inspirare solet, quibus illos ardere vult (*ut est* desiderium convertendi peccatores ad pænitentiam, & infideles ad veritatem fidei cognoscendam, patiendi persecutionem pro justitia, aut sustinendi martyrium propter Christi imitationem, hanc vel illam ingrediendi religionem reformatam, &c:) ad quæ tamen implenda non dat illis modum, tempus, facultatem, & occasionem: solo nimirum volens illos esse Apostolos, martyres, ac religiosòs affectu. Dùm etiam pulsat imperfectos seu novellos religiosos diabolus ad zelandum pro DEO ac institutis Patrum, tamen sibi ipsi non contradicit: quia hoc ipso transformat se in Angelum lucis seu veritatis, ut inde occasionem habeat suscitandi alium contra eos, aliorum persecutionis zelum; ac postea sumat ansam, ipsos in ipsorum nimia comprehendendi perturbatione animi ac odio consurgente ipsis contra hujusmodi defectuosos,

 ac

ac alio zelo sese impugantes; & consequenter contra propriam religionem, ac sui ad eam vocationem. Hujusmodi autem odium aut gravem animi indignationem ex immissione diaboli religiosus concipiens, in majori versatur periculo æternæ damnationis, quàm alius homo mundanus, ut potè pluribus peccatis implicatus, sed tamen amore religioni addictus: quia talis amor, sicut initium est aliquod conversionis, & signum saltim remotum salvationis ejus: ita viceversa, tale odium, est exordium alicujus recidivationis, seu retroversionis, ac indicium aliquod reprobationis: quorum utrumq; privilegijs Christi Domini S. P. Francisco datis facile comprobatur.

Hinc deinde objici potest; quod nimirum si incipientes ac imperfecti pro religione non zelassent, ac sese aliquâ murmuratione non opposuissent, jam pridem observantiam illus ruere necesse esset: quia fortè, vel non inveniuntur perfecti, ut pro bono communi agant; vel si inveniuntur, nonnisi sibi ipsis attendunt. *Respond: Imò.* Verùm quidem est, quod zelus incipientium indiscretus aliquando prodest bono communi (nam vulgò dicitur, quod observantia literalis regulæ Minoritanæ, stat fratrum murmuratione) quomodo etiam nonnunquam prosunt aliquibus ad profectum spiritualem propria peccata, *ut potè* occasionaliter non autem causaliter; verùm nulla ratione facienda sunt, mala, ut eveniant bona. *Respond: 2dò.* Falsum esse, quod regulæ Minoritanæ rueret literalis observantia, nisi fulciretur zelo fratrum indiscreto: quia

alias

alias (quod est cogitare indignum) indigeretChristus Dominus noster aliqua fratrum inordinatione ac imprudentia (ex qua tamen, dùm aliquando evenit, scit ac solet elicere bonum) ad promovendam, conservandam, & gubernandam, religionem sanctam, qui nec aliquam sapientiam humanam ad hoc munus requirit: sicut coram B. P. S. Francisco protestatus est (dùm ille pro spirituali profectu suæ religionis nimio zelo cruciaretur) dicens; quid tantoperè solicitus & anxius es misellè homuncio pro hac religione, aut putas non magis illam esse meam, quàm tuam? nonnè ego ideo per te simplicem ac indoctum fundare illam volui, ut videlicet gubernatio & promotio ejus, meæ omnino, non autem humanæ adscriberetur Sapientiæ. *Respond*: 3*tiò*. Non ruit statim observantia regularis, nec disciplina vitæ spiritualis collabitur, quamvis ruere & collabi minùs expertis videatur, dùm videlicet aliquando nonnulli defectus aliquorum Superiorum aut fratrum, sive etiam totius Communitatis dissimulantur ac tolerantur, ob aliquam rationabilem causam, solis notam Superioribus: imò quoq; etiamsi per negligentiam Superiorum idipsum eveniat: quia hujusmodi defectus mox corrigentur, *vel* exemplis bonis aliorum fratrum, *vel* admonitione majorum Superiorum, *ut potè* visitatorum, *vel* cita mutatione prælatorum; *vel* separatione ab invicem fratrum ac translatione illorum, *vel* amotione occasionis malæ &c: *Respond*: 4*tò*. Multi sunt viri perfecti ac sancti in religione, quamvis curiosis inquisitoribus & indiscretè

zelozis, ac apud se ipsos justis & prudentibus non videantur esse, ob aliquos nempè illorum defectus, aliqua reprehensione dignos, quos etiam ipsi perfecti detestantur summopere. *Vnde est*, quod alias hujusmodi nec S. Petrum Summum Christi Antistitem vellent dicere perfectum, qui apud S. Paulum reprehensibilis erat: nec S. Joannem quem diligebat JESUS, qui tam in sua persona, quam cæterorum Apostolorum ac Sanctorum ajebat: Si dixerimus quod peccatum non habemus; mendaces sumus, & veritas in nobis non est. *Resp: 1tò*; Multum agunt perfecti pro bono religionis sibi ipsis attendendo, prius quam bono communi juxta ordinem charitatis, quamvis inquietis & temerarijs agere non videantur: nam docent eos suo exemplo pacem Christi cum omnibus habere, charitate aliorum defectus cooperire: legem Domini nostri, aliorum onera portando adimplere: suos Superiores revereri & amare, non considerando eorum imperfectiones; sed potius ipsum filium DEI, cujus antistites sunt, in illis discernendo, *necnon* docent eos fugere omnem impatientiam ac animi perturbationem: quæ in se, & in alijs impediunt charitatem, suntq; semina pestiferæ ac maledictæ murmurationis: tandemque docent eos, cùm tempus visitationis advenerit, omnia pro bono communi, quæ illis recta svadet ratio Superiori aperire & relinquere, solum DEUM semper præ oculis habendo. *Obviatur 2dò.* præsenti tentationi hujusmodi responsione ad ultimum punctum suggestionis ejus. Apud omnes religiosos fratres No-

velli

velli usq; ad præfinitum tempus à Summis Pontificibus, sunt sub cura, correptione, ac instructione suorum Patrum spiritualium, quodammodo tanquam filij sub educatione parentum; tanquam pupilli sub actione Tutorum; tanquam discipuli, sub custodia & disciplina Magistrorum, & pædagogorum; tanquam pueri pro addiscenda arte aliqua mechanica destinati, sub institutione professoris illius artis; tanquam servi sub potestate & jurisdictione suorum dominorum. Hac itaq; ratione fratres juvenes cujuslibet religionis, quamvis mali non sint, facile à suis Superioribus corripiuntur ac reprehenduntur: nam sicut caro recens, quamvis etiam sit bona ad comedendum, tamen sale mortificatur; ut nimirum eo ipso à corruptione præservetur, & diu in sua integritate conservetur: ita fratres Novelli, sæpè sale mortificationis exercentur, ut videlicet hoc ipso à corruptione passionum, sui amoris, inodinatæ voluntatis, proprij judicij, ac inferioris rationis discursuum purgentur ac præserventur; assuetiq; ab adolescentia jugo Christi portando ac malis tolerandis, in virtutibus bonum odorem spirantibus promoveantur, ac in perpetuum firmentur; quâ enim via adolescentes ambulant etiam cùm senuerint non recedent ab ea; & quo semel imbuti fuerint virtutum ungvento, illius diu servabunt odorem. *Verum* alia est ratio Seniorum qui jam sunt exempti à cura Magistrorum spiritualium, & à disciplina juvenili: hi etenim communiter pro quotidianis defectibus parvis acriter non corripiuntur, nisi admonentur ac rogantur, ut se-

ipſos corrigant, quia dicit S. Paulus 1. Tim: 5tē. Seniorem nè increpaveris, ſed obſecra ut patrem; juvenes (ut potè exemptos à cura Vicariorum) ut fratres. Pro majoribus autem defectibus & gravioribus peccatis, puta notorijs ac publicis plus etiam gravius publicè puniuntur, juxta delicti exigentiam. Verùm pro illis peccatis, quæ occulta ſunt & nonniſi ſolis Superioribus aliquo modo probata, occultè etiam corripiuntur: ſi verò nullatenus probari poſſunt; tamen pro ſolis indicijs aliqua leviori pæna, ſive nimirum poſitiva, ſive negativa plectuntur. Hinc jam patet, quod ſcandalum illud juvenum, non eſt datum ſed acceptum, quale illud fuit Phariſæorum, invidorum & hypocritarum, quod de Chriſti, ac diſcipulorum ejus vita & doctrina accipiebant.

ARTICVLVS VII.

De diabolo, qui dicitur Perfectus, Curioſus, Laudipeta, Laſcivus, Tetricus, Blaſphemus, Amor placendi, Timor diſplicendi, Linguáx, Si, Accuſator fratrum.

DEcimus tentator dicitur Perfectus, ex eo videlicet, quod ſuggerere ſoleat nonnullis incipientibus, illos jam eſſe perfectos ac Sanctos: ut hoc ipſo, ſic facile ac imprudenter credulos (incipientes enim facile credunt ſe eſſe perfectos, dùm ſtatum peccatorum, quem per gratiam DEI deſeruerunt conſiderant; ſtatus veró perfectionis, cu-

jus

jus nondum limina attigerunt conditiones ignorant) nimis altè ſapere, ac multum de ſeipſis præſumere; alios autem tanquam minùs perfectos aut etiam tanquam peccatores temerè judicare, condemnare, ac deſpicere, faciat. Hâc tentatione ſuperatus Phariſæus, ſtans apud ſe orabat, (ſicut legere eſt *Luc*: 18.) DEUS gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus. *Vel* ex eo Perfectus vocatur: quia è contra nonnullis incipientibus quandoq; perſuadet, quaſi nunquam in religione perfecti poſſent fieri, eo quod nullatenùs vitare poſſint, quamvis velint ac ſtudeant, omnes imperfectiones, & omnia peccata venialia, ſicut ipſa experientia docet; quâ etiam de cauſa, ijſdem ſuggerit, nullum alium in ſua religione poſſe inveniri perfectum, licet contrarium narretur, & credatur; ut hâc ſuâ calliditate faciat illos temerè judicare & contemnere ſuam imprimis religionem, ac poſtea quoſvis alios viros perfectos; minùsq; ab hinc curare aſceticam diſciplinam, & omne ſtudium virtutum. Verùm ſic tentati, ſeriò admonentur à ſapiente illis verbis *Eccl*: 7. Noli eſſe nimium juſtus. Nimium autem quis juſtus ac perfectus eſſe cupit, quando ab omnibus imperfectionibus & peccatis venialibus purus omninò evadere conatur? quod nunquam alicui perfectorum in hoc ſtatu corruptionis ullo modo concedi ſolet: non enim per viam innocentiæ ac originalis juſtitiæ, vult ſuos DEUS redire ad Paradiſum vitæ æternæ: ſed per viam humilitatis, cujus nobis

materia

materia ſeu occaſio ineſt, ipſa videlicet noſtræ corruptæ naturæ ad malum propenſio, quotidianos defectus nobis parturiens. *Vnde eſt*, quod imperfectiones & venialia peccata virorum profectui ſpirituali fideliter inſiſtentium, potiùs illorum promovent & conſervant (puta occaſionaliter, divina ſeſe interponente ſapientiâ) quam impediunt ac extingvunt perfectionem, nam quemadmorum carbones ignis, facillimè in cinere per noctem uſq; in craſtinum diem conſervantur; ita charitatis ac cujuslibet virtutis perfectio, cinere venialium peccatorum ac nonnullarum aliarum imperfectionum reſperſa per noctem præſentis miſerrimæ vitæ uſq; in craſtinum æternitatis diem ſatis bellè cuſtoditur.

Vndecimus tentator dicitur Curioſus. Hic perſæpè religioſis ſuggerit, illam potiùs inquirendam eis eſſe ſcientiam, quâ glorioſi redderentur mundo, quàm quâ ſpiritualis eorum promoveatur vita. *idem quoq;* perſuadet illis occulta ac ſecreta aliorum inveſtigare, & coram alijs propalare; audire nova, videre pulchra, habere chara, & quæcunq; grata ſunt ſenſibus experiri: ut hoc ipſo fiant ex eis homines vani, mundani, indevoti, & vocationis ſuæ immemores.

Duotemus vocatur Laudipeta. Hac tentatione deijciuntur, qui bona faciunt, non ut ſoli DEO placeant, verùm ut ab hominibus videantur, laudentur & promoveantur.

Tredecimus dici ſolet Laſcivius. Hujus tentatoris ſtudium eſt, nimis commovere appetitum infimum

mum ad concupiſcendum paſtum & potum ſaporoſum, delicatum & immoderatum, non tam corporali neceſſitati, quàm gulæ & luxuriæ deſervientem: ad aſpiciendam oculo immortificato, & amandam affectu ſenſuali ſpeciem alterius ſexûs, aut quaſi alteriùs; ad ſæpè converſandum & jocandum cum ejuſmodi perſonis, ad palpandum ſeu demulcendum eas, ad adulandum & blandiendum eis, &c.

Quartus decimus & Quindecimus diabolus Tetricus & blaſphemus dicitur. Hujuſmodi tentatores, nonnullis ſuggerere ſolent cogitationes triſtes, turbulentas, ſuperbas, iracundas, invidas, ſeveras, queruloſas, ſuſpitioſas, amaras, inhoneſtas, irreverentes & malignas; multifariam ſtimulando eos contra fratres, contra Superiores, contra religionem, ſeu religionis inſtitutionem ac diſciplinam; contra fidem, contra fidei miniſtros, contra Sanctos ſeu illorum imagines, contra DEUM ac ejus judiciorum vias inveſtigabiles. *Verùm* hujuſmodi cogitationes, ſi nonniſi paſſivæ ſunt, non eſt cur timeantur; quia non ſolùm non nocent viro ſpirituali, verùmetiam purgationi ejus paſſivæ deſerviunt.

Sexdecimus, & decimus ſeptimus, tentator, vocatur Amor placendi, & Timos diſplicendi. Horum uterq; ſuadet aſcetis favorem, amicitiam, benevolentiam & gratiam hominum magnificare, ac nimio ſtudio captare; ut his ineſcatos, paratos efficiat DEUM potius offendere, ac legem ejus violare, quàm aliquando hominibus diſplicere vel-

le.

le. Ejusmodi favorem S. Paulus fugiebat, cum diceret *ad Galat*: 1. Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Unde & S. David *Psal*: 52. Quoniam DEUS dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam DEUS sprevit eos. *Verumtamen* Sanctum ac laudabile est, velle placere hominibus, non quidem propter suum commodum transitorium, sed propter illorum utilitatem spiritualem: in quo sensu S. Paulus voluit placere suos discipulos eorum proximis dicens: *Rom*: 15. Unusquisq; proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Quare & de seipso idem Apostolus ait 1. *Cor*: 10. Per omnia omnibus placeo non quærens quod mihi utile est; sed quod multis, ut salvi fiant.

Decimusoctavus tentator appellatur Linguax: cujus studium est incitare fratres ad immodicam & incircumspectam loquacitatem, vel alias ad vaniloquium ac multiloquium; quod aliquo peccato carere nequit, sicut patet *Proverb*: 10. In multiloquio non deerit peccatum. *Vt potè* aut mendacij, aut jactantiæ aut adulationis, aut irrisionis, aut contentionis, aut murmurationis, susurrationis, detractionis, &c: *Vnde* S. Ambros. Quam plures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quempiam tacendo: ideo tacere posse, quàm loqui, difficilius est. *Idem*. Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter; postremò si ubi non oportet loquaris. Et *S. Bernard*. Levis quidem sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat: leviter transit, sed graviter urit:

leviter

leviter penetrat animum, ſed non leviter exit: leviter fertur, ſed non leviter revocatur: facile volat, ideo facile charitatem violat.

Decimusnonus diabolus vocatur Si. Hic tentare conſuevit, per ſuppoſitionem circa poſſibilia. *Ex gr.* Quando bonum novitium cernit (minùs adhuc cautum, & nondum ſuas aſtutias expertum) orationi diligenter inſiſtere mortificationi & virtutibus ſtudiosè incumbere, ac in amore ſuæ religionis & vocationis proficere; mox ei ad meditandum proponit. Quid faceres, ſi te ex iſta religione ejicerent? Et poſtmodum fraudulenter ei ſuadet, ut omninò reſignatam habeat voluntatem ad divinam circa ſe hujuſmodi ordinationem: affirmans, quod facile, jam poſſit ſervire DEO in ſæculo, quandoquidem tantopere profecerit in vita ſpirituali, quod ſi in peccata recideret, non ſua eſſet culpa, ſed eorum qui ſe ejecerunt: *vel* ſuggerens ei, quod poſſit aliam intrare religionem, ſi ſibi poſtea placuerit. *Vel quoq́.* Quando advertit aliquem bonum religioſum in propoſito æterno ſeſe exercere ac roborare, DEUM videlicet amplus non offendendi, ac in timore & amore ejus cæterisq; virtutibus jugiter proficiendi; protinùs objicit illi ejuſmodi propoſitionem? Quid faceres, ſi certo ſcires, te non eſſe prædeſtinatum, ac DEI electum? *vel* ſi in hanc, aut in illam occaſionem peccandi incideres? *vel* ſi hanc, ſeu aliam haberes perſecutionem? *Vel deniq́;* Quid faceres; ſi comprehenderetis ob fidei confeſſionem, & conijcereris in carcerem teterrimum ac fætidum; tor-

tu ræq;

turæq; tibi acerbiſſimæ; crudeliſſimæ, & prolixiſſimæ adhiberentur? His ac alijs ſimilibus modis ſceleſtiſſimus & calidiſſimus hoſtis Servorum DEI, in ſua contra eos tentatione procedere ſolet; ut conturbatos reddens, priſtinum affectum devotionis eorum erga religionem conceptum refrigerare queat, ſtudium Virtutum eos negligere faciat, fervorem orationis in illis extinguat, charitatem DEI naſcentem in odium ſuo ſtudio convertat, propoſita æterna eorum frangat; & quod impium eſt, illis eligere perſvadeat. *Verum* non conturbetur nec animo concidat bonus religioſus ad auditionem hujuſmodi ſibilli ſerpentini; ſed potiùs agnitâ prius ſua infirmitate, DEO ſe auxiliatori ac Salvatori ſuo fideliter & humiliter commendet, omnem in eo ſuam collocans fiduciam; quia ipſe aut non permittet ſe tentari ſupra ſuas vires, aut in hujuſmodi tantatione auxilium ſibi efficax præſtabit.

Vigeſimus, diabolus dicitur Accuſator fratrum; cujus natura eſt ſtimulare fratres, ut ſe defendant & excuſent in ſuis defectibus, aliorum accuſatione; quod nimirum hos defectus contraxerint per indiſcretionem Superiorum, per ſcandala fratrum, per occupationes religiouis, &c.

ARTICVLVS VIII.

De remedijs, & fructibus, ſeu utilitatibus probativæ tentationis.

OMnis quippe tentatio noſtra, *aut* eſt probativa *aut* inductiva. *Probativa* ſeu probationis

illa dicitur; quâ nimirum exploratur, probatur, & perficitur fides, patientia, perseverantia, & quælibet virtus nostra. *Inductiva* verò seu inductionis illa est, quâ ad peccandum inducimur & sollicitamur. Harum utraq; à sola pendet voluntate DEI, verùm cum hoc discrimine: quòd probativa tentatio procedit à divina positiva voluntate, *ut potè* immediata & mediata: illa, quæ est à positiva DEI voluntate immediata, propriè dicitur tentatio à DEO, & quæ venit à voluntate mediata, propriè vocatur tentatio ab homine, ut Antistite DEI. *Tentatio* verò inductionis, veniens ab homine, ut instrumento satanæ; necnon à mundo, carne, & diabolo, dependet à voluntate DEI permissiva. Est autem voluntas DEI permissiva, *alia* antecedens, *alia* consequens. Permissiva consequens illa est, quâ nimirum dicitur DEUS (*Matth*: 6. in orat. Dominica) inducere nos in tentationem, *id est* permittere, ut propter incuriam & negligentiam nostram, in cooperando vocationi & gratiæ illius divinæ, à diabolo inducamur in consensum tentationis. Unde est quod dicitur *Apoc*: 3. Quia tepidus es; & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. *Vel* quâ multos DEUS permittit tentari & cadere in gravia peccatâ, in pœnam aliorum peccatorum, juxta illud *Apoc*: 22. Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc. *Verùm* tentatio dependens à voluntate divinâ permissivâ antecedente, non est inductiva ad malum, sed probativa ad bonum: ad hoc enim DEUS permittit â malis hominibus, à

mundo,

mundo, carne, diabolo, tentari suos electos; ut nimirum probentur, ut exerceantur, ut excitentur, ut meliorentur.

Hinc nota, quod DEUS nunquam permittit malum, ut aliud malum inde sequatur: quare dùm voluntate antecedente permittit tentationis malum; hoc facit, ut inde nobis proveniat profectûs nostri spiritualis bonum: dùm autem consequente voluntate permittit malum; hoc facit, ut inde justitiæ ejus punitivæ bonum, exterius nobis innotescat. *Inde est*, quod sicut tentatio inductiva statim à principio fugienda, reprobanda, ac superanda est; ita quoq; probativa in magna humilitate ac patientia, & cum gaudio spirituali sustineri debet.

Imum itaq; remedium probativæ tentationis est, ipsum videlicet tolerare illam humiliter ac patienter, juxta illud quod dicitur *Eccl*: *2*. Sustine sustentationis DEI, conjungere DEO & sustine, ut crescat in novissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit accipe; & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. Idipsum patet ex verbis Christi Domini prolatis *Apocalip*: *3*. Quoniam servasti verbum (*id est*, præceptum) patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem Universum tentare habitantes in terra. Idem comprobatur ex D. Bonav: *lib*: *2*. *de prof*: *relig*: *cap*: *6*. in hunc modum dicente: Patienter & humiliter Virgam Domini

sustine,

ſuſtine, & dignum te judica afflictione & labore pugnæ, patienter tolera, confidens quod tibi proveniet in bonum: quia ſic citius placabilis erit tibi Dominus, & purgaberis à peccatis, & emundaberis vitijs, & ditaberis virtutibus, ſcientia, meritis, & gloria. Unde & *S. Greg.* Quis appetit plenè vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare: cum DEO non poſſumus contendere, nec per juſtitiam, quia peccatores ſumus; nec per potentiam, quia infirmi & ſervi ejus ſumus; nec aufugere ab eo per aſtutiam, quia nuſquam eum latere poſſumus, & dominij ejus terminos exire, juxta illud quod dicitur *Pſal: 138.* Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Et *Iob. 9.* Sapiens corde eſt, & fortis robore; quis reſtitit ei, & pacem habuit? Humiliemus ergo nos coram ipſo, & ſic miſericordiam conſequemur. *hæc ille.* Quis igitur tentationem patienter ac humiliter non tolerabit? ut nimirum in die noviſſimo illam dulciſſimam Chriſti cantilenam (juxta D. Bonav. *in Dieta ſalutis Tit: 10. cap: 6.*) promereatur audire cum alijs Viris Apoſtolicis, quæ ſcripta eſt *Luc: 22.* Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Ego diſpono vobis " ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum; ut eda " tis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo " & ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tri " bus Iſrael. Quod prævidens David in ſpiritu, clamabat in cælum. *Pſalm: 138,* Proba me DEUS, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas. Et *deinde* poſt victoriam tentationis

coram DEO gloriando agebat: *Psal: 16.* Probâſti cor meum, & viſitaſti nocte; igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. *Vtpotè* iniquitas conſenſus in peccatum: aut iniquitas impatientiæ ſeu deſperationis. Unde etiam Sancti, qui jam pertranſierunt & ſuperaverunt tentationes ſuas, ſemper glorificant DEUM in cælo dulciter canentes illud *Psal: 65.* Quoniam probaſti nos DEUS: igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum: induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra: tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.

2dum. remedium eſt probativæ tentationis, gaudium videlicet ſpirituale, juxta illud *Iacob: cap: 1.* Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, *id eſt* nolite fratres mei contriſtari in veſtris tentationibus; nam eo ip o exhilarabitis tentatorem veſtrum, & audaciorem eum facietis contra vos, ac ſpem ei majorem addetis veſtri caſus futuri; ſed è contra enitamini omni gaudio gaudere (puta, pleno & perfecto) ut inde veſter inimicus magis capiat triſtitiam, & timidus reddatur, ac de ſua ex vobis reportandâ deſperet victoriâ. Hujus autem gaudij rationes ſunt ſeptem, ipſi videlicet ſeptem fructus, quos tentatio viris adfert ſpiritualibus. *Imus* igitur fructus eſt, quod videlicet intervenientibus tentationibus, electi à reprobis per ſua placita, ſeu per ſuas electiones dignoſcuntur ac ſecernuntur: tempore enim tentationis quid aliud electi & reprobi

ope-

operantur, nisi quod alteri eorum eligunt bonum et vitam & alteri malum ac mortem, juxta illud *Eccl*: 5. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi. *Et consequenter*, alteros illorum facit DEUS suos electos, & reprobos alteros. Quamobrem verum est illud, quòd tentatio non improbat, sed qualis est quisquè probat ac manifestat: in tentatione enim, sicut cujuslibet mali hominis panditur iniquitas, ac immortificati innotescit vitium? ita boni ac probi viri, palam fit amor erga DEUM, & patientia illius clarescit, juxta illud *Deut*: 13. Tentat vos Dominus DEUS vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non. Et *Tob*: 12. Quia acceptus eras DEO, necesse erat ut tentatio probaret te Et *Sap* 3. Quoniam DEUS tentavit eos, & invenit eos dignos se; tanquam aurum in fornace probavit il los. Ex quibus verbis dicendum est, quod quo modo aurum purum ab impuro probatur & secernitur; illo etiam modo Vir probus ab improbo dignoscitur; nam sicut impurum ac mixtum aurum percussum sonat, & in igne positum fumat, eva poratur & minoratur; è contra verò aurum purum non sonat, & per ignem transiens, à justo pondere non deviat; ita quoq; improbus ac irreligiosus homo, dùm tentationis maleo percutitur, ac adversitatis igne examinatur, statim edit sonitum impatientiæ & murmurationis, & mox per injustitiam ac desperationem minoratur; sed Vir justus versâ vice, in quavis tentatione positus, idem semper manet ac perseverat, imò per patientiam meliora-

 tur,

tur, quæ proprius, effectus probativæ tentationis est. *Vnde* S. Jacobus cùm dixissem *capt 1.* Omne gaudium existimate fratres mei, cùm intentationes varias incideritis. *Subjunxit*: Scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. *2dus.* fructus tentationis est, ipsa videlicet purgatio justorum, de qua illud extat *Ioannis 15.* Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est: omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; & omnem qui fert fructum purgabit eum (*utpotè* per multas tentationes) ut fructum plus afferat. Et illud *Luc: 3.* Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Ad quem quæso finem Christus Dominus in manu sua ventilabrum habere dicitur, quo nimirum coloni frumenta post trituram sursum ejaculantur, ut ea ventorum flatu à paleis repurgata accipiant & servent? nisi in signum, squod ad instar Coloni electos suos, tanquam grana frumenti contra venti impetum, sc: tentationum variarum, jactitare decreverit, ut hoc modo expurgatos à paleis plurium vitiorum ac imperfectionum, tempore suo congreget ac reportet in cæleste horreum. Hujusmodi frumentum purgatum fuit S. Ignatius Episcopus Antiochensis, qui cùm jam damnatus esset ad bestias, & rugientes audiret leones, ardore patiendi dixit: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar; similiter & S. P. Franciscus, de quo Ecclesia sic in ejus Officio: Granum

purum,

purum, excussa palea, summi regis intrat in horrea. *Unde* & S. Chrisost. Nè existemus esse signum, quod nos dereliquerit & despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur; sed hoc maximum sit nobis indicium, quod nostri curam gerit, quiâ peccata expurgat, & luctam ac exercendi materiam nobis proponit.

3tius. fructus est, quia in tentatione mens nostra sic sensim illuminatur ac eruditur, ut tandem perfecta sui gaudeat cognitione. Unde *Eccles:* 34. Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus cogitabit multa; & qui multa didicit ennarrabit intellectum. Et *S. Aug: in Psalm:* 61. Tantum admittitur diabolus tentare, quantum tibi prodest ut exercearis, ut proberis; ut qui te nesciebas, à te ipso inveniaris. *4tus* est, quia per tentationem præseveramur ab omni superbia, & conservamur in omni humilitate; quod patet ex dictis D. Pauli 2. *Cor:* 12. Nè magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus satanæ qui me colaphizet. *5tus* est quia per tentationes (occasionaliter puta) promovemur in virtutibus, ut patet 1. *Cor:* 10. Fidelis DEUS est, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum. Unde in vitis Patrum legitur de quodam discipulo, qui dùm à spiritu fornicationis tentaretur, adijt Patrem suum spiritualem, ut revelaret ei hanc suam gravem tentationem; quâ cognitâ senex admonuit juvenem; dicens: vis rogo Dominum, ut hanc à te alienet molestiam? respondit; video Ab-

ba, quia si laboro tamen ex pondere laboris hujus considero fructificare me: sed hoc roga DEUM ut det mihi tolerantiam, per quam sustineam, ac semper vincam tentationem. Cui Pater: Nunc cognovi, quia in magno profectu es fili, & supergredereris me. *6tus* fructus est, erectio spei & affectionis nostræ in DEUM: nam dùm stimulamur varijs tentationibus, vult nos Dominus clementissimus totaliter de proprijs diffidere Viribus, ac per vivam fidem, & spem sursum erectam, & humilem ferventemq; orationem ad suum confugere auxilium. Sic faciebat David cùm diceret *Psal: 24.* Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. *Vnde* D. Bonav. *Stimul. par. 3. cap. 17.* Permittis nos bone JESU tentationibus stumulari, ut ad te recurramus: Omnem viam & modum quo possis nos ad te trahere exerces, quia tecum nos cupis habere. *7mus* est, quia tentatio superata, magna præmia victoribus operatur. Unde Jacob *cap. 1.* Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit DEUS diligentibus se. Et *Apoc: 2.* Qui vicerit (suas videlicet tentationes) faciam illum columnam in templo DEI mei. Et *2. Tim: 2.* Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit Et *S. Aug: sup: Psalm: 60.* Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit: nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus: nec potest coronari, nisi vicerit, nec potest vincere nisi certaverit: nec potest

test certare, nisi inimicum & tentationes habuerit. Et *S. Bern.* Molesta est lucta, sed fructuosa, quia si habet pœnam, habebit & coronam: non nocet sensus, ubi non est consensus: imò quod resistentem fatigat, vincentem coronat.

ARTICVLVS IX.

De remedijs inductivæ tentationis.

PRimum remedium inductivæ tentationis est fuga ipsius tentationis occasionum. Est autem ascetis duplex occasio talis, proxima nimirum & remota. *Proxima* item occasio tentationis, aut est exterior aut interior. *Exterior* est quodlibet bonum transitorium, seu quodvis objectum hujus mundi animabus incautis gratum. Unde *Sap*: 4. Quoniam creaturæ DEI, in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum. (factæ scilicet, per propriam illorum concupiscentiam, & per suggestionem ac deceptionem diabolicam) & in muscipulam pedibus insipientium. *Interior* est ipse sui amor immoderatus, proprium judicium, & proria voluntas; harum occasionum altera fugitur per contemptum mundi, & omnium quæ in eo sunt; altera per abnegationem sui. *Remota* etiam occasio tentationis, est itidem alia Interior, alia Exterior. *Exterior*, est quodlibet officium religionis, & quævis fraterna familiaritas singularis, peregrinationes quoq; & cum sæcularibus conversationes, ac tandem infirmitates corporales. *Interior* est; considératio alienorum defectuum in ordine ad correctionem proximi ex zelo aliquo proveniens.

2dum remedium contra inductivas tentationes est, ipsum videlicet illas prævenire nostrum, *utpotè*, præparatione ac præmunitione nostri, antequam ab eis præveniamur & oppugnemur, juxta illud *Eccl*: 2. Fili accedens ad servitutem DEI, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Multiplici autem modo nos præparari oportet ad tentationem. *Imò* per præscientiam ac præcognitionem necessitatis & plurium ejus utilitatum, ac per prævisionem illius jaculorum. Minus enim (*ait S. Greg*:) jacula feriunt, quæ prævidentur. Et *Chrysost*. Magna *inquit* Virtus boni est cognoscere malos, & firma tutela salutis, scire quod fugias. *2dò*, per quotidianas Dominicæ passionis & quatuor novissimorum meditationes: & per exercitium cujuscunque bonæ actionis, quo tolluntur studia vana ac inutilia, & ipsum superatur otium, quod est ostium quarumvis seductionum. Hæc enim omnia illa DEI armatura sunt, quam assumere nos vult Apostolus contra hostes nostros spirituales *Philip*: 6. dicens: Accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. *3tiò*. Optime nos præparamus antecedenter contra tentationem, dùm vigilamus & oramus, ut non inducamur, aut intremus in tentationem, juxta quod commonemur *Matth*: 26. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. *Nota autem*, quod sicut aliud est intrare in fornacem igne succensam, & aliud accedere ad illam, nam intrans comburitur ibi, & nonnisi appropinquans calefit; ita aliud est intrare in tentationem,

& aliud

& aliud tentari: ille autem in tentationem intrare dicitur, qui per assensum peccato igne concupiscentiæ suæ uritur & comburitur; & ille nonnisi simpliciter tentatur, qui suggestioni ad hoc exponitur, ut per detestationem iniquitatis, ac mentis in DEUM elevationem, affectu amoris divini magis ac magis incaleat. *Nota deinde*, quod tunc vigilare dicimur, quando persæpe coram DEO renovamus nostrum æternum, serium, ac resolutum propositum studiosissime videlicet, efficacissimè, ac fortissimè resistendi cum auxilio ejus cælesti quibusvis inimici nostri suggestionibus. Hujusmodi propositum fuit David, cum diceret *Psal: 17.* Et ero immaculatus cum eo, & observabo me ab iniquitate mea. *Et infra.* Quoniam in te eripiar à tentatione, & in DEO meo transgrediar murum. *Et infra.* Et præcinxisti me virtute (*id est* forti ac insuperabili proposito) ad bellum; & supplantasti insurgentes in me subtus me. *4tò.* Perbellè præparamus nos ad tentationem per humilitatem, quæ provenit ex cognitione nostri, per quam fit, quod diffidentes de sufficientiâ virium nostrarum, præmuniti confidentiâ in sola protectione diuina, intrepide expectamus hostem nostrum. Sic præmunitus fuit *S. Macarius*, cui aliquando diabolus dixit: Machari; omnia quæ tu facis, ego melius facio: tu jejunas, & ego nunquam comedo neq; bibo: tu vigilas, ego nunquam dormio: tu castitatem colis, ego nullum actum novi venereum: tu huic sæculo ac bonis ejus abrenuisti, & ego nihil possideo in hoc mundo, neq; aliquid possi-

dere

dere cupio. Unum est quo me superas, nempe humilitas tua, propter quam contra te prævalere nequeo. *5tò.* Præparamus nos benè contra tentationem inductionis: si membra nostra, tàm videlicet exteriorum quàm interiorum virium, per studium asceticæ mortificationis facimus arma justitiæ: quæ alias diabolus, inermis noster hostis instrumenta iniquitatis, seu arma sua contra nos vertens, à nobis habere cupit, ac fraudulenter sibi impetrare pollicetur; ut nos illis vulneret & occidat. Hanc diaboli astutiam & indigentiam advertens D Bonav. præmonere nos voluit, dicens *libr: 1. de prof: reg: cap: 2.* Cum immittit nobis diabolus cogitationes perversas & suadet ut malum faciamus vel loquamur; nonnè quasi apertè videtur homini dicere: inermis sum ego contra te, non habeo unde te lædere possum, nisi tu præstes mihi arma tua, ut te vulnerem & occidam. Præsta ergo mihi cor tuum ad pravas affectiones, vel cogitationes malas; linguam ad loquendum iniqua; & manus & alia membra ad actiones & opera prava, quibus letale vulnus in anima accipias, & gratiam Domini DEI tui perdas, & gloriæ cælestis merito spolieris. Unde S. Apostolus *Rom: 6.* Non exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos DEO, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ.

3tium remedium tentationum inductivarum, est resistentia ipsi ab initio suggestionis, juxta illud *Pet. 5.* Cui resistite fortes in fide. Et *Iacob. 4.* Resistite

ſtite autem diabolo, & fugiet à vobis. Eſt verò hoc loco initium ſuggeſtionis, illud inſtans temporis, in quo à ratione ſuperiori hujuſmodi ſuggeſtio ſeu impulſus diaboli internus, legi Divinæ contrarius eſſe plenè dignoſcitur & apprehenditur. *Præſens autem* reſiſtentia tentationi, vel eſt naturalis, vel ſupernaturalis. Naturalis illa eſt. quâ quis reſiſtit peccato, nè incurrat per illius actum aliquod malum temporale, aut nè privetur aliquo bono commutabili. Supernaturalis reſiſtentia illa eſt, quâ quis ex motu charitatis DEI diſſentit ſupra omnia diabolicæ ad peccandum perſuaſioni ac inductioni propter DEUM. *Sed hæc* reſiſtentia juſtorum, alias diaboli victoria dici ſolet: nam diabolus ipſo actu ſtimulando aliquem ad peccandum, nihil aliud intendit, niſi ut illum, vel ex inimico DEI majorem inimicum, vel ex amico & juſto, injuſtum ac peccatorem efformet; qui dùm contrarium per tentati reſiſtentiam, aut per quemcumq; ejus alium charitatis elicitum actum fieri videt, eo ipſo victum ſe eſſe reputat ac recognoſcit: converſio enim hominis, eſt diaboli confuſio; & juſti major profectus in charitate, eſt ipſius caſus ac letale vulnus. Præſens autem victoria, vel eſt defenſiva vel fugativa. *Defenſivam* victoriam de diabolo reportamus, quando incitamentorum ejus impetum ac vim reprimimus, quâ ab eo obſidemur, circumcingimur ac oppugnamur, *utpotè* actibus charitatis DEI contra eum jaculando, quamvis hoc ipſo ab ejus obſeſſione ſtatim non ſolvamur. *Fugativa* verò de diabolo victoria

ctoria tunc habetur, quando virtute divina mediantibus nostris actibus charitatis adversus eum jaculatis, vim ejus non solum reprimimus sed ipsum etiam fugamus; ab obsidione nimirum ejus tentationis statim nos feliciter eliberando. *Porro* in hujsmodi resistentia supernaturali. *aliquando* solet se habere voluntas nostra positivè, *aliquando* negativè. *Positivè* se habet voluntas, quando per actus virtutum aut charitatis ipsius in DEUM elevatos, impulsus diabolicos siue solummodo reprimit, sivè etiam & simul fugat, ut jam dictum est. *Nota* autem majorem illam esse victoriam, quæ feliciter per actus charitatis elicitos habetur, quàm illam, quæ per alios actus, aliarum virtutum reportatur: similiter etiam majorem illam esse existima victoriam, quæ per actus intensiores, quam quæ per remissiores obtinetur. *Negativè* verò habet se voluntas, quando tentationi se impugnanti, actualiter nec consentit, nec dissentit, sed solummodo durante illa, convertit se ad alias occupationes, donec impulsus ejus cessent, ac suggestionis memoria de mente excidat. Differt autem voluntas negativa in hoc à permissiva: quia *voluntas permissiva* vel alias tacita & interpretativa, advertenter connivet ac favet suggestoni aut delectationi suo affectu, cui alias actu ipso resistere debet & potest, modo velit. *Voluntas verò negativa*, detestatur desiderium pravum seu voluptatem inordinatam in affectu, licet non in actu. *Vel* quia voluntas *permissiva* tacito consensu habet se contra peccatum. Hujus tamen voluntatis negativæ usum

habere

habere non licet, tentatione durante præsertim intensa, propter aliquod periculum ruendi in consensum tacitum, nisi adsit justa aliqua causa: qualis est *prima* major videlicet commoditas reprimendi, ac fugandi tentationem: nam sicut equus hærens in palude seu loco cænoso, & violenter ac impetuosè illinc se eliberare contendens; magis ac magis ibi infigitur: ita studiosus vitæ spiritualis, dùm aliquando apprehensam tentationem violenter, turbulenter, impetuosè & indiscretè ex imaginatione aut sensualitate eijcere conatur non rarò, magis ac magis illam se sibi imprimi experitur: & sicut viator, canes contra se à londè latrantes minimè vereri solet, attamen appropinquantes sibi ac se mordere enitentes, diligenter Virga abigit; sic homo disciplinæ spirituali addictus, tentationem præsertim leviter adversum se insurgentem, sufficit si negativa voluntate eludat, solo affectu spernens, & quasi non advertere eam se simulans, nisi adsit periculum consensus, ob ingravescentē ejus impulsum, tunc enim ipso actu positivo illam detestari necesse est. *2da.* causa, ob quam licet se habere negative respectu tentationis, est necessitas ac pietas. *Vt.* si cui ex officio imcumbat disputare, aut in confessione audire de rebus venereis, & commodè non potest propter attentionem quam tunc illi adhibere necesse est, aliquando actu positivo insurgere contra motus carnales.

4tum. remedium tentationis præsertim importunæ & continuæ, ac nimis molestæ est imploratio divini

divini auxilij, per ferventes orationes jaculatorias: quia (ſicut ait D. Bonav. *lib. 2. de prof: relig: cap. 6.*) nec noſtris meritis, nec viribus, nec prudentia poſſumus de tot hoſtibus triumphare, vel ſine letali vulnere tranſire, niſi protecti manu DEI, & ejus adjutorio confortati. Quod quidem adjutorium ſuum, promiſit ſe nobis DEUS daturum modo illud imploremus, ſicut patet *Pſal: 90.* Quoniam in me ſperavit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Et *Pſal: 49.* Invoca me in die tribulationis; eruam te. & honorificabis me. Unde quoq; ait *S. Ephrem*: Chriſtianus inter diverſas tribulationes & tentationes ſtet ſicut incus, quæ licet ſemper verberatur, non tamen dat tergum, neq; concavitatis formam in ſe recipit, ſed eadem manet. Pro munitione & caſtro ſemper Chriſtum Dominum habeat, ad eumq; belli tempore confugiat, dicatq; Eſto mihi in DEUM protectorem, & in locum refugij ut ſalvum me facias.

3tium remedium contra hujuſmodi moleſtiſſimas tentationes, actualiter nos ſuis ſollicitationibus infeſtantes ac obſidentes, eſt recurſus ad rationes defenſivas noſtri, & fugativas diabolicæ calliditatis, ſive nimirum per propriam, ſive per alienam excogitatas induſtriam: quibus quidem rationibus non diabolo reſpondendum eſt, aut cum illo diſputandum; ſed nonniſi propriæ rationi, ac noſtris dubijs & perplexitatibus, ſatisfaciendum: talis


enim

enim disputatio aut responsio, summopere nobis à Sanctis Patribus prohibetur, tanquam propinquissima occasio confutationis ac deceptionis nostræ, per hostis nostri astuta, dolosa, ac fraudulenta argumenta; quæ alias inexpertis & incautis nobis; potius ab Angelo lucis, quàm ab Angelo Satanæ provenire viderentur. *Vel quoq;* recursus ad præsentiam divinam contuendam, ad considerationes passionis Dominicæ, mortis nostræ imminentis, judicij divini, pœnarum inferni, gloriæ cælestis, &c: *necnon* ad aliquam mortificationem intensam; modo illa non exerceatur in partibus corporis secretioribus, propter probatissimas rationes silentio involvendas. *Vel etiam* recursus ad aliqua verba Sacræ Scripturæ tempore tentationis pronuntianda & meditanda; ut est illud apud *D. Iacob: cap: 1.* Beatus Vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ &c. *Vel deinde* recursus ad spiritualem Magistrum, pro capiendo ab eo consilio contra diaboli astutias, seu ad detegendum ei suggestionem diabolicam fraudulentam: propter quod probatissimum est mox diabolum fugam arrepturum, ubi suum dolum virulentum propalatum esse conspexerit. Verum ipsæ tentationes, nemini præterea, alteri revelandæ sunt nisi alias urgente gravi necessitate, viro alicui virtute probato, & experientiâ occurrendi diabolicis machinationibus insignito: nè videlicet inter utrumq; inexpertum mutui scandali ac erroris aliqua satis luctuosa consurgat occasio. *Vel tandem* recursus ad increpationem diaboli actualiter ten-

tantis

tantis exemplo Christi Domini dicentis *Matth: 4.* Vade satana. Idipsum faciebat David cùm tentaretur dicens: *Psal: 118.* Declinate à me maligni, & scrutabor mandata DEI mei. Et *Thomas à Kempis* suadet sic increpare illum *lib: 3. de imit: Christi cap. 6.* vade immunde spiritus, erubesce miser: Valde immundus es tu, qui talia infers auribus meis &c. *Vel insuper* recursus ad capiendam aliquam honestam animi recreationem, ac spiritus exhilarationem, ex mutua nimirum cum fratribus collocutione religiosa. Verùm recursus, præsertim verò incipientium tempore tentationis, *utpotè* humanæ à Superiore provenientis ad jocum seu risum indiscretum; ut sic per eum effugiatur pulsus internæ turbationis, non placet spiritualibus Magistris: quia hoc modo tentatio non superatur, sed solum subterfugitur; & risus ille ac jocus in principio conversionis præpediens mortificationem internam, tandem aliquando vertetur in impatientiam, & furiam apertam.

In finem admonendi sunt incipientes, quod dùm pugnant contra tentationes, sic hilariter ac generosè pugnent, quasi mox perpetuam pacem habituri quia sæpe hoc ipsum generosis animis DEUS largiri solet. Verùm post obtentam victoriam. gerant se deinde cautè, quasi mox pugnaturi cogitantes dulcius sibi esse vincere tentationem, quàm fædari delectatione peccati: comparatione enim majoris ac infinibilis dulcedinis victoriam subsequentis, cùm minori ac momentanea dulcedine peccati; non autem difficultatis pugnæ cum incertitudine victoriæ, animus ad fortiter ac perseveranter contra hostes spirituales pugnandum, optimè præparatur, roboratur, & concitatur.



MA-



Ut magìs accendatur fervor, DEVOTIONIS Ad SANCTISSIMUM SACRAMENTUM,

Adduntur hic aliqua pro temporis opportunitate Vsurpanda.

Ex *Revelatione* S. GERTRUDIS

ORATIONES

Ante Communionem utiliter deservire possunt ad Missam.

Mitissime, suavissimequè JESU, ego omnium creaturarum indignissimus, sacratissimum corporis & Sangvinis tui SACRAMENTUM, ceu præstantissimum contra omnes corporis & animæ meæ miserias remedium suscipere & sumere statui, certò confidens, firmitissimequè credens, me per hoc non solùm meis provisurum necessitatibus; sed etiam tuæ supremæ Majestati, omnibusque cælorum incolis summum præstiturum beneplacitum. Verùm ô summa ineffabilisquè Majestas coram qua cæli immundi sunt, universæq; cælorum colu-

mnæ contremiſcunt, quomodò ego viliſſimus terræ vermiculus, ego omnium fæditatũ miſeriarumquè ſentina, te totius puritatis fontem in tam immundum cor meum ſuſcipere audebo? Quomodò præſumam te in tale cor introducere, quod undiquè ſpinis & tribulis peccatorum conſitum, tamquè tetro carnalium & mundanorum deſideriorum fætore refertum eſt? Quare ô pijſſime amator meus, erubeſco nimis coram te, vereorquè nimis; ne magna te afficiam contumeliâ, ſi te in tam ſordidum majeſtatiq; tuæ tam indignum introducam cœnaculum. At ô JESU benigniſſime, qui ore tuo dixiſti, non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus, quiq; cœcos & claudos, pauperes ac debiles ad cænam tuam invitaſti, ecce ego quaſi unus ex illis, imò pauperrimus & miſerrimus inter omnes illos, non ex præſumptione, ſed ex humili piaq; confidentia ad ſacratiſſimam corporis & ſanguinis tui cœnam accedam.

De omnibus ergo & ſingulis peccatis & negligentijs meis quibus dulciſſimam benignitatem tuam unquàm offendi & contriſtavi, atquè animam meam tam fætentibus ſordibus inquinavi, amore tui vehementiſſimè doleo. O utinam & millies utinam totum mare verſum in ſangvinem ducere poſſem per caput meum, ut vel ſic mundaretur ſentina extremæ vilitatis meæ quâ tu finis meus inexcogitabilis dignitatis inhabitare elegiſti. O utinam & milles utinam cor meum extractum à corpore daretur mihi candentibus carbonibus fruſtratim adeò examinandum, ut decocta ad purum ſcoria ejus, etſi non dignam, non tamen tam nimis

mis indignam tibi præbere possem mansionem.
Sed quid valet me multùm anxiari, cum etiamsi mille anni studio meo relinquerentur, nequaquam tamen me decenter præpararem, cùm ex me nihil omnino habere queam, quod aliquô modô valeat ad tam sumptuosam præparationem. Unde amantissime JESU, in humilitate cordis mei procidens ad terram exoro clementiam tuam, ut me præparare digneris, quo ad laudem tuam, & profectum universitatis cælestibus epulis dignè possim participari. Piissimæ pietati tuæ offerro & præbeo totam substantiam meam, desiderans & orans, ut ipse tibimet in me præpares quidquid tuam divinam in me summè delectare possit benignitatem, Offero & præbeo tibi, amator prædulcissime, integra voluntate totum cor meum, orans, ut abluas illud in virtuosa aqua sanctissimi Lateris tui, & decentissimè illud exornes in pretioso sanguine dulcissimi cordis tui, ac tibi convenientissimè coaptes in aromatico vapore divini amoris tui, Amen,

Ad Omnes Sanctos.

O Vos omnes Sancti DEI, maximè verò vos dilectissimi Patroni mei, ex intimo cordis affectu saluto & veneror vos. Adoro & benedico immensam bonitatem & dignationem semper venerandæ TRINITATIS pro omni gratia, quæ ex ipsius supereffluentia abyssali unquàm defluxit in salutem vestram; supplicans omnibus communiter & singulis singulariter, ut quilibet vestrum ad sacrificium fulgidæ semperq; tranquillæ TRINITATIS

in ſupplementum negligentiarum, & indignitatis meæ offere dignetur omne ſtudium & præparationem, quâ die Aſſumptionis veſtræ præfectiſſimè conſummati, conſpectui gloriæ Domini aſtitiſtis æternis præmiis remunerandi, Amen.

Ad Beatam Virginem.

CAſtiſſima VIRGO MARIA, rogo te per illam innocentiſſimam puritatem, quâ Filio DEI in utero tuo virginali placitam manſionem præparaſti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

Humillima VIRGO MARIA, rogo te per profundiſſimam illam humilitatem, qua ſuper omnes choros Angelorum & Sanctorum meruiſti exaltari, ut tuis precibus ſuppleantur omnes negligentiæ meæ.

Amabiliſſima VIRGO MARIA, deprecor te per amorem illum inæſtimabilem, qui te inſeparabiliter DEO conglutinavit, ut tuis precibus præſtetur mihi copia diverſorum meritorum. Amen.

Ad CHRISTUM.

AMantiſſime Domine JESU, per amorem dulciſſimi cordis tui deprecor, ut tu ipſe pro me offerre digneris perfectionem illam, quâ in horâ Aſcenſionis tuæ paratus aſtitiſti DEO Patri ad ſuſcipiendam glorificationem: ſordidamq; animam meam per tuam innocentiſſimam humanitatem reddere puram & ab omni peccato inmaculatam: & per excellentiſſimam divinitatem tuam omni-

gena

gena virtute ditatam & ornatam : nec non per virtutem amoris illius, qui ſummam Divinitatem conjunxit cum immaculata tua humanitate, eam omnibus donis tuis convenientiſſimè adaptare digneris; Amen.

ORATIO
Ante Communionem vel Miſſam.

O JESU millies deſideratiſſime ecce nunc appropinquat hora, hora inquam illa feliciſſima, quâ te DEUM meum in animam meam ſuſcepturus ſum: Ecce JESU amabiliſſime cum ſumma quâ poſſum devotione & reverentia venio ad te, & vado in occurſum tui. Extende igitur ſacratiſſimas manus tuas ad amplexandam animam meam, ſicut eaſdem perforatas manus inter maximos mortis dolores ad amplexandos omnes peccatores extendiſti. Ego, ô mi JESU crucifixe, non ſolùm manus meas, verum & cor & animam meam ad te amplexandum, & in cordis mei penetrale introducendum extendo. O utinam talem ac tantam devotionem, talem ac tantum amorem, talem ac tantam munditiem, quà ullum unquam humanum cor ornatum fuit, in me haberem. O utinam & millies utinam omni virutute, omni deſiderio, omniq; devotione repletus eſſem. O utinam & millies utinam omnium Angelorum puritatem, omnium Apoſtolorum charitatem, omnium Martyrum merita, omnium Confeſſorum ſanctitatem, omnium Virginum haberem puritatem & munditiem. O utinam & millies utinam tali devotio-

 votio-

votione, reverentia & amore te possem suscipere, sicut Beatissima V.M. tua te in tua incarnatione, & postmodum in SACRAMENTO suscepit. O utinam & millies utinam tuum sacratissimum ac divinissimum cor haberem, ut teipsum in illud ipsum tali, quo dignus es, modo suscipere possem.

Offerro tibi, JESU dulcissime in condignam præparationem animæ meæ, & in suppletionem omnis indignitatis omniumq; negligentiarum mearum, universas præparationes, devotiones, affectus & amores, quos omnes Sancti tui, maximè verò Beatissima V. Mater tua te in hôc SACRAMENTO susceperunt. Offero tibi, JESU Sacratissime, tuum superdignissimum cor, omnesquè supercœlestes virtutes & gratias, quas beatissima TRINITAS in idipsum supertbundantissimè contulit, ut ijsdem, abyssalis illa vilitas & indignitas mea contegatur, tibiq; in anima mea dignissimũ, placidissimumquè habitaculum præparetur.

INVITATIO JESU.

O JESU superdulcissime, qui ipsemet dixisti, delicias tuas esse cum filijs hominum, te desiderat anima mea, te affectat cor meum. Invito te igitur tali devotione & amore, quali ulla unquam amantissima anima Te, ad se invitavit Veni ergo dilectissime Sponse animæ meæ, veni dilectissime amor animæ meæ, & diverte in pauperculum diversorium cordis mei. Veni cœlestis Medice, veni & sana infirmam animam meam: veni amice millies dilectissime, & dita extremam paupertatem meam.

Veni

Veni Sol amabilissime, & illumina densissimas tenebras animæ meæ. Veni Manna suavissimum, & satura nimiam esuriem meam. Veni JESU delectabilissime, veni dilecte votorum meorum, veni & cœna mecum in exili cænaculo cordis mei. Et licet nihil, quod divinam tuam possit condecere magnificentiam, præparaverim; invenies tamen integram patinam bona voluntate, summoquè in te affectu refertissimam.

O unice amor meus, summô tui teneor desideriô; summoque te præstolor amore. O speciosissime inter filios hominum; o fons supereffluentis dulcedinis; o suavissima suavitas omnis delectionis, veni ad me, & ne spernas pauperculum servum tuum.

Hic cum Sancta Gertrude libro 4. capite 23. osculans terram vel Imaginem Christi dic:

O JESU amantissime, ex intimo cordis affectu te deosculans, rogo cum affectu omnium orationum, quæ unquam de corde tuo dulcissimo profluxerunt; ut ad hospitiolum cordis mei digneris declinare.

Iam accessurus dic quod Christus Sanctam Gertrudem libro 3. cap: 28. docuit.

Ecce Domine, ego vilis peccator, pauper, malus & indignus venio ad te supereffluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula, & replear omni gratia.

Sequentia verba dic cum magno affectu, quod Christus docuit S. Gertrudem libro 2. capite 19. quod qui tali intentione ad Communionem accederet, nunquam indigne accedere posset.

Et licet sciam me extremè indignissimum, imò

execrandum & abominandum peccatorem, de ineffabili tamen pietate tua confisus, eo modo & intentione ad hanc sacratissimam corporis & sanguinis tui participationem accedo ut amore, amoris & gloriæ tuæ parui perdam (etiamsi possibile esset) quod magnam damnationem mihi in SACRAMENTO sumerem, ut tantummodo divina pietas tua magis clarescat per hoc, quòd te tam indigno non dedigr ar s cummunicare

Dum flectis in scamno communicantium, indesinenter suspira ad dilectum tuum dicens:

Veni bone JESU, veni Sponse animæ meæ: & in illo amore, quo intrasti in uterum VIRGINIS, intra in pauperculum cor meum, &c.

Post Missam vel post Communionem.

O Bone JESU, ô dulcis JESU, ô amabilissime JESU, ô JESU unica salus & consolatio mea. Et unde mihi hoc, quod venias ad me, atquè in immundissimum cor meum nimiis sordibus & peccatis iniquitatum intrare non refugias. Benedictus sit adventus tuus, & benedicta sit dulcedo amoris tui, quæ te induxit me pauperculum visitare. Cum summa humilitate profundissimaq; reverentia procidens, sacratissimosquè pedes tuos exosculans adoro te, humillime rogans, ut ignoscas mihi, quòd cum tanta negligentia, distractione & indevotione (*Sacerdos addat*: sacro altari tuo astiti, tam irreverenter te tractavi) tamq; indignè te dominum meum suscepi. Ignosce mihi JESU benignissime, & per saluberrimam mortem tuam dele iniquitatem hanc maximam, & quidquid per me neglexi,

tu

tu per te ſupplere dignare. Obſecro igitur, digneris hanc meam Communionem (hoc meum ſacrium) in cor tuum ſuſcipere, atquè in illo amore & virtute, quâ Teipſum in cruce obtuliſti, DEO Patri offerre.

Et nunc, ô bone JESU, offero & præbeo tibi indigniſſimum cor meum, orans, ut abluas illud pretioſiſſimâ illâ aquâ, quam divinus amor ex nobiliſſima roſa dulciſſimi cordis tui in fornace amoris eduxit: illudquè aſpergas & confortes ſuaviſſimô illô vinô ſacratiſſimi ſanguinis tui, quod torcular Crucis è botro divini pectoris tui expreſſit A.

OBLATIO
Ad DEUM PATREM

Cujus efficaciam verbis vix exprimes.

SAnctiſſime Pater, ecce ego indigniſſimus famulus tuus, confidens de tua ineffabili pietate, ſuſcepi dilectum Filium tuum Dominum noſtrum JESUM Chriſtum eumquè in pectore meo tanquàm rem meam mihiquè conjunctam adhucdum contineo. Illum ergo Filiũ tuum in modũ Sanctiſſimæ V. M. in ulnas meas ſuſcipiens, offero tibi tali affectu & intentione, quali ſemetipſum ad laudem tuam obtulit jacens in præſepio, & pendens in cruce. Reſpice pie Pater ad hanc oblationem, quam ego indignus famulus tuus offero tibi DEO meo vivo & vero ad æternam laudem & gloriam, infinitumq; beneplacitum tuum.

Offe-

Offero tibi eundem pro me, & pro omnibus ijs, pro quibus soleo & teneor orare: in gratiarum actionem omnium beneficiorum nobis collatorum, in suppletionem omnium virtutum bonorumque operum, in quibus ex mera negligentia nos exercere neglexímus. Ad impetrandam gratiam & misericordiam tuam, quæ nos à malis & peccatis præservet ac eruat; in omni corporis & animæ necessitate assistat, & per felicem obitum ad gaudia perducat æterna. Demum offero tibi illum ipsum pro remissione peccatorum meorum, quorum multitudo ultra decem milia talenta excrevit, & satisfactione pœnarum, pro quibus exsolvendis cum longè sim impar, ideo humiliter tibi procidens, confiteor tibi Pater benignissime, in amaritudine passionis innocentissimi Filij tui (in quo tibi summè complacere testatus es) & per ipsum exhibeo tibi emendationem & satisfactionem pro peccatis meis offerens tibi pœnas & lachrymas ejusdem, omnemq; satisfactionem quâ ipse in cruce universa mundi peccata expiavit.

MEmento etiam Domine famulorum famularumquetuarum, qui nos præcesserunt cum cum signo fidei, & dormierunt in somno pacis, pro quibus omnibus & singulis (*maximè pro* NN.) offero tibi salutarem hostiam corporis & sanguinis Filij tui quam modò suscepi: rogans, ut per ejusdem infinitum valorem, perq; merita omnium Sanctorum peccata eorum condones, & à pœnis eos clementer absolvas, Amen.

Obla-

OBLATIO ad SANCTOS.

BEatiſſima VIRGO MARIA, ecce Filium tuum, quem immaculatô uterô tuô concepiſti, genuiſti, atq; ſuaviſſimis amplexibus ſtrinxiſti. Ecce cujus aſpectû lætabaris, illum ipſum quem ex inæſtimabili divinæ bonitatis dignatione hodie donô datum in corpus & animam meam ſuſcepi, tibi humiliter & amanter repræſento & offero tuis brachiis conſtringendum, tuo ore oſculandum, tuo corde amandum, & unà mecum, imo pro me adorandum: nec non & SS. TRINITATI in ſupremum latriæ cultum, pro meis totiusq; mundi neceſſitatibus offerendum: ut quod meis meritis non præſumo, tuæ prærogativâ dignitatis in hac oblatione ſuppleatur.

O vos omnes Sancti & Sanctæ DEI, maximè verò vos dilectiſſimi Patroni mei, ecce Dominum & ſponſũ JESUM Chriſtũ, quẽ viventes in carne totâ mente dilexiſtis, vos omnes & ſingulos ſaluto per eum quem modò in Sacramento ſuſcepi, & in ſingulare augmentum gaudij, gloriæ ac beatitudinis veſtræ offero vobis eum cum omni amore & fidelitate, quam in tempore vobis exhibuit & modò in æternitate inceſſanter exhibet, orans, ut eundem pro me adoretis & colatis, atq; SS. TRINITATI pro meis totiusq; Eccleſiæ neceſſitatibus, proque gratiarum actione omnium beneficiorum mihi collatorum ſummâ devotione offeratis. Et quidquid per me impetrare nequeo, veſtris meritis & precibus impetrare merear, Amen.

Cor

COr meum & anima mea: cum totâ ſubſtantiâ carnis meæ, omnibusq; ſenſibus & viribus corporis & ſpiritus mei, cum univerſitate totius creaturæ laudes & gratiarum actiones dicant tibi, dulciſſime JESU, fideliſſime amator humanæ ſalutis pro dignantiſſima miſericordia tua, quam mihi ſervorum tuorum indigniſſimo in hoc SSS. corporis & ſangvinis tui convivio exhibuiſti, O dulciſſime DEUS, licet omnia & ſingula momenta vitæ meæ nonniſi continuæ gratiarum actiones, eſſent, non tamen reſponderem tibi unum pro mille. Ideò inſufficientiam meam agnoſcens offero tibi ô Beatiſſima TRINITAS omnes illas laudes & gratiarum actiones, quas ſacratiſſima humanitas Domini noſtri JESU Chriſti toto tempore vitæ ſuæ, maximè cum hoc SACRAMENTUM inſtituit, tibi perſolvit. Suſcipe, ô pie Pater, & illas, tibi offero gratiarum actiones, quas B. V. MARIA, omnesq; Sancti & Sanctæ DEI tibi unquam, maximè cùm hoc SACRAMENTUM ſuſceperunt, toto cordis ac mentis affectu perſolverunt: & concede propitius, ut omnis mea inſufficientia & negligentia, eorum abundantiâ, & perfectione ſuppleatur, Amen.

Concluſio longè efficaciſsima Ex S. Gertrud: libro 5. capite ultimo.

HOc igitur SS. SACRAMENTUM ô Chriſte JESU, quod ex intimis tui amoroſi cordis produxit efficax dulcor tuæ inveſtigabilis divinitatis, quodque mihi tam benignè modò communicaſti, offero

tibi

tibi ex affectu totius universitatis, in unione illius excellentissimæ charitatis, quâ Tu altissimi Patris Unigenitus omnem influxum divinitatis, qui in tuam deificatam humanitatem descendit, cum plena gratitudine offerens, refudisti in abyssum originis tuæ, Orans cum desiderio & affectu omnium creaturarum, ut ipsum tibi intrahas per affectum suavissimi spiritus tui in laudem æternam, immensam & incommutabillem, quam inscrutabilis sapientia tua altissimè cognoscit superexcellentem DEI Patris Omnipotentiam condecere, ac inæstimabiliter suavifluam Spiritus Sancti benevolentiam oblectare. Nec non & in plenè sufficientem gratiarum actionem omnis boni & gratiæ, quam per idipsum operatus es, & in æternum operaberis in corde & anima ipsum recipientis. Item & ad dignam emendationem omnium in quibus negligentius studium, præparatio & devotio mea omisit idipsum dignè suscipere. Et demum in summam gratiarum actionem, quod incomprehensibilis bonitas tua, me extremæ vilitatis vermiculum admittere dignata est ad regale convivium cælestium deliciarum tuarum. Pro quo cum in nullo parvitas mea tibi respondere possit, offero tibi cor tuum dilectissimum ac unicè dignissimum in ea dignitate, quâ plenum est divina gratitudine, ac omnimodæ beatitudinis perfectione superexcellens in perpetuum, Amen.

DISPOSITIO Ad MISSAM,

& Communionem Ex Patre Drużbiccio.

I. O Sanctissima TRINITAS DEUS meus, ego

ego quantum ex gratia tua possum, volo & conor me disponere tam sequentibus, quam totius vitæ meæ actionibus & passionibus ad Sanctissimum Filij tui Sacrificium offerendum, Sacramentumque sumendum quam dignissime, tamen diffido prorsus omni meæ dispositioni, & à te solo disponi, meæque dispositioni benedici peto, desidero, & spero, non propter bonum meum, sed purè propter Dignitatem, Voluntatem, & Voluptatem tuàm majorem ac majorem. Tu ergo dispone me, propter Te, digne Te, ad hoc, & ad omne Sacrificium Sacramentumq; tam mea quam tua dispositione, sicut potes, scis, & vis, ego tamen volo, cupio, & propono tuum ô DEUS explere gustum, hoc præsenti Sacrificio, tam ex opere operato, quam ex opere operantis, tam in Persona Christi, quam in mea persona propter Te, ideo toto meo conatu, desideriò, fervore, volo evincere omnem præteritam devotionem meam & alienam, totoq; omnium Electorum, & Sanctissimæ V. Matris ac tuo JESU mi Theandrico fervore inardesco, tam ad hoc quam ad omne Sacrum, ejusq; fructus obtinendos, augendosq; propter Te.

2. O Domine DEUS meus Unus in Sanctissima TRINITATE Pater Fili & Spiritus Sancte, coram tua Divina Majestate, doleo pro peccatis meis omnibus & singulis; & doleo quia tu vis, & dignus es ut doleam, & quia displicent, repugnantq; Bonitati tuæ, quam amare super omnia, æstimareq; debui, & nunc æstimo, æstimareq; semper deinceps volo sicut etiam volo pro ijsdem peccatis meis satisfacere juxta mentem & gratiam tuam,

tuam, ab illisq; semper diligenter cavere, quem contritionis atq; amoris tui actum offero Majestati tuæ ad beneplacitum tuum, ad fructum animæ meæ, ad disponendum me digne immolando Sacrificio, & sumendo SACRAMENTO tuo Sanctissimo ad quod accedere propono.

3. Domine DEUS volo & statuo tibi offerre omnia Sacrificia, quæ vis & scis à me tibi offerenda, & quantum est ex me, etiam ab alijs tibi unquam oblata & offerenda, præcipuè istud hodiernum Sacrificium tibi offerre intendo, omni ea ratione, modo, gradu, intellectione, applicatione, sublimitate, intensione, extensione, excellentia, motivo, puritate, ac dispositione, qua tu scis, vis, das, juxta gustum voluntatis tuæ posse tibi offerri & applicari. Offero tibi Domine DEUS tam hoc, quam omne aliud Sanctissimum Sacrificium, quod tibi ritè offertur & offeretur unquam à me vel ab alijs, ad omnimodam laudem tuam, ad gloriam Christi, & ad memoriam Passionis & mortis ejus, ad cultum & invocationem Sanctissimæ VIRGINIS MARIÆ, & Sancti JOSEPHI Sponsi ejus, & Sanctorum Patronorum meorum, ac illorum qui gratia devotionis & reverentiæ ad Sanctissimum Sacrificium Sacramentumq; excelluerunt, & omnium Sanctorum. Ad auxilium Ecclesiæ tuæ, ad ejus defensionem, instructionem & profectum, ad multiplicationem & augmentum in ea bonorum ac justorum, ad aversionem calamitatum publicarum diminutionemq; peccatorum & peccantium, ad sublevationem necessitatum nostrarum spirituali-

um.

um & coporalium, omnibus in genere & in ſpecie benedic Domine juxta cujusq; indigentiam.

4. Memento Clementiſſime DEUS fidelium vivorum & mortuorum præſertim eorum pro quo-bus orare ſoleo, debeo, intendo, qui pro me orant, quibus ſpecialiter obligatus ſum, Ut ſunt Amici, Benefactores mei omnes privati & communes, & illis qui mihi ſunt infenſi, inimici, adverſarij, & quos ego læſi vel injuravi, & pro quibus tu à me orari vis, omnibus his valorem Sacrificij hujus diſpenſa juxta guſtum voluntatis tuæ, ac debitum Voluntatis meæ. Da Domine DEUS Sanctificationem Nominis tui, Sanctorum laudem, Eccleſiæ vivorum exaltationem, per omnes gradus & ſtatus gratiam & auxilium, animabus purgatorij ſolatium & refrigerium, & mihi omne cujus capax ſum (ſine aliorum damno) meritum gratiæ actualis efficacis & congruæ, ac in Sanctitate profectum & finalem perſeverantiam juxta proportionem operis operati, & operis operantis, & juxta impetratoriæ ac ſatiſfactoriæ efficacitatis latitudinem, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

℣. Hoc fine advoco DEUS meus tuam Unitatem in Subſtantia, & Trinitatem in Perſonis, advoco tuam dignitatem omnipotentiam, Sapientiam, Bonitatem, juſtitiam, charitatem providentiam voluntatem ac omnitudinem tuam, advoco JESUM Chriſtum tuum & Sanctiſſimæ Virginis Filium, cum omnibus ejus Subſtantijs gratijs, meritis donis, paſſionibus, Virtutibus, prærogativis & Perſona, in ſpecie verò advoco illum ut eſt Sacrificium noſtrum pro nobis in honorem tuum Domine

Deus

DEUS noſter, & quatenus eſt Sacerdos Altare, & Hoſtia vera, te digna. Advoco Beatiſſimam VIRGINEM MARIAM. Omnium Sanctorum Reginam cum tota prærogativarum ejus menſura quam apud te habet. Advoco Angelos & Sanctos omnes, eorumq; gratias, merita, virtutes & glorias ac intercesſiones apud te. Advoco Sanctos Sacrificio Sanctiſſimo ſpecialius ac inſignius devotos. Advoco Sanctos omnes hujus loci & templi quacunq; ratione Patronos, omnes Sanctos quos Eccleſia in Sacrificio Miſſæ ordinarie ac nominatim invocat. Advoco Sanctos omnes die hodierna in Martyrologio, relatos & quos Eccleſia hodie recolit. Advoco Sanctos quorum Reliquiæ ſunt in Altari & apud me. Advoco Sanctos meos Patronos electos vel quavis ratione mihi congruos ex ſpeciali devotione mea erga illos, illorumq; affectione erga me, præcipuè iſtos NN. hos omnes & alios, quos tuo divino beneplacito mihi auxiliares eſſe placet invito & invoco tota devotione mentis, tota proſtratione cordis, tota fidei, ſpei, & amoris latitudine, ad guſtum tuæ Voluntatis ad ſolam tuam gloriam, ad ſolam tuæ dignitatis exaltationem & Sanctificationē. Hoc volo ſpero & rogo, ut ſic diſponar digniſſime ad ſacrificandum & conſecrandum, ac ſumendum Corpus & Sanguinem Domini noſtri JESU Chriſti in hac efficacia proportione, intenſione, extenſione, in eo gradu, ſicut tu DEUS ſcis, vis, & dignus es.

Poſt Miſsam Vel poſt Communionem.

DUlciſſime Hoſpes animæ meæ Domine JESU Chriſte, pro eo affectu & charitate, quâ hoc Sacri-

Sacrificium & SACRAMENTUM instituisti, & me ad illud peragendum sumendumq; admisisti, immensas gratias tibi ago, & deprecor, quod non cum debita præparatione, puritate, humilitate, devotione ac amore, ad tantum Mysterium accesserim, omnem porro defectum in ejus oblatione ac sumptione commissum dele ac remitte supplendo hos defectus commissionis ac omissionis, actibus tuæ profundissimæ reverentiæ, ac intensissimæ charitatis, quos tu ipse circa hoc Mysterium exercuisti, & quos unquam ex dono tuo servi tui omnes huic misterio addictissimi exercuerunt, exercent, exercebuntq; ad finem sæculi; hos omnes ego jam nunc in sua latitudine, & omni circumstantia tibi placita, tuis Theandricis actibus unitos offero tecum me, per Te, Sanctissimæ TRINITATI, in supplementum omnium quæ mihi defuerunt, simul peto removeri à me omnia impedimenta fructuum & gratiarum sacrificij Sacramentiq;. Introtrahe mi JESU totam hanc meam hujus Sacrificij actionem in cor tuum amabile, illamque meritis tuis dignificatam offer in gratiarum actionem satisfactionem, & impetrationem aliosq; fines tibi placitos præcipuè ad gustum Patri æterno, tibi & Spiritui Sancto, & ad incrementum specialis gloriæ Sanctissimæ V. Matris tuæ, ac Beatissimi JOSEPHI Nutrij tui, & omnium Sanctorum Patronorum hujus Misterij regnantium in Cælo, augmentum vero in terris adhuc degentium. Uni me tecum JESU mi, amore indissolubili, Transforma me totum in Te. Accende me dulcis JESU, Charitate tuâ Seraphicâ, peto id per Cor & Ani-

mam

mam Dilectricis Tuæ Sanctissimæ Virginis Matris tuæ MARIÆ quæ te incarnatum prima. & principaliter & maxime dilexit, & in Sacramento dignissime amavit, honoravit, & suscepit. peto id per te ipsum, & intercessionē Omnium Sanctorum tuorum. Dulcissime JESU Te in me realiter concomitante Sanctissima TRINITATE, præsentem credo, amo, æstimo, adoro, & veneror toto me, tota anima, totis Viribus internis & externis, toto corde, tota memoria, toto intellectu tota Voluntate, industria, ingenio, capacitate mea. Credo, amo, adoro, Te mi JESU cum Sanctissima TRINITATE in me realiter præsentem toto Universo, & omnibus atomis Universalizatis. Amo, æstimo, & adoro Te toto Cœlo, igne, àëre, aquâ, terra, & omnibus quæ in his continentur. Amo, æstimo, adoro Te, tota Sanctissima Virgine MARIA Matre tua, totaq; curia cœlesti, Sanctis, Angelis, Archangelis, Virtutibus, Principatibus, Potestatibus, Dominationibus, Thronis, Cherubinis, Seraphinis, Apostolis, Patriarchis, Prophetis, Martyribus, Doctoribus, Confessoribus, Virginibus, Viduis, Omnibusque Sanctis, tota æternitate: Humilio me JESU mi coram Te, & coram Sanctissima TRINITATE in me præsente toto me, usq; ad Inferos, infra bruta, & infra nihili centrum. Benedico Te JESU mi cum Sanctissima TRINITATE in me præsentem laudibus & benedictionibus omnium Sanctorum, Virginis MARIÆ, tuæ pretiosissimæ Humanitatis ac Divinitatis, & Dignissimæ TRINITATIS

Tibi mi JESU omnes actiones & passiones totius Vitæ & Substantiæ meæ, ac omnium creaturarum Unitas toti Vitæ Tuæ, in realem, verbalem, cordialem, præteritam, præsentem, futuram, incessabilem, omnimodam, possibilem, infinitam gratiarum actionem, laudem, amorem, adorationem, exaltationem, tibi offero, dono, trado. Mi JESU confiteor & commendo tibi, omnes meas necessitates naturales & spirituales, præsentes & futuras, præcipue extremam in morte mea, item commendo tibi necessitates totius Ecclesiæ, Regni hujus, Religionis nostræ, Superiorum, Personarum locorum laborum, officiorum, tribulationum, tentationum, & quas tu optime nosti, item cognatorum & amicorum privatorum & communium, Benefactorum omnium privatorum & communium, omnium quos læsi & injuravi aliquando, & qui me læserunt aliquo modo, Omnium in agone mortis existentium, omnium Animarum in Purgatorio, item Omnium Vivorum & mortuorum quos Tu JESU mi, scis, potes, & velis adjuvare. Deprecor te Dulcissime JESU, quod negligenter & frigide Te tractaverim, & per tuam ineffabilem pietatem, supple meos defectus, sicut scis & potes ad majorem tuum gustum & honorem, Amen.

Reliqua Vide in Mistica



MA-

Manus Religiosa seu Manuale Religiosorum Quod S. Bonaventura

ex Sacra scriptura collegit, ac novis Religiosis proposuit observandum.

Sicut Scientiae ac doctrinae complures, quo facilius inducantur, habent suas Isagogas, velut prima rudimenta, quae suis candidatis ad altiora viam monstrant; ita noster Ordo Seraphicus quinque periodos, seu quaedam elementa suis Novitiis ab initio tradit: quae dum ipsi mente quasi manu tenuerint, paratiores fient sublimiora pietatis et virtutum studia capessenda.

Digitus Imus. Ad quid venisti?

1 Non velle malum facere.
3 Sanctamque crucem tollere
4 Et in dies proficere.
2 Sed passiones vincere.

Dig. II. <u>Quid ad te?</u>

Defectus vides? quid ad te?
Qui stas, cura non cadere.
Attende tibi, nosce te.
Mitemque Jesum sequere.

III <u>Est mea culpa.</u>

Si cupis esse amabilis?
Fatere culpam jugiter.
Peccator es. Humiliter
Dic servus sum inutilis.

IV. <u>Libenter!</u>

Omne quodcunque facitis
Facite ex animo
Hominibus et Domino:
Non servientes oculis.

V. <u>Deo gratias.</u>

In omni, quod obvenerit,
Laudato semper Dominum
Bonum malumve fuerit
Hunc solum specta terminum

I. Monet, ut meminerimus illius di
in qua egressi sumus de Aegypto: et

alacriter ad terram promissam euntes de transitu non faciamus reditum. Sed affectibus, quasi Regibus Chananaeorum superatis in virtutibus proficiamus, quod Religio Sororum omnium vocatio exigit.

2. Insinuat nobis, ut si quid humani in Fratrum grege contingat, non moveamur: Nam in quemcunque angulum se quis abdiderit in hoc mundo inveniet homines cum variis defectibus. Duo igitur nos sunt observanda: Primus nos ipsos ut penitus inspiciamus, alterum ut Christum pietatis ducem aspiciamus, quam secure imitari possimus.

3) Praeparat nos ad humilitatem, omnium Virtutum Matrem. Quotidie in multis deficimus omnes, saepe, peccamus, et tam inopes virtutum sumus, ut sufficientes non simus, boni aliquid cogitare a nobis quasi ex nobis. Atque etiam bona si quae videmus operari ut plurimum coram Deo bona non sunt. Quod cum studiose consideramus



ſideremus, nonſacile extollemur, indignitatem propriam agnoſcentes.

4. Reddit nos DEO & hominibus longe gratiſſimos, quando id quod præcipitur faciendum non tergiverſando vel diſſimulando lubenti animo facimus, cogitantes oculum Divinæ Majeſtatis nunquam dormitare, ſed intueri omnia, in cujus gloriam univerſa agenda docente Apoſtolo didicimus.

5. Deducit ad omnium actionum metam DEUM, in quo tranquille quieſcimus, ab eo ducimus Originem, ad eum properamus omnes. Etenim ipſe eſt Alpha & Omega principiũ & finis, ad quem in omnibus velut unicum ſcopum collimare debemus. Faxit Dominus JESUS ut hunc ipſum attingamus & æterna præmia conſequamur Amen.

S. Bonaventuræ Oratio quotidiana.

O Domine JESU Chriſte, cor meum tuis Vulneribus Saucia, & tuo Sangvine inebria mentem meam, ut quocunq; me vertam, Te ſemper videam Crucifixum; & quidquid aſpexero, tuo Sangvine mihi appareat rubricatum. Ut Sic totus tendens in te, nihil inveniam & amem præter te, nilvaleam intueri, niſi te Vulneratum; hæc ſit mihi conſolatio tecum pati & mori, hæc ſit mihi afflictio extra te in aliquo delectari, non quieſcat cor meum Bone JESU, niſi in Vulneribus tuis, hic ſuum terminet appetitum, donec amore tui finiat vitam ſuam. Duciſſime JESU, da mihi gratiam digne ſerviendi Sanctiſſimæ Virgini Mariæ Matri tuæ Amen.

Eiuſ-

Ejuſdem S. Bonaventuræ
Salutatio Vulnerum Chriſti.

AVe Vulnus lævæ plantæ, Quâ virtutum creſcunt plantæ,
Nos ab hoſte ſupplantante, Tu defende poſt & ante.
Pater & Ave Maria &c.

Ave Vulnus dextri pedis, Sedem mentis piè lædis,
Dum ad eam ſæpè redis, Eſto nobis ſpes mercedis.
Pater & Ave Maria.

Ave Manus Chriſti læva, ſic confixa manu ſæva,
Nos ab omni malo leva, Quod cauſavit Mater Eva.
Pater & Ave Maria &c.

Ave Manus dextra Chriſti, Perforata plagâ triſti,
Nos ad dextram iube ſiſti, Quos per Crucem redemiſti.
Pater & Ave Maria &c.

Ave Latus perforatum, Unde fluxit flumen gratum,
Præbe nobis conducatum, Ad æternæ Vitæ ſtatum.
Pater & Ave Maria &c.


℣. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.
℟. Attritus eſt propter ſcelera noſtra.

DOmine JESU Chriſte, qui pro ſalute humani generis quinq; Vulnera in Cruce pati Voluiſti, tribue quæſumus, ut ob reverentiam ſuorum Vulnerum abſolvi merear ab omnibus peccatis meis, & præſentem Vitam bono fine terminare in ferventi amore tui, ut ſic tuam ſuaviſſimam Viſionem aſſequar, Intercedente Beatiſſima V. Maria Matre tua cum omnibus Sanctis, Amen.



quid est homo





Ejuſdem S. Bonave[…]

Salutatio Vulnerum Ch[…]

AVe Vulnus lævæ plantæ, Quâ v[…]cunt plantæ,
Nos ab hoſte ſupplantante, Tu defend[…]
Pater & Ave […]
Ave Vulnus dextri pedis, Sedem me[…]
Dum ad eam ſæpè redis, Eſto nobis ſp[…]
Pater & A[…]
Ave Manus Chriſti læva, ſic confixa[…]
Nos ab omni malo leva, Quod cauſav[…]
Pater & Ave […]
Ave Manus dextra Chriſti, Perforata[…]
Nos ad dextram iube ſiſti, Quos per C[…]miſti.
Pater & Ave M[…]
Ave Latus perforatum, Unde fluxit flu[…]
Præbe nobis conducatum, Ad æternæ V[…]
Pater & Ave M[…]

℣. Vulneratus eſt propter iniquita[…]
℟. Attritus eſt propter ſcelera no[…]

DOmine JESU Chriſte, qui pr[…]mani generis quinq; Vulnera in Cruce pati Voluiſti, tribue quæſumus, ut ob reverentiam tuorum Vulnerum abſolvi merear ab omnibus peccatis meis, & præſentem Vitam bono fine terminare in ferventi amore tui, ut ſic tuam ſuaviſſimam Viſionem aſſequar, Intercedente Beatiſſima V. Maria Matre tua cum omnibus Sanctis, Amen.



pati
an
bu
fine
uam
te

quid est homo





Ejuſdem S. Bonaven

Salutatio Vulnerum Chr

AVe Vulnus lævæ plantæ, Quâ v
cunt plantæ,
Nos ab hoſte ſ pplantante, Tu defend
Pater & Ave M

Ave Vulnus dextri pedis, Sedem me
Dum ad eam ſæpè redis, Eſto nobis ſ
Pater &

Ave Manus Chriſti læva, ſic con
Nos ab omni malo leva, Quod ca
Pater &

Ave Manus dextra Chriſti, P
Nos ad dextram iube ſiſti, Qu
miſti. Pater

Ave Latus perforatum, Und
Præbe nobis conducatum,
Pa

℣. Vulneratus eſt p
℟. Attritus eſt pr

DOmine JESU
mani generis
Voluiſti, tribue
tuorum Vulneru
peccatis meis,
minare in
ſuaviſſimam
Beatiſſima V.
omnibus Sa



quid est homo

quia Magnificas eum

aut

Nay llie

leve et reve

Rogut Wagill

Frater Ord: Sancti Patr

Francisci Plamat

